BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
13
14 D
15
13. 15. e. 1
Digitized by Google

FRANCISCI
FLORENTIS
OPERA JURIDICA:

FRANCISCI FLORENTIS,

JURISCONSULTI,

Aurelianenſis primùm, deinde Pariſienſis

ANTECESSORIS,

OPERA JURIDICA,

Studio J. DOUJATII *Ant. Pariſ. collecta*,

ATQVE IN DVAS PARTES DIVISA.

Quarum Prima complectitur Tractatus vivo Autore variis temporibus editos, qui nunc ex ipſius autographo emendati & aucti prodeunt.

Secunda verò continet opera inedita, ſive poſtuma.

In quibus fusè & exactè ex certis Conciliorum, Decretalium atque Hiſtoriarum monumentis explicantur, quæ tum ad veterem, tum ad recentiorem Eccleſiæ univerſæ, atque imprimis Gallicanæ diſciplinam pertinent.

Accedunt Indices varii, Tractatuum, præcipuorum Capitum, Autorum, àc Rerum & verborum.

Adjecti ſunt ad calcem primæ Partis duo Tractatus, alter de Officio Archidiaconi autore NIC. JANVARIO; *alter de Abſolutione ad Cautelam, autore* J. TOURNET.

TOMUS PRIMUS.



PARISIIS.

Sumptibus JOANNIS DE LA CAILLE, viâ Jacobæâ, ad inſigne Prudentiæ.

M. DC. LXXIX.

CUM PRIVILEGIO REGIS CHRISTIANISSIMI.

Digitized by Google


CHARITAS

ILLUSTRISSIMO VIRO
DOMINO D.
CHRISTIANO FRANCISCO

DE LAMOIGNON,

REGI A CONSILIIS,
ejuſque in ſuprema Parlamenti Curia
ADVOCATO GENERALI,

J. DOUJAT *Anteceſſor Pariſienſis*
Sal. & pp. ſ.

QUOD *Franciſcum Florentem, ſi eum ad hæc uſque tempora Deus Opt. Max. ſervaſſet, facturum fuiſſe non dubito,* ILLUSTRISSIME DOMINE, *ut nimirum poſteriores*

Digitized by Google

lucubrationes ſuas ſub nomine conſecraret tuo : id ego nunc, tanti viri in Anteceſſura Pariſienſi qualiſcunque ſucceſſor, non ex animi ſolùm mei ſententia, ſed ex defuncti voluntate confido me facere, & quoddam quaſi tacitum mandatum implere. Suæ illi fuiſſent expromendi ejus in te officii rationes; meæ mihi, nec pauciores ſunt, nec minores.

Sanè qui ingentium virtutiſque & eruditionis titulo Togatos inter proceres maximè conſpicuorum nominum tutelæ commendatos voluerat priores Commentarios ſuos; is, quodnam aliud, quàm ſibi literatiſque omnibus venerandum nomen, in reliquorum operum ſuorum præſidium potuiſſet advocare? Quos potiùs Seguieriis

Memmiiſque *adjungere quàm* Lamonios ? *Mitto antiqua gentis veſtræ decora, per militarem priùs, deinde per forenſem gloriam quæſita. Noſtrâ ætate, ut Seguerii, Memmiique, ſic & Lamonii, feliciter mixtis Togæ honoribus ſummis ; & in ſacro Regum Chriſtianiſſimorum Conſiſtorio, & in Senatu Principe perinde floruere: hi etiamnum cum Memmiis florent. Quot generis veſtri capita, imò quot proximâ vobiſcum affinitate conjunctos vidimus, aut videmus ; hinc* Poterios, Nemondos, Harlæos ; *inde* Vicinos, Talonios, Bignonios (*lumina Tribunalium Gallicorum Principum omnibus nota, inque his familiaria, ipſi autori velut Numina*) *tot Magiſtratuum omnibus abſolutorum numeris*

Digitized by Google

exempla, tot oracula juſtitiæ, tot ſeculi noſtri ornamenta ab omnibus prædicantur.

Sed omiſſis reliquis, in uno Parente *tuo, in uno* Te *abundè haberet Florens noſter, quod miraretur, quod omni honore coleret, quò omni fiduciâ confugeret. Magnus* Pater tuus, ILLUSTRISSIME DOMINE, *Præſide infulato, atque infulis digniſſimo natus, cùm per Senatoris gradum ad Magiſtri Libellorum Supplicum honorem perveniſſet,* Florentem, *ut alii è primoribus eruditi juvenes, moderatorem juridici ſtudii ſibi aſciverat, etſi Florens ipſius ſe in eo ſocium ferret. Hunc Illuſtriſſimus* Parens tuus, *legitimæ Canonicæque diſciplinæ amore, admiſerat in familiaritatem intimam,*

ac pro virili celebraverat, ornaverat, foverat. Tantæ amicitiæ reſponderat aſſiduis obſequiis Florens: *&* *alter alterius admiratione defixi, crebrâ inter ſe exiſtimationis mutuæ teſtificatione certabant. Mirabatur in* Florente Lamonius *profundam ac prope inexhauſtam Iuris utriuſque, nec minùs Humaniorum Literarum notitiam, moreſque perinde ac ſermonem ſine fuco, & expreſſa in omni vita ſigna probitatis. Stupebat* Florens *in* Lamonio *ſolidam eruditionem, & Linguarum Scientiarumque omnium, quæ quidem Iuriſprudentiæ utiliter ancillari, & præclarum informare Magiſtratum, aut decere ſolent, pleniſſimam cognitionem, ſub modeſta quaſi diſcentis verecundia latentem:*

ſtupebat acris ingenii vim maturitate limatiſſimi judicii temperatam, & in præcipuo ſinceroque numinis cultu, canam juvenili ætate prudentiam, aſperſamque ſeveritati morum jucundiſſimam ſermonis affabilitatem. Quid ſi ad principem in hoc Senatu dignitatem Regis maximi judicio evectum vidiſſet? Quid ſi ſemper ſui ſimilem, eodem vitæ, quo priùs, tenore, ſibi, & cæteris exemplo magis quàm imperio, moderantem; ſi æquali ſemper ſapientiâ, publicè, privatim, in Deum, in Regem, in ſuos, in alienos, in infimos quoque, atque in pauperes imprimis, cuncta religionis, pietatis, caritatis, humanitatis, ac miſericordiæ officia cumulatiſſimè implentem? Quid ſi nullâ occupationum mole refrigeratum; aut

imminutum; ſed adauctum, potiùs in eo, atque hebdomadariis conventibus teſtatum, in literas ac literatos ſtudium? Quid denique, ſi, ut nos, adeò promptam expertus eſſet ejus in Collegium noſtrum Iuridicum propenſionem? Quanto ille tum nobiſcum, & cum bonis omnibus, gaudio exultaſſet? Quanto ſtuporis incremento, Lamonii *tum omnigenas virtutes demiratus eſſet; non creſcentes illas quidem cum dignitate (quia jamdiu ad ſummum creverant) ſed in hoc honorum culmine, non ſecùs ac totidem gemmas pretioſa in pala fulgentes ardentiùs? Fortè & non mediocri voluptatis ſenſu, nonnihil etiam ſui agnoviſſet in arduis negotiorum à tanto viro pari æquitate ac peritiâ decidendis, inque*

cæterorum Iudicum ſententiis, aut firmandis, ubi hærerent; aut, ſi fortè nonnunquam aberrarent, in viam benignè reducendis.

Quid autem, ſi quæ de Te ipſo, ILLUSTRISSIME DOMINE, *oculis auribuſve uſurpavimus, vivo adhuc Florente geſſiſſes? Quo Te ille plauſu proſequutus eſſet, cùm laborem ſtandi inter Patronos, honori inter Iudices ſedendi anteponeres; & cauſas diſertiſſimè doctiſſiméque priùs agere geſtires, quàm pro tribunali cognoſcere? cùm paternis inhærens veſtigiis, gradatim à privato Advocati officio, ad Senatoris in ſuprema Curia munus; hinc ad Libellorum Supplicum Magiſterium: inde, laudabili in Senatum regreſſu, ad Ge-*

Digitized by Google

neralis Advocati munus, difficillimam nempe totius orbis, ut ita dicam, Iuridicialis ſtationem, præclarè, ut priora munia, obtinendam, nulli impar oneri tranſgrederere?

Interrupit aliquantiſper ampliſsimæ hujus functionis tuæ curſum, ſed non abrupit, interveniens mors Parentis optimi, Tibi, nobiſque, imò Galliæ univerſæ acerba; ipſi, ſi annos æſtimes, nimis propera; ſi gloriam ſpectes, jamdiu matura. Iuſtiſſimo luctui & naturæ datum ultra id quod pietas exigebat, quodque ipſa patiebatur natura. Solamen Tibi tandem unicum ex actu rerum neceſſario, atque ex hereditario Regiæ publicæque rei amore; nobis ex Te, exque illuſtriſſimo Fratre tuo, in quibus revi-

viſcit màgnus Genitor, quantùm reviviſcere Heroës in poſteris poſſunt: adeò in vobis cuncta excellentiſſimo huic domeſtico exemplari ſimilia.

Nos igitur non modò tantarum familiæ veſtræ virtutum, geſtorumque illuſtrium teſtes, &, quoad vires ſufficiunt, præcones, (quo ſe honore nemini non jactare liceat;) ſed multorum debitores Beneficiorum, Te paterni in Iuris Facultatem Pariſienſem affectûs benevolentiæque heredem, arctiori etiam vinculo, graduum Academicorum qui viam ſternunt ad forenſes dignitates, & ſpecialis honorariæ conſociationis, Decanatus denique plures per annos humaniſſimè acti, conjunctum, harum Florentis in eadem Facultate Anteceſſoris eximii,

domuique veſtræ devoti, lucubrationum patronum Tuo pariter ac noſtro Iure optavimus. Ego imprimis (ut propria propenſæ tuæ erga me voluntatis indicia, aliaſque peculiaris in Te obſequii mei cauſas ſileam) eo certè nomine Tibi præcipuè devinctum me, devinctum Florentem ipſum profiteor, quòd benignitate tuâ, commodato horum ipſorum operum Codice, qui cum meo collatus, inſtar fuit autographi; hæc, quam parabam, editio aliquantò emendatior meâ operâ prodit. Tuus ille Codex velut appendix eſt Bibliothecæ autoris, quam callentiſſimus Pater tuus dignam cenſuerat, quæ veſtræ partem faceret non indecoram. Sic ad Te redeunt hæc Viri clariſſimi ſcripta, Tibi ut

debita, ſic libentiſſimè oblata, dicataque. His itaque paulò commodiùs, quàm manu exaratis uti, & Tibi, & per Te ſtudioſis omnibus licebit. Vale.

Dabam Lutetiæ Pariſiorum
Idibus Febr. anno Domini
M. DC. LXXIX.

EPISTOLA NUNCUPATORIA ab Autore præfixa duobus Selectarum Juris Canonici Diſſertationum libris anno 1632.

Illuſtriſſimo ampliſſimoque viro

HENRICO MEMMIO,

SACRI CONSESSUS CONSILIARIO, ET PARISIENSIS SENATUS PRÆSIDI PRUDENTISSIMO,

Domino de Balagny, Mogninville, Mauru, *&c.*

FRANCISCUS FLORENS S.

DE Jure Canonico ſelectas Diſſertationes in publicum edituro, PRÆSES ILLUSTRISSIME, cujus præſidium & opem implorem, unus ex omnibus mihi feliciter occurris, qui originem & cauſas utriuſque ſubtili ingenio & ſolertia inveſtigatas cognoſcis. Accedit artis & ſcientiæ perfectæ cognitioni, quam habes, uſus, & ipſis rerum argumentis confirmata prudentia; quam qui ſpernunt, ſtultam & inanem gloriam ex Iuris doctrinâ aucupantur: parum eſt enim jus eſſe, niſi ſint qui Jura regere poſſint. Exactam illam Juris intelligentiam, & ſingularem in Jure dicundo prudentiam, per quam effectus Juris & Legum accipitur, omnes in te vigere mirantur. Audax

ego fortè, qui doctiſſimum Præſidem inconſultus & parum prudens, qui publicis negotiis diſtinctum interpello. Verùm hoc efflagitat ſummi beneficii recordatio, quo tuo patrocinio fretus ad Anteceſſoris munus me promotum fuiſſe, & ampliſſimi Senatus Decretum, tuúmque judicium optimis & honeſtiſſimis artibus promeruiſſe ſplendidè profiteor. At hæc quidem cauſa ſcribendi priva eſt, nec egreditur perſonam? Invitat prætereà communis illa & publica, ſcilicet inſignis comitas & benignitas, quâ eruditos omnes complecteris, innata genti Memmianæ virtus, quam à majoribus delatam adeò ſtudioſè foves & excolis, ut præcipui quodam titulo ſolidam cepiſſe videaris. Propriâ illâ tuâ humanitate provocatus, non omnibus notam; imò paucis cognitam, ſed veram Iuris Canonici interpretandi rationem ſuſcipio; quid ſi veterem dixero, & recentatam potiùs quàm recentem, quid ſi à doctiſſimis Anteceſſoribus indicatam, quid ſi in primis neceſſariam, verum pretulero? Hæc ſi foret æquè cognita omnibus ac tibi, verbis parcerem; ne tamen imparatos & delicatulos aliquos Cenſores offendam, paucis Diſſertationum noſtrarum ordinem & methodum aperiam. In libro primo occaſione rapta ex interpretatione trium capitum Decretalium Gregorii IX. ſimilis illi, qui reperto ſcalmo in littore, navem ædificare geſtiebat, quinque celebres in Iure Canonico tractatus abſolvi. In ſecundo de origine, arte & authoritate Iuris Canonici quid præſtiterimus in præfatione expoſitum eſt: hîc tantùm monemus in eo potiſſimùm libello facilem & planam ſcribendi methodum nos eſſe ſecutos, & ſtudioſorum commodis inſerviiſſe. Nec enim dubitamus ea,

quæ in eo tractantur, ferè omnia viris doctis eſſe notiſſima; eadémque ratione in aliud tempus omiſimus difficiliores tractatus, de authoritate particularium Conciliorum, &, de variis Collectionibus Canonum Africanorum; in quibus multa effugiſſe doctiſſimorum virorum diligentiam, qui in illis recenſendis & illuſtrandis utilem operam poſuerunt, aliquando oſtendemus. Superſunt & aliqua quæſtioni de Sardicenſi Antiocheno Concilio addenda. In noſtro autem Commentatio ad titulum de vita & honeſtate Clericorum, prætermiſimus, quæ ab aliis, qui in illum titulum ſcripſerunt, vel ex profeſſo, vel apertè ſatis explicata ſunt; in reliquis operam noſtram collocaturi, quæ vel ſtudio, vel aliâ qualibet causâ prætarita & neglecta, vel omnino non animadverſa, aut non ſatis enucleata fuerunt. Brevem quinetiam ſingularum Diſſertationum comprehenſionem & ſynopſin, certo conſilio, indicis vice initio præmiſimus; quam ſi quis ab ipſis Diſſertationibus divellere malevolè ſtudeat, in alieno libro ſe nimis ingenioſum, fortè & odio dignum prodiderit. Poſtremum in opere univerſo hac adnotatione opus eſt, velut edicto monitorio. Ut nihil antiquitatis penitùs ignoretur, ordine temporum obſervato, ab antiquis Canonibus inchoare ſoleo; quid media Iuriſprudentia induxerit, quid addiderit, quid immutaverit ſubjungo; aliarum gentium mores & inſtituta ideò tantùm delibans, ut in Gallicanis Conciliis & ſcriptoribus preſſiùs gradum firmarem. In Collectoribus & Interpretibus Conciliorum & Canonum, ſive Græcis, ſive Latinis evolvendis, herciſcundorum Iuriſconſultorum, vel Eclecticorum Philoſophorum morem tenui, eos ut In-

terpretes & Tractatores, non ut Legiſlatores verſavi. Conditorum quippè & Legiſlatorum longè diſpar ratio, quos autoritas publica & legitima poteſtas non notandos præcipit: ita per varias ætates & progreſſus juris ad jus noviſſimum ſenſim delabimur. Nempè Iuris Canonici, ſicut & Civilis variæ fuerunt vices, mutationes variæ, quas ſigillatim & per partes inquirere & excutere operæpretium eſt. Nec enim omnium Canonum æterna lex fuit, non par eademque omnium vis, nullumque diſcrimen: prout res ac tempora deſiderabant, quædam innovata, immutata, detracta vel addita; nec ideò quicquam temerè damnandum; non ſtatim varietatem conſiliorum inconſtantiam appellandam eſſe, ſed potiùs ſtatam fixamque in tuenda Eccleſiæ pace concordiaque conſtantiam viri prudentiſſimi cenſuerunt; quia diſpenſatio & œconomia, ſeu indulgentia, συγγνώμη, ut verbo Pauli utar, licèt aliquando laxet, non tamen ſolvit regulam & diſciplinam: ſingulis ſua ratio conſtat, quam indagare & expromere periti & prudentis eſt interpretis. Sed ea meliùs & prolixiùs in ipſis Diſſertationibus, quàm in epiſtola demonſtrabuntur; ſatis eſt aliis indicare, tibi (PRÆSES ILLUSTRISSIME) nec opus indicare, cui pridem intima prudentiæ Canonicæ juxta ac Civilis nota extiterunt. Abundè mihi parta laus eſt, quòd tu, quòd ſimiles tui, ſtudiorum meorum rationem probatis, animos additis, & cunctantem impellitis. Hoc novo beneficio & aliis innumeris arctiſſimè tibi devinctus, libellum hunc tuis titulis impoſitis, ex antiquo & ſolemni more præmunio, ut cùm titulos legerint, conterriti potentiâ & ſplendore nominis ſo-

phiſtæ & leguleii à cavillationibus abſtineant. Meminerint etiam me ſublevandæ memoriæ, vel potiùs oblivionis meæ gratiâ, Diſſertationes iſtas quaſi commonitoria quædam mihi paraſſe, quas paulatim recolendo, emendare & implere quotidie conabor; ne quid itaque præproperè & intempeſtivè in ſcriptis reprehendant, quæ adhuc promiſsâ emendatione, limanda edicimus.

EPISTOLA NUNCUPATORIA ab Autore præfixa novem Tractatibus in IX. *priores titulos lib.* I. *Decret. anno* 1641.

Illuſtriſſimo Viro Domino D.

PETRO SEGUIERIO, FRANCIÆ CANCELLARIO,

FR. FLORENS *Anteceſſor Aurel.*

DIGNITAS ſumma, quam cum admiratione & veneratione Galliæ univerſæ ſuſtines, ILLUSTRISSIME CANCELLARIE, incredibilis ad hæc & varia ſcientiarum, Iuris præcipuè Civilis & Canonici cognitio perfecta, rectæ conſcientiæ tenaci propoſito, & uſu frequentiſſimo firmata & conſummata, me vehementer percellunt, & velut injectâ manu retrahunt, de Iure Canonico Tractatus aliquot offerre properantem Parerem ſanè, & abſtinerem omninò, niſi tua ſingularis in literatos homines benignitas erigeret, & timorem excuteret. Addunt animos exempla doctiſſimorum virorum, quos ſæpiſſime excepiſti comiter, & adjuviſti: imprimis verò recreavit & induxit placidus & ſerenus vultus, quo vixdum inchoatum ex pluribus Tractatibus unum ſuſcepiſti, & reliquorum ſub tuis auſpiciis editionem non integram fore perhumanè ſignificaſti. Acceſſit tum cogitatio Quæſtoriæ dignitatis, amicum Iuriſconſultis nomen; tum materiæ, quæ eſt in manibus, argumentum conveniens. Quæſtoriam namque dignitatem eam no-

vimus, quam Imperatores & Legum latores appellant *Principis vocem, prudentum honorem, literarum gloriam, pontificum literatorum, famæ publicæ, Iuris & Legum theſaurum.* Quorum titulorum non nudum & ſpecioſum nomen affectas, ſed vim & poteſtatem, rebus manifeſtis & cotidianis experimentis, ad publica commoda directis, exprimere & promovere, vividâ & capitali virtute ingenii ſatagis Quod ad materiam pertinet, hoc uno fortè placuero, qui nec alienam, nec inutilem elegi: non incertus tamen monitoribus iſtis parum te indigere. Næ imprudens & imperitus, hoc ſi animo præcepiſſem. At nunquid in templis cotidie donaria, tabellæ, votiva munera ſuſpenduntur & apponuntur, quibus opus habere Deum Opt. Max. quis adeo vecors, aut ſacrilegus, ut exiſtimet? Tractandi præterea ratione, & formâ novâ voluptati & utilitati conſulere ſtudui. Deprehendebam quippe pleroſque veteres & novos Canonici Iuris Interpretes, non altiùs Iuris illius origines & fontes elicere, quàm ab uno Gratiano: raro Pontifices ipſos Decretalium Conditores aliundè deducere. Id operæ itaque ſedulò impoſui mihi, ut Canonici Iuris principia, progreſſus, cauſas, & momenta inveſtigarem & perpenderem. His enim, velut arietibus impelluntur & ſubvertuntur recentia pleraque Iura, quæ ſubtili ingenio excogitata primùm, & ſenſim amplificata, antiquæ diſciplinæ honeſtam & liberalem faciem aſcititiis & exoticis pigmentis deformant & decolorant. Verùm quid pluribus perſpecta tibi commemoro? patefient aliis ex totius operis lectione. Vix enim quicquam tibi ſcribitur in hoc opere: in quo præter animi dedititi & obſequentis teſtificationem,

& ſpem & expectationem majoris in his præclaris ſtudiis incrementi, quid tibi meritò placere queat, equidem non video. Illud fortè nonnulli ſeveriores & auſteriores improbaverint; æquiores & clementiores, nec imprudenter, nec inſubtiliter factum probaverint: quod ex magnitudine & ſplendore nominis tui, noſtro qualicumque conatui lumen & commendationem conciliare, cenſorumque aculeos ſubterfugere tentaverim. Agnoſco lubens; ſed abs te, ILLUSTRISSIME CANCELLARIE, quâ propenſione, quo amore erga Iuriſconſultos afficeris, hujus vel audaciæ, vel temeritatis veniam impetraturum me confido. Lutetiæ Pariſiorum, Kal. Februarii, An. Sal. M DC. CXLI.

FR. FLORENTIS

Digitized by Google

FR. FLORENTIS
ANTECESSORIS
VITA,
J. DOUJATII *operâ & ſtylo conſcripta.*

IN Alexienſi * Burgundiæ Ducalis tractu, patre Joanne in Senatu Divionenſi Advocato, matre Renatâ Ardillionia natus eſt FRANCISCUS FLORENS, vergente ad finem ſeculo ſuperiore. Is, emenſo apud Heduos ſuos Grammaticæ curriculo, ac ſolidè poſitis utriuſque linguæ, omniſque humanioris literaturæ fundamentis, Toloſam petiit anno MDCXV. in antiquiſſimo illo Muſarum domicilio, ac Legum præ cæteris altrice civitate, operam Iuriſprudentiæ daturus; veræ nimirum Philoſophiæ, quæ vitæ dux, juſtitiæque rectrix optima meritò cenſetur.

* à Arnay le Duc en Auxois.

Nobile illud Athenæum ſuâ luce tunc feliciter illuſtrabant eximii Iuriſconſulti, quorum elogia alterius loci ac ſtyli ſunt, Guilielmus Maranus; Joannes à Coſta ex Cadurcenſi Academia; Vincentius Cabotius ex Aurelianenſi evocatus; J. Cadanus, aliique. Et cæteros quidem Antecesſores audivit: ſed Marano præſertim & Coſtæ adhæſit, qui ambo magni quondam Cujacii auditores fuerant tanto digni Magiſtro. Hi præ cæteris, minùs antea cognitam atque à præſtantiſſimo Doctore ſuo acceptam utriuſque Juriſprudentiæ ex optimis Latinitatis auctoribus & prophana ſacraque hiſtoria illuſtrandæ atque interpretandæ viam

præclarè triverunt, & ex parte etiam amplificarunt. Coſtæ recitationibus per ſex annos ſe aſſiduum interfuiſſe FLORENS ipſe profitetur in Præfatione ad Tractatus novem in primos totidem titulos Decretalium. Sed præter quotidiana Antecefforum dictata, quæ interdiu excipiebat; præteritas Marani & Coſtæ prælectiones ab aliis acceptas exſcribebat nocturnis vigiliis; Tanta inerat diſcendi aviditas.

Inter condiſcipulos, quos in palæſtra juridica nactus eſt, *Petrum de Marca* Benearnum, *Franciſcum Boſquetum* Narbonenſem, *Innocentium Cironium* Toloſatem, ſcriptis ſuis omnes poſtmodum claros, memorare juvat; cumque his Tronchæos fratres Pariſienſes, Petrum Chuppæum & ...... Maquinum Andegavos. Horum prioribus, per Togæ munia ad Eccleſiaſticas primi ordinis dignitates ſua gradum virtus & eruditio fecit: *Marca* ad Epiſcopatum Conſorannenſem, deinde ad Archiepiſcopatum Toloſanum, ac tandem ad Pariſienſem; *Boſqueto* ad Lutevenſem primò, inde ad Montis-peſſulani Epiſcopatum. *Cironius* Cancellarii Eccleſiæ atque Academiæ Toloſanæ munus egregiè implevit. Tronchæorum alter Præſidis, Conſiliarii alter honore in Senatu Pariſienſi fulſerunt. Chuppæus & Maquinus Iuris peritiâ excellentes, ille in Academia poſteà Toloſana, hic in Andegavenſi Antecefforiam Cathedram ſuo merito aſſecuti ſunt.

Innotuit præterea FLORENS præcipuis doctiſſimi Senatus Toloſani proceribus, hoſpitio imprimis exceptus à Ioanne Gualberto Caminada Præſide infulato; ut cum ejus filio Philippo, præclaræ indolis tunc adoleſcente, poſtea cinguli paterni ſucceſſore digniſſimo, junctus familiari conſortio, per quotidianos ſermones ipſius ſtudia juvaret. Eum ego, ut ab utroque perliberaliter & honorificè cultus, ab aliis haud

paucis benignè habitus fuerat; Toloſatum noſtrorum ſingularem in literatos homines humanitatem, nec ficto, nec perfunctorio elogio prædicantem non ſemel audire me memini.

Sic Iuris utriuſque hauſtâ puris è fontibus ſcientiâ, ejuſque pleno quaſi flumine inundatus FLORENS, per Biturigas, (ubi ſemel aut iterum Emundum Merillium convenit) in patriam redux, Advocatorum in ordinem relatus eſt, atque annis aliquot in Senatu Divionenſi cum laude verſatus. Id Vir clariſſimus Carolus Fevretus teſtatur in dialogo de Claris Fori Burgundici Oratoribus: ubi Florentem cum Benigno Millotetio Senatore & Nicolao Chevanio, Fori ejuſdem Patrono, ea de re colloquentem inducit. Ibi apud Præſidem Giruſium patrem, qui olim Cujacii auditor, aſſiduâ lectione ac meditatione in conſummatum evaſerat Iuriſconſultum, familiariter vixit: ſive ipſius Bibliothecæ curator, ſive filii ſtudiorum rector, qui felici ingenio in propriam tandem perniciem infeliciter eſt abuſus.

Verùm ad majus theatrum vocabat Florentem natus ad maxima quæque genius, & digna ampliſſimo quovis munere doctrina. Primo fermè Lutetiam adventu Magiſtratibus primariis notus, atque in pretio fuit: ab Henrico imprimis Memmio, Prætore tunc Pariſienſi, ac poſtmodum Præſide primi ordinis, domum invitatus, quæ (pro nobilis & eruditæ gentis illius more) doctorum virorum, in quocumque ſcientiarum genere præſtantium, commune ſemper ac nobile velut receptaculum fuit.

Is, ut Boſqueti, aliorumque, & poſtremò Henrici Valeſii, ſic intermedio tempore, FLORENTIS noſtri operâ annis aliquot uſus eſt. Hic ex Memmii amicitia facilem habuit aditum ad hominum eru-

ditorum, quotquot ferè Pariſiis tunc agebant, familiaritatem; Hieronymi, dico, Bignonii, Hugonis Grotii, Iacobi Sirmondi, Puteanorum fratrum, Petri Haberti, pluriumque Advocatorum, in quibus Petrus Pithœus, (Antonio Petri & Franciſci Pithœorum fratre natus,) Ioannes Vaſſanus (eorumdem Pithœorum ſororis filius) Nicolaus Rigaltius, Carolus Labbæus, Ioannes Iobertus, Claudius Capellanus, Iacobus Bobæus Caroli Molinei nepos, & Guillelmus Bluëtus.

His præſidiis, propriiſque meritis ſuffulto, Aurelianenſem Anteceſſuram, quæ, aucto ante aliquot annos à quaternario ad ſenarium, ob concertantium copiam, numero, jamdiu obitu Radulphi Fornerii vacabat, ambiendi ſeſe obtulit occaſio. Itaque poſt Doctorales ex utroque Iure Theſes propugnatas, obitaſque publicas prælectiones, FLORENTI, qui has velut Probatorias Recitationes ſuas ediderat, Anteceſſorium munus adjudicatum eſt Senatuſconſulto, quod prolatum fuit Maio menſe anni MDCXXX.

Ab eo tempore in Aurelianenſi Auditorio FLORENS Ius utrumque magna cum laude per annos fermè quatuordecim docuit: ſed ita ut feriarum tempore Lutetiam ſubinde excurreret excolendis amicis, tum antè memoratis, tum recentioribus aliis, atque imprimis Ludovico Nublæo & Ægidio Menagio.

Anſa inde amicis data de eo ad Pariſienſem Scholam Iuridicam evocando cogitandi. Vacuum in ea locum fecerat mors Alexandri Hænautii *de Beauregard* Anteceſſoris. Itaque agente Philippo Buiſinio Anteceſſorum ſuperſtitum poſtremo, qui apud Matthæum Molæum Generalem eo tempore Regis in Senatu Procuratorem, primum poſteà Præſidem ac Sigillorum Cuſtodem, in gratia erat, atque accedente Nu-

blæi operâ ea res fauſtum tandem habuit exitum; cùm Ioannes Dartiſius Anteceſſorum Primicerius, & Claudius Butellerius Secundicerius tanto interceſſori FLORENTIS cooptationem denegare religioni duxiſſent. Ut autem ampliſſimis conditionibus ea evocatio inſtitueretur, per Petrum Habertum, Vabrenſem poſtmodum Antiſtitem, apud Petrum Seguierium Franciæ Cancellarium, propriâ eruditione æquè ac eruditorum patrocinio nunquam ſatis laudatum, effecere Buiſinius & Nublæus: idque eò faciliùs à Seguierio impetratum, quòd is FLORENTEM Petro Seguierio, Tanaguidi Præſidis filio, ſpei reliquæ familiæ ſuæ, Præceptorem Iuris deſtinabat. Sic Regiis Codicillis Fr. FLORENS Anteceſſor Aurelianenſis ad ſimilem in Pariſienſi Academia dignitatem propter eminentem Iuris utriuſque ſcientiam tranſlatus eſt. Regiæ in eum annuarum mille ducentarum librarum munificentiæ literas apud Rationalium tribunal, non ſine grata juſtaque FLORENTIS commendatione Ioannes Bocheratius retulit, vir & ipſe literatus, & literatorum amans, ordinis ejus Decanus.

Fixis in urbe principe laribus, FLORENS ipſo menſe Iunio anni MDCXLIV quo evocationis reſcriptum in acta Senatus relatum fuerat, Recitationes ſuas in Auditorio Pariſienſi eſt auſpicatus. Hinc Academicis exercitationibus ſic incubuit, ut paulatim hæc ipſi occupationum pars non maxima fieret. Non quòd functionibus ſuis deeſſet: ſed eum eruditi pariter & eruditionis avidi pro ſe quiſque invitabant, adibant; non officii tantùm & colloquiorum jucundè miſcendorum cauſâ, ſed vel magis conſulendi, aut ex liquidis ipſius fontibus hauriendæ doctrinæ. Congreſſibus imprimis propè quotidianis plures per annos cum primariis Libellorum ſupplicum Magiſtris Guilielmo La-

monio, Michaële Marilliaco, Ludovico Bocheratio Ioannis antè memorati filio (qui prima omnes in Senatu, aut in Regio Conſiſtorio loca digniſſimè poſteà tenuere, aut adhuc tenent) ardua quæque Iuris argumenta diſceptavit. Quin & non paucis privatis, ſed ſelectis Auditoribus vacare coactus eſt. Inſtituti ab eo tum alii, tum Petrus Seguierius, de quo diximus, Præpoſitus paulò pòſt Pariſienſis, & ... Turnevilla Rothomagenſis, Emerici Marci *de la Ferté* Cenomanenſis Epiſcopi fratre natus, acerbo uterque fato in ætatis flore abrepti; tum Dionyſius Talonius, Ioannes Doujatius, (quem fas mihi pro gentis noſtræ capite revereri) Carolus Raveria, Iacobus Verrerius, Ioannes Chuppæus. Hi tres in Foro principe florent cauſarum patrocinio: Talonius Audomari, Generalis in Senatu poſt Iacobum fratrem Advocati, filius, patrui nunc, patriſque non magis nomen ac dignitatem ſucceſſor obtinet, quàm præclaras laudes quaſi heres nominis implet, ac nobili velut æmulatione propriis cumulat. Doujatius verò paterni, ut muneris, ita ingenii (quod haudquaquam vulgare) heredem ſe præſtat eximium.

Tranſactis publico applauſu in Anteceſſoris apud Pariſios officio annis paulò ampliùs ſex, fatali neceſſitati conceſſit, Aureliani, quò per ferias Autumnales ad viſendos veteres collegas, & componenda negotia domeſtica diverterat. Ibi me aliud cogitantem paulò antè amica adhortatione excitaverat ad publicam Iuris interpretationem ſuſcipiendam, quò me vocabat etiam eodem tempore Ioannes Dartiſius, oſtenſâ Profeſſorii muneris ſpe, quo ipſe Regio in Collegio fungebatur. Quorum utrumque citiùs quàm optaveram, amborum nòn tam ope ac ſuffragiis, quàm obitu adeptus, hoc illis in gemina Profeſſione deceſ-

ſoribus meis grati animi teſtificandi causâ poſtremum officium debere putavi, ut eorum opera, quantâ poſſem diligentiâ, tanquam pretioſas reliquias undecunque collectas, bono publico ederem.

Sepulturæ honorem ſortitus eſt FLORENS in Cæmeterii majoris Aurelianenſis ferè meditullio, additâ hac Epigraphe. *Franciſcus Florens ad Arnæum Ducis nobile apud Heduos oppidum honeſtis parentibus & probis natus, poſt navatam per aliquot annos apud Tectoſages Iuriſprudentiæ operam: primùm Divioni in Senatu cauſarum Patronus, deinde Lutetiam profectus, Acroamaticus in foro dicere cœpit; mox in Aurelianenſi civitate Anteceſſor, Ius ibi Civile & Canonicum docuit: & pluribus editis operibus, palam fecit in Iure Canonico neminem ante ſe aut plus vidiſſe, aut potuiſſe. Aureliæ fatali morbo interceptus, hîc ſitus IV. Kal. Novembris anno* M. DC. L. *reſurrectionem expectat.* Ubi mirum ſanè oblitos auctores evocationis Pariſinæ, quaſi dedecori eſſet, aut ipſi in urbem principem aſcitum, atque in ea docuiſſe; aut Aurelianenſi Iuris ſcholæ ejus primitias delibaſſe, qui dignus fuerit habitus quem optaret Academiarum omnium parens.

FLORENTIS doctrinam & ſcribendi rationem hæc ejus ingenii monumenta teſtantur. Moribus fuit probis, candidus, ac verè Chriſtianæ pietati addictus, ut appareret ejus menti altè inſediſſe religionis Catholicæ veritatem. Unde & Apoſtolicam Sedem Romanam ſincerâ veneratione colebat, ſine detrimento tamen jurium Eccleſiæ Gallicanæ. Quoad licebat, in Parochia ſua divinis intererat; aut quando conciones Eccleſiaſticas non vacabat audire, earum loco S. Ioannis Chryſoſtomi homilias lectitabat. Auditores ſuos, quos habebat peculiares, ante annum ſtudii juridici tertium ægrè patiebatur forum audiendis cauſis frequenter obire: jacienda priùs affirmans Iuris Civilis fundamenta,

quod ſub hæc initia alieni mixturam non admittat ſine gravi confuſionis periculo.

Cum uxore concordiſſimè vixit. Nomen illi Eliſabetæ Bordeauſſiæ, quam duxit Iulio menſe anni MDCXXXVIII. Ea ſoror erat natu minor. ... Bordeauſſiæ nuptæ Iacobo Gyvezio Fiſci Patrono in Prætorio Aurelianenſi. Natæ ambæ .... Bordeauſſio cive & ipſo Aurelianenſi, qui non mediocribus honeſtâ negotiatione partis opibus, mercaturæ vale dixerat.

Filias FLORENS reliquit tres: quarum vetuſtiſſima Roſa Maria ab Illuſtriſſimo Guilielmo Lamonio, qui Senatus poſteà Princeps, è ſacro fonte ſuſcepta, viro nobili Antonio Dammartino Gironvillæ, Legionis Ramburanæ veteris Legato nupſit. Altera Franciſca meliorem partem eligens, Deo ſe conſecravit, Sanctimonialium albo in ſanctæ Urſulæ Balgenciacenſi cœnobio adſcripta, ubi ſanctè ante paucos annos mortalitatem exuit. Tertia, nomine Eliſabeta, viro illuſtriſſimo Dionyſio Talonio ſponſore ſacris undis luſtrata, virtutis formæque conſpicuæ, in connubio eſt viri nobilis Iacobi Clerici Domini de Doüy, in Præſidiali Aurelianorum Sede Conſiliarii digniſſimi.

Uxor FLORENTIS alteris cum Franciſco *le Grand* Fiſci Advocato in Tribunali Aurelianenſi initis nuptiis, non multo poſt tempore nullis ex eo liberis exceſſit è vivis.

Hæc propriis partim oculis colloquiiſque mihi cognita, partim ex familiaribus autoris noſtri amicis, Nublæo imprimis, Menagio, Chuppæo; partim ab ipſius in Aurelianenſi Academia digno ſucceſſore, Haymone Pruſto Camburgio accepta, uti ad me pervenere, ita bona fide putavi reddenda.

PRÆFATIO.

PRÆFATIO
AD LECTOREM,
de Inſtituto, Operis partitione, & in eo præſtitis.

HABES, *amice Lector, quicquid clariſſimi Juriſconſulti* FRANCISCI FLORENTIS *Operum colligere licuit, in duas Partes diſtributum. Prior opera ab Autore ipſo vulgata complectitur, quorum jam exempla rariora à multis deſiderabantur: altera operum eſt poſtumorum.*

Ipſo ſuperſtite edita fuerant volumina præſertim duo: alterum octuplici forma, ſub titulo Diſſertationum ſelectarum Iuris Canonici, *ſubjecto Commentario ad titulum de* Vita & honeſtate Clericorum, ad illuſtr. Præſidem Henricum Memmium, Pariſiis apud I. Camuſat anno 1632. *quo volumine comprehenſa opuſcula, cum Theſibus ab autore, in experimento Aurelianenſis Anteceſſuræ causâ dato, propugnatis, biennio antè magna ex parte typis fuerant mandata ſub hac epigraphe,* Franciſci Florentis I. C. Diſſertationes de Lege Diœceſana, de Exemptionibus Religioſorum, de Præſcriptionibus & interruptionibus præſcriptionum, de antiquo ſtatu

Religioſorum in Gallia : *cujus editionis , à mē olim viſa , memoriam mihi refricavit Clariſſimus J. C. Aurelianenſis Haymo Pruſtus, de quo mox plura. Alterum volumen* Tractatuum in novem priores Titulos libri primi Decretalium Gregorii IX. *inſcriptum eſt, quibus præfixa accurata Diſſertatio* de Methodo & autoritate Gratiani, & reliquorum poſt Gratianum Collectorum Decretalium ; *adjectaque* Summaria Ioannis à Coſta in eoſdem Titulos : *id* Lutetiæ *quoque apud* Sebaſtianum Cramoiſy anno 1641. *prodierat formâ quadruplici , ſub auſpiciis viri maximi* Petri Seguierii Franciæ Cancellarii.

Horum duorum voluminum exemplaria, adſcriptis ad marginem Autoris manu ſecundam editionem meditantis, tum emendationibus, tum notis atque additamentis ditata , & poſterioris Codicem manuſcriptum , communicavit liberaliter vir clariſſimus Haymo Pruſtus Camburgius, *antè memoratus , Anteceſſor Aurelianenſis, Antonii Pruſti Bituricenſis Anteceſſoris filius , Scævolæ ab armata ad Togatam militiam tranſgreſſi nepos, eruditis ipſe quoque ſcriptis cognitus. Ejus ergo humanitati debentur, tum adhibitæ ex mente Autoris Correctiones ; tum Annotationes marginales, & inſerta contextui, quæ idem autor addenda putaverat ; quæque hic ibi uncino duplici incluſa reperies , hac formâ* [ ]. *Sic &,*

emendatior & locupletior exit hac operum illorum editio.

His acceſſit brevis Commentarius de Nuptiis conſobrinarum : *adjecta præterea duæ Orationes ſive recitationum Præfationes, ſeorſim diverſis temporibus editæ : altera de* recta Iuris Canonici diſcendi ratione *in ſcholis Juris Aurelianenſibus,* anno 1632. *altera de* Diſpenſationibus Eccleſiaſticis *in publico Juris Auditorio Pariſienſi,* anno 1648. *typis Cramoſiorum fratrum. Hos itaque tres Commentarios ſub finem primæ Partis habebis.*

In alteram Partem conjecta ſunt quæ nondum publicam viderant lucem, quæque, quâ potui diligentiâ, collegi, novem nempe utiliſſimi Juris Canonici Tractatus, quorum pleroſque in Schola Pariſienſi Autor dictaverat. Hi mendis non carebant, quibus ſcribentium ſive incuria, ſive inſcitia eos aſperſerat : ſed eis emendandis magno uſui fuere exemplaria, quæ nobis ex Lamonia Bibliotheca, quam Florentis ipſius libraria ſupellectile auxerat vir incomparabilis Guilielmus Lamonius, primus Senatus Pariſienſis Præſes, ejus voluntate ſuppeditata ſunt ab Illuſtriſſimo Chriſtiano Franciſco, digniſſimo filio, in eadem Curia Advocato Generali. Ejus Codice continebantur Tractatus quinque.

I. De Statu Regularium ad Cauſas XVI. ac ſequentes Decreti.

II. De antiquo jure Patronatus, & ejus origine, ad Canones aliquot Cauſæ XVI.

III. De Sponſalibus & Matrimoniis ad Cauſas XXVII. & ſeqq. ad ultimam.

IV. De Præbendis & Dignitatibus ad tit. 5. Lib. III. Decretal.

V. De Iure Patronatus ad tit 38. lib. ejuſdem.

In quatuor reliquis magis laborandum, & alicubi dandum nonnihil conjecturæ fuit. Hi ſunt ſequentes.

I. De Iuriſdictione Eccleſiaſtica ad Cauſam XI. quæſt. 1.

II. De Officio Iudicis Delegati ad tit. 29. lib. 1. Decretal.

III. De Officio Legati ad tit. 30. ejuſdem libri.

IV. De Officio Judicis ordinarii ad tit. 31. ejuſdem lib. 1.

Ad hæc vir clariſſimus Ludovicus Nublæus, Advocatus, cujus notiſſimum inter Literatos nomen, & cum antiqui moris virtute conjuncta Juris omniumque bonarum artium peritia, pro ſuo promovendorum ſtudiorum perpetuo deſiderio Notas *adjecit in* Paratitla Decretalium Alex. Chaſſanæi, *uberiores iis quas ego aliàs cum Chaſſanæi opere edi curaveram.*

Et ut aliquod extaret ſpecimen, ex quo conſtaret quid Florens poſſet in Jure Civili, commodùm

accidit ut Nublæus idem ejus generis aliquid nobis ſubminiſtrare potuerit. Ei enim amici monumenta reſque omnes adeò cordi atque in pretio erant, ut eorum nihil negligendum duceret; nam & Tractatuum in primos Decretalium titulos edendorum curam ultro ſuſceperat, teſte ipſo Florente in Præfatione. *Is itaque Recitationes Autoris contulit in* Titulos Digeſtorum & Codicis de Solutionibus & Liberationibus; *quibus Leges ſingulæ eruditè & eleganter enodatis difficultatibus enucleantur.*

Ne verò eorum, quæ ex Manuſcriptis nunc eduntur, dubium quicquam Autori à nobis affingi quis exiſtimet, ipſius ferè omnia teſtimonium habent publicum: etenim ſub finem Orationis de Diſpenſationibus, quam in Pariſienſis Juris Auditorio habitam ſtatim emiſit in lucem, profitetur ſe Monaſteriorum & Monachorum ordinationes, & in clerum adoptiones, eorumque innumera privilegia *tractanda eo anno ſuſcipere, quod exequutus eſt in tractatu de* ſtatu Monachorum. *Agnoſcit ibidem ſe in eodem publico Juris Auditorio ſigillatim explicuiſſe* cauſas Matrimoniales, & perplexas Beneficiorum, Præbendarum, & Dignitatum quæſtiones: *itemque* Eccleſiaſticorum & Laïcorum Patronorum multiplicia jura *expoſuiſſe publicè, & jam harum prælectionum recognitarum publicationem meditari. Quibus verbis Tractatus in licat* de

Sponſalibus & Matrimoniis, de Præbendis & Dignitatibus, ac de jure Patronatus.

Præterea initio hujuſce Tractatus de Jure Patronatus pag. 251. *priorem tractatum ſuum citat de* Veteri jure patronatus : *ex quibus reliquis fides fit, qui ex ore dictantis excepti, ejuſdem cum illis ſaporis haud dubiè ſunt.*

Ex Joannis à Coſta diſciplina multùm ſe profeciſſe Florens non fatetur modò, ſed gloriatur; eumque tanquam virum doctiſſimum, qui prioribus ignota multa detexiſſet, veterumque ignorantiam atque errores emendaſſet, pluribus operum ſuorum locis laudat, ut videre eſt tum in vulgatis ab ipſo ſuperſtite voluminibus pag. 65. 88. 98. & 262. primæ partis : tum in poſtumis ad priorem adjectis editionem, ejuſdem partis primæ pag. 20. ad marginem, & pag. 275. in ultimo additamento. Quod tamen obtrectatores & malevoli cavillari auſi ſunt illius ſcriptis ita uſum Florentem, ut paucis de ſuo additis aliena pro ſuis haberi vellet : id quàm à vero ſit alienum, oſtendunt Coſtæ Recitationes à Florente in eoſdem cum ſuis titulos bonâ fide editæ. Qua de re ipſe Florens in Monitione ad Lectorem ſeu Præfatione Tractatuum novem in totidem primos Decretalium titulos pag. 65. & 66.

Si nobis autographorum Florentis Codicum facta copia fuiſſet, & hæc emendatiora, & reliqua ejuſdem opera non mediocri bono publico prodiiſ-

ſent, in quibus Notas indicare licet aut commentarios in Africana Concilia, cum Ferrandi & Creſconii Breviariis Canonum, quos defunctus invicem contulerat ex manuſcriptis, omniaque in meliorem ordinem reſtituerat; quemadmodum à fide dignis teſtibus accepi. Sed apud quemcunque hæc Florentis ſcripta lateant, nihil miror ab eorum poſſeſſore hos velut theſauros, homini literato nequaquam contemnendos, retineri.

In iis quæ nanciſci licuit, edendis data eſt opera, ut quantum in nobis erat, legentium commodo conſuleretur. Ea de cauſa Indices quatuor confecti ſunt. Primus Tractatuum, *tum veterum, tum recèns editorum, qui huicce Præfationi ſubjectus eſt. Alter* Capitum *ſeu articulorum præcipuorum cujuſque tractatus; qui in utriuſque partis capite habentur. Tertius* Autorum, *qui emendati aut dilucidati. Quartus denique* Rerum & Verborum, *quæ in utraque parte continentur: hos duos ad calcem partis ſecundæ rejecimus.*

In codicum collatione atque emendatione, non levi adjumento mihi fuit ſtudioſiſſimus harum rerum M. Iacobus Girardus *è Carnotenſi diœceſi, vetus Facultatis noſtræ alumnus, induſtriâ ac eruditione inter primos; cujus labori atque ingenio multùm debebunt quicunque ex horum operum editione fructum aliquem capient, quos bene multos confido futuros.*

Nec parùm & M. Ludovico Boivin, *Facultatis*

quoque noſtræ Doctori debebunt, quibus minùs familiaris eſt Græcus ſermo; fortè & qui eum apprimè callent. Cùm enim mihi per publicas privataſque occupationes non vacaret loca Græca & ſententias à Florente adductas inquirere, & in Latinam linguam transferre: ipſe ſponte ſuam in id operam obtulit, utiliterque impendit, tum repræſentatis dictionibus, lociſque Autorum, tum expreſsâ Latinè illorum interpretatione, quam poſt Synopſin operum primæ partis excuſam invenies.

Porrò, cùm Bibliopola in animo haberet Commentarios duos, quorum exemplaria non facilè reperiebantur, typis iterum deſcribere, Nicolai *nempe* Janvarii de Jure & officio Archidiaconi, *&* Joannis Tornetii de Abſolutione ad cautelam: *neminem ægrè laturum exiſtimavit, ſi hæc opera attexeret; quæ utilitate ſuâ non carent, nec à Florentis propoſito videntur omnino abhorrere; certè voluminis molem haud nimis augebunt.*

SYNOPSIS

SYNOPSIS

OPERUM SIVE TRACTATUUM.

Primæ partis.

DISSERTATIONIS.

De origine, arte & autoritate Juris Canonici.

DOCTORIBUS *& Auditoribus Juris Canonici neceſſaria quædam proponuntur.* pag. 1
Aliqua referuntur cauſæ neglectæ & non intellectæ Juris Canonici doctrinæ. 2
Remedia, utilitas & methodus hujus libri. ibidem.

Partis primæ, qua continentur duæ Juris Canonici diviſiones.

Diviſionum utilitas. p. 2
Diviſio duplex Juris Canonici, vel ratione materiæ & ſubjecti, vel ratione formæ. Ratione materiæ Jus omne Canonicum vel ad finem, vel ad mores pertinet. 3
Probatur illa diviſio autoritate plurium Conciliorum generalium. 3. 4
Diſtinguendum eſſe inter legitimam Synodum ſextam, & pſeudoſynodum ſextam. 4
Itemque inter legitimam octavam, & pſeudoſynodum octavam. ibid.
Duæ regulæ obſervandæ circa diviſionem allatam, quæ confirmantur adductis exemplis. 5. 6
Præceptiones aliæ immobiles, aliæ mobiles. 5
In mobilibus poteſt juſta de cauſa procedere Eccleſiaſtica diſpenſatio. ibid.
De nomine οἰκονομιας. ibid. & p. 6
Secunda diviſio ratione formæ in Ius ſcriptum & non ſcriptum, & ejus confirmatio. 6. in fine, 7. & 8.
Quid ſit traditio, & ejus autoritas. 7
De Conſuetudinibus generalibus univerſæ Eccleſiæ, & particularibus alicujus Eccleſiæ. 8
Scripturam non impedire, quominus conſuetudo vel traditio Juri non ſcripto tribuatur. ibid.
Subdiviſio Iuris ſcripti in Scripturas ſacras & Canones. 8 in fine.
Canon de libellis diſtinct. xx. attingitur. 9. 11. 19. 28
Sacrarum Scripturarum ſubdiviſio. 9. 10
Explicatur Scripturarum diviſio in eas, quæ in Eccleſia ſunt receptæ; in controverſas & apocryphas. ibid.
De autoritate Scripturarum. 10. 11. initio.

Secundæ Iuris ſcripti ſpeciei, quæ ad Canones pertinet, ſubdiviſio in Concilia, Conſtitutiones Pontificum, & dicta Patrum. Ejus confirmatio & ordo. 11. 12
Conciliorum origo & autoritas, & eorum diviſio. 12. 13. 14
*Explicatur locus Actorum cap.*15. viſum eſt Spiritui ſancto & nobis. 12. 13. init.
Regula obſervanda quando Concilia inter ſe videntur pugnare. 14
Error Gratiani notatur. ibid.

Partis ſecundæ, de variis Canonici Juris Collectionibus : & primò Orientalium ſive Græcorum.

Connexio partis ſecundæ cum prima. 15
Quæ ratione & methodo digeſta Concilia ad nos pervenerunt. 15
Collectiones Iuris Canonici dividuntur in Collectiones Eccleſiæ Orientalis & Occidentalis : confirmatio ſummæ illius diviſionis. 16
Methodus iſtius Diſſertationis, in excutiendis Collectionibus ſingulis. ibid.
Antiquiſſima Orientalium Collectio, quo tempore videtur edita, & quid contineat. 16
Alios poſteà Canones fuiſſe additos. ibid.
Ars & methodus illius Collectionis duplex, ejus utilitas. 16. & 17. initio.
Ejus autoritas. ibid.
De Antiochenis Canonibus. 17
An Canones omnes illius Collectionis ſint ejuſdem autoritatis. 17. in fine.
Solutio difficultatis. 18
Controverſia de Sardicenſi & Antiocheno Concilio. 19. & 20. initio.
Probabile videri antiquiſſimam iſtam Collectionem, Orientalium potiſſimum fuiſſe propriam. 20. in fine.
De autoritate Canonum Antiochenorum pleniùs. 20. in fine, & 21
Evenire ſæpiùs, ut alicujus Concilii quamvis generalis, non omnes Canones ſuſcipiantur ab omnibus ſimul Eccleſiis, nec tamen propterea ſcinduntur Eccleſiæ. 21. in fine.
Secunda Collectio nondum edita, quæ in MS. Theodoreti Cyri Epiſcopi nomen præfert. 22
Quo tempore edita. ibid.
Quid contineat. ibid.
Ejus ars, methodus & autoritas. 22. in fine, & 23
De Canonibus Baſilii, & quo tempore primùm inſerti. 23
Quo tempore Leges Collectionibus Canonum ſubjici primò cœperint, & de Joanne Scholaſtico. ib.
De noviſſimis Collectionibus Græcorum, earum methodo & autoritate. 24 & 25. initio.
Brevis iſtius partis ſecundæ collectio & concluſio. 25

Partis tertiæ, de Collectionibus Occidentalium, antiquis & novis.

Connexio partis tertiæ cum ſecunda, ejus ordo & diſpoſitio. 25
Quomodo Concilia in Oriente habita, & eorum Canones ad nos pervenerunt. 26
De origine, methodo & autoritate antiquiſſimæ Collectionis & interpretationis

Canonum apud Occidentales recepta. 26

Quid ſi de numero & autoritate Canonum in Occidente dubitaretur. 27. initio.

Ferrandi breviatio Canonum excutitur, ejus methodus & autoritas. 27

Ferrandus notatur. 28. initio.

Dionyſii Exigui Collectio quid contineat. 28

Errores duo in editione Moguntina & Pariſienſi Codicis Eccleſiæ Romanæ. ibid.

Methodus Dionyſii. ibid.

Primus adjicit Decreta ſummorum Pontificum. 29

Autoritas collectionis Dionyſii. ibid.

Quo tempore in Galliis frequentata eſt. ibid.

Creſconius methodum totius Collectionis Dionyſii contexuit. 30. initio.

Martini Bracarenſis Collectio, methodus & autoritas illius collectionis. 30

Gratianus reprehenſus. ibid. ſub fine.

Collectionis quæ Iſidori nomine circumfertur, origo, methodus & autoritas, & ad eam obſervatio. 31. & 32. initio.

Capitularium Regum noſtrorum & Conciliorum Gallicanorum Collectiones variæ. 32

De noviſſimis Collectoribus, & quo tempore apud Latinos dicta Patrum, & excerpta Legum Collectionibus Canonum admiſceri cœperunt. 33. initio.

Gratiani Collectio. Judicium Antonii Auguſtini de Gratiano probatur. Item Pariſienſis Epiſcopi cenſura. 33. in fine, & 34. initio.

De variis Collectionibus Decretalium ex quibus confecta eſt Decretalium Gregorii IX. poſtrema. 34. 35

Juris Canonici & Civilis quanta ſit autoritas in Gallia. 35. in fine.

Subjicitur præfatio Theodoreti in ſuam Canonum Collectionem, de qua mentio facta fuerat pag. 22. 37. 38. & ſeq.

Itemque ſequitur Epiſtola Dionyſii Exigui, quam propoſuerat Decretis ſummorum Pontificum, de qua mentio facta fuerat pag. 28. 39. 40.

PRÆFATIONIS.

De Methodo & autoritate Collectionis Gratiani, & reliquarum omnium Collectionum Decretalium poſt Gratianum.

INSTITUTUM *auctoris.* pag. 41.

Præfationis argumentum, & ordo. ibid. in fine.

Duæ ſummæ Juris Canonici diviſiones, vel ratione materiæ, vel ratione formæ. 42

PRIMA *ratione materiæ explicatur, & ex ea duæ regulæ deducuntur.* ib.

SECUNDA *ratione formæ.* 43

Juris ſcripti Canonici fontes indicantur. ibid.

Non ſcripti fontes. ibid.

DE GRATIANI *Collectione pleniſſimè diſſeritur.* 43. fine, & 44

Quo tempore edita. ibid.

Non fuit publicè comprobata. 44

Judicium de ea. ibid. & 45

Editio corporis Juris Canonici ab Antonio Contio elaborata, corrupta poſtea.

& mutilata ab Antuerpienſibus librariis. 44
Quare Gratianus Collectionem ſuam inſcripſit, Concordiam diſcordantium Canonum. 45
Inquiritur in methodum Gratiani. 45. initio.
Duplex diviſio Gratiani, vel ratione materiæ, vel ratione formæ. 45
Prima, ratione formæ. ibid.
Secunda, ratione materiæ fuſiùs explicatur, ex ipſius Gratiani locis variis in unum collectis, & ex veteri Interprete. 45. & ſeqq.
ARGUMENTUM *primæ partis, in C. Diſtinctiones.* 45
ARGUMENTUM *ſecundæ partis, in XXXVI. Cauſas.* 46. 47. & ſeqq.
A Cauſa VII. uſque ad XI. interrumpit ordinem Gratianus. 47
Iterum interrumpit, à Cauſa XVI. uſque ad XXI. 47. in fine.
Aberrat Gratianus. 48
Initio Cauſæ XXVII. tractare incipit de Sacramentis: & primò, de Matrimonio, cui X. Cauſas aſſignat, propter materiæ ubertatem. ibid.
Quis fuerit Joannes Teutonicus, primus Decreti Gloſſator. 48. 49
Aberrat Gratianus. 49
TERTIÆ *& ultimæ partis, de Conſecratione, Argumentum.* 50
Gratianus, in citationibus ordinem materiæ ſequitur: itemque vetuſtiſſimi Interpretes, & primæ Collectionis Compilator. 50
Veterum & recentium Juris Canonici aliquot celebriorum Interpretum, de Collectione Gratiani judicium. 51

DECRETALES *Gregorii IX. quæ ſolent in Scholis prælegi, ex quot, & quibus Collectionibus, & ex quorum Pontificum Conſtitutionibus conſtant.* 52
PRIMÆ *Collectionis Decretalium auctor; ordo, & cur Extravagantes inſcripta.* 52. 53
Secundæ Collectionis auctores. 53
Tertia Collectio. ibid.
Prima, auctoritate publicâ, id eſt, Innocentii III. confirmata. ibid.
Decretales Gregorii IX. non carent nævis. 54. initio.
De quarta Collectione. 54
De quinta, quæ eſt Honorii, adhuc non edita. ibid.
Pleniùs de Collectione Decretalium Gregorii IX. ibid. in fine.
Cur reſecatis ſæpe multis verbis ex antiquis Decretalibus, ſingulorum tamen capitum prima verba, licèt abſque ſenſu, retinuerit Raymundus à Pennaforti. 55
Quæ utilitas ex antiquis Collectionibus percipitur. ibid.
Singularia ſunt, quæ ex quinta Collectione Honorii MS. adſcripſit Contius. ib.
De Sexto, qui vulgò appellatur. 56. initio.
De Clementinarum Editione & Promulgatione. 56. 57
De Extravagantibus Conſtitutionibus Joannis XXII. & de Extravagantibus communibus: eas publica auctoritate fuiſſe editas. Quæ fides eis habenda ſit, & reliquis vagantibus extra Collectiones approbatas. 57
Obſervatio, tam circa Sextum, quàm reliquas omnes Decretalium Collectiones. ibid. in fine, & 58. initio.
De ordine & methodo Decretalium Gregorii IX. 58

ORATIONIS IN APERIENDIS Scholis Iuris habitæ,

De recta Juris Canonici diſcendi ratione.

QUÆ debeat haberi oratio ab Anteceſſore in aperiendis Scholis. p. 59
Autoris mens & ſcopus. ibid.
Quæ dotes requirantur in Juris Canonici ſtudioſo. 59. in fine. & 60. initio.
Juris Canonici duæ partes, vetus & novum, vetus Gratiani Decreto; novum Decretalibus continetur. 60
Proponuntur ſtudioſis in utrumque quædam obſervationes. ibid.
Antiqua Decretalium Collectiones cum Gregorii IX. Collectione conferendæ: quod Interpretes veteres novi plures neglexere; fecere pauci; eò præſtantiores. 60. in fine.
Carpitur Raymundus à Penna forti autor Collectionis Gregorii IX. 61. initio.
Juris Profeſſori neceſſaria exacta cognitio hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, quæ ex coætaneis ſcriptoribus eſt repetenda. ibid.
Errarunt ſæpius veteres Juris Canonici Interpretes, quia neglectis antiquioribus Canonum Collectionibus Græcis & Latinis, ſolius Gratiani Collectionibus inhæſere. ibid.
Gratianus in Conciliorum Canonibus referendis aut conciliandis multifariam erravit. ibid.
Graviùs lapſus eſt in Epiſtolis Pontificum, veterum imprimis. 62
Quæ peccavit in ſcriptis Patrum referendis, Romani Correctores ferè emendarunt. ibid.
Studioſi perpetuo & improbo labore Iuri dent operam non in privatis, ſed in publicis Iuris auditoriis. ibid.
Compendia & breviationes rejiciuntur. 63
Sex in ſtudioſis autor deſiderat. 63
Diſciplinarum cum iis quæ terra naſcuntur egregia comparatio. ibid.

Moniti novem prioribus Libri I. Decret. titulis præfixi.

PRIMO *exponit autor cur pleniores tractatus potiùs quàm compendia & breviationes conſcripſerit.* 64
Deinde quam ſecutus eſt methodum explicat. ead. & ſeq initio.
Tum memorem ſe præſtat erga viros eruditos, quorum ope & ſtudiis uſus eſt, imprimis erga clariſſimum Joannem à Coſta. 65
Demum obtrectatores & malevolos coercet. ead. 65. in fine, & 66

TRACTATVS I.

De Summa Trinitate, & Fide Catholicâ.

ORDINIS *ratio. Abbatis Joachimi libellus de Unitate ſeu eſſentiâ Trinitatis damnatur : autor non damnatur, & cur? Plura de Joachimo Abbate.* 67. 68
Contra, Almarici doctrina & memoria ſimul damnatur. 68. in fine, & 69
Strictim de pœnis Hæreticorum, etiam poſt mortem. 69 70. 71
De vivicomburio Bogomylorum : Bogomyli nomen, non proprium alicujus, ſed totius ſectæ commune : quare ita dicti ? 69
Balſamonis interpres notatur. 69
Catholica, *quid ſignificet.* 71

TRACTATVS II.

De Conſtitutionibus.

CONSTITUTIONUM *nomen latiſſimè accipitur in hoc tit.* 72
Conſtitutionum diviſio, in generales, vel particulares. 72
Quænam generales, quæ particulares. 72. in fine, & 73. initio.
Conſtitutiones à laïcis factæ, utrùm teneant Eccleſias, vel Eccleſiaſticos ? 73
Ea in re diſtinctio notanda, inter Regum, & ſummorum Principum Conſtitutiones, & inter Statuta Civitatum & Municipiorum in Gallia præcipuè. 73
Conſtitutiones locum habent in futuris, non in præteritis. ibid.
Lex nova gratiæ, quatenus abrogavit Legem veterem. 73. & 74. initio.
Canones Conciliorum particularium ab univerſa Eccleſia aliquando recipi, & in uſu haberi. 74
Concilium Meldenſe adverſus Novatores Monachos quoſdam. 74
Pleræque Decretales hujus tit. ad Statuta Civitatum, Capitulorum, & Academiarum pertinent. 74. fine.
Qua auctoritate Univerſitates, id eſt, Municipia, Communiæ, Academiæ, & reliqua Collegia conſtituantur, & quæ ſoleat eis concedi poteſtas. 75
Jus Communiæ, vel Corporis, & Collegii, à ſolo Rege conceditur, & inter Regalia numeratur, vel ſaltem Regis Confirmatio neceſſaria eſt : duo exempla. 75
Communiæ *Divionis confirmatio.* 76
Commune, in libris Iuris quid ſignificet. 76
Quo iure Academiæ inſtitutæ ? Pariſienſis primogenita : ſecunda Toloſana : tertia Aurelianenſis. 76. 77
Differentia inter Confirmationem in forma communi, & ex certa ſcientia. 77
Quid in condendis & confirmandis Statutis, de augendo, vel minuendo Canonicorum

nonicorum numero, deſideretur. 78. initio.
Geſta Innocentii III. emendantur. 78
De Officio Senatorum urbis Romæ ſub Pontificibus. 78
Acta Alexandri III. 78
Capitularia Regum noſtrorum Summi Pontifices agnoverunt, & eorum autoritati paruerunt. 78
Conſtitutiones generales non aliter revocare Statuta ſpecialia, vel privilegia ſpecialium locorum vel perſonarum, niſi expreſſè in generali Conſtitutione caveatur. 79

TRACTATVS III.

De Reſcriptis.

JURE *Civili & Canonico Reſcripta à Conſtitutionibus diſtinguuntur.* 80
Quot modis Imperatores jus condebant, quot Pontifices. 80
De Regulis Cancellariæ, Decretis & Signaturis. 80
De Reſcriptis, de Mandatis: aliter in Iure Civili, aliter in Canonico plerumque accipi. 81. initio.
Reſcriptorum definitio accommodata huic titulo. 81
Quid propriè Pragmatica. 81
Ad libellum & petitionem obtinentur Reſcripta. Imò libellus, vel ejus ſententia ſubjiciebatur, vel inſerebatur Reſcriptis, manente nihilominus integra cognitione de fide & veritate precum. 81

R*Eſcriptorum ſumma diviſio vel ad lites, vel ad beneficia: ſecunda vel in forma communi, vel gratioſâ: Regulæ generales quædam & ferè communes utrique diviſioni.* 81
Explicatur clauſula Reſcriptorum frequens, Appellatione remota. 81. 82
In ſecundo Reſcripto primi debere fieri mentionem. 82
Item, Si preces veritate nitantur. 82
Quid exprimendum ſit in impetratione Reſcripti. 82
Varia, quæ ad impetrationem Reſcriptorum, & ad fraudes impetrantium coërcendas pertinent. 83
Quibus cauſæ committuntur à Pontifice vel ejus Legatis. 83
Reſcripta ad lites vel Beneficia ſtrictiſſimè accipiuntur: ratio ſubjicitur. 83
Reſcripta interpretationem & ordinem à jure communi recipiunt. 83. in fine, & 84. initio.
Quomodo & quæ Reſcripta, tempore, vel aliis modis extinguantur. 84

DE *origine, progreſſu, & fine Reſcriptorum ad vacantia Beneficia, quæ vulgo Gratiæ Expectativæ, & Mandata de Providendo ſolent appellari.* 84. 85
De Præventionibus: eas vix in Galliâ admiſſas, & ſtrictiſſimè accipi. 85
De Mandatis in forma communi, ſive forma pauperum. 85. 86
De Monitoriis, Præceptoriis & Executoriis literis. 85

Reſcriptis addi Judices, quibus committitur cognitio cauſæ : unde Reſcripta ſæpe propter delegationem Iudicis Commiſſiones appellantur : ſtrictim de Judicibus Delegatis. 86

CAp. 1. De Reſcriptis pleniſſimè explicatur. 87. 88
De Majoribus tantùm cauſis ad ſummum Pontificem referri ſolitum primò, poſteà promiſcuè de omnibus; quod non tulerunt Epiſcopi, præſertim in Gallia. 87
Literæ Protectionis in cauſa appellationis. 88
Cur facultas appellandi ſpecialiter à ſummo Pontifice impetrata fuerit, vera ratio indicata primùm à doctiſſimo Anteceſſore I. A Coſta. 88
Attingitur appellationum ordo in Gallia. 89

CAp. 20. pleniſſimè explicatur. 88. 90. 91
Cap. illud & 27. edita ad ſedandas controverſias Interpretum : Juris Civilis fontes, ex quibus manaverunt, indicantur. Tres ex illis regulæ deducuntur. 89. 90
Conciliatio Legis 2. cum L. 5. C. Si contra jus 89
Exponitur ſpecies Capituli 20. 90
Differentiæ inter Jus Canonicum & Civile, quoties in Reſcriptis occurrit expreſſio falſi, vel retinentia & omiſſio veri. 90. 91
Emendatur Gloſſa. 90
Quid ſit mendacium; quando noceat omiſſio veri, & quo remedio vitetur. 91
Pugna Juris Canonici novi cum veteri & cum uſu Galliæ. 91
Explicatur cap. 27. cujus emendatur inſcriptio. 91. 92. 93
Literæ juſtitiæ in forma communi, & in forma Pauperum promiſcuè uſurpantur, ratio explicatur. 91
De titulo patrimonii. 92 93
Ejus omiſſio nocet in literis Iuſtitiæ, non in literis Gratiæ. 92
Explicatur pluribus Can. 6. Concilii Calchedon. ex quo non intellecto abuſus tituli patrimonii fluxit. 92
Extranei arceantur à Beneficiis. 92
Ordinationis antiqua forma. 92
Excommunicationes & interdicta propter vim circa temporalia illatam Eccleſiaſticis ægrè tulerunt majores noſtri : ad Magiſtratus enim ſæculares recurrendum. 93
Explicatur ſtrictim Cap. 33. hujus tit. cujus caſus falsò tribuitur Panormitano, cùm ſit ineptiſſimus. Verus caſus unde petendus. 93. 94

TRACTATVS IV.

De Conſuetudine.

CONSUETUDO *Eccleſiaſtica duplex : vel univerſalis totius Eccleſiæ, vel particularis.* 95
Tractatur etiam in hoc tit. de quibuſdam Conſuetudinibus ſæcularibus Re-

quorum vel Municipiorum.
Conſuetudinis definitio. 95
Etiam in rebus fidei Conſuetudo univerſalis ſervanda. D. Baſilii autoritas. Gratianus reprehenſus. Anſelmi Cantuarienſis, & Waleranni epiſtolæ ſuper ea re notandæ. 95
Effectus Conſuetudinis longæ. 95
Quo tempore longa Conſuetudo definiatur. 96
Regulæ quædam generales proponuntur. 96
Cap. 2. hujus tit. plenius explicatur. 96
De ſtatu Eccleſiarum in Dania & Suecia, & de Lundenſi Archiepiſcopatu & Primatu in Daniâ & Sueciâ. 96. & ſeq.
De Archiepiſcopatu Hammaburgenſi, & unione Bremenſis Epiſcopatus cum eo, & ejuſdem poſtea diviſione. 96. 97
De Anſgario Archiepiſcopo Hammaburgenſi & Epiſcopo Bremenſi. De querelis Gunthari Colonienſis, & ejus poſtea conſenſu. 97. 98
Quis auctor vitæ Anſgarii. 97
De Lundenſi Archiepiſcopatu. 98
Quo jure Dania regatur. 96. 98
Donationes, quæ non tantùm per veram ſed etiam per fictitiam traditionem, quam Veſtituram ſive Inveſtituram vocant, perficiuntur; ſicut & alii contractus, quibus vel dominium, vel jus in re conſtituitur, in Dania fiebant per ſcotationem. 98
Quid ſit ſcotatio. 98. 99
Inveſtitura variâ ſymbola: & quomodo à traditione corporali differat. 98
Cap. 8. hoc tit. illuſtratur; in quo confirmatur conſuetudo eligendi Prælatum de gremio alterius Eccleſiæ. 99
Reprobatur conſuetudo, quâ Preſbyteri confirmationem præſumebant conferre. 99
Et quâ, tempore generalis Interdicti, Exempti quidam Divina officia, pulſatis campanis, altâ voce & apertis januis celebrabant. 99
Et qua Prælatus inconſulto Superiore ad aliam dignitatem ſuâ relictâ tranſit. 99
Quomodo novas Dignitates Epiſcopus poſſit inſtituere. 100
Circa Eccleſiaſticarum Dignitatum munia & honores variare Conſuetudines: & qua in dubio ſequenda. 100
Capitulum novas Conſuetudines & Conſtitutiones facere poſſe, Epiſcopo inconſulto, ſi non lædatur Epiſcopus, & ſi ratione nitantur: præter, non contra jus. 100
Longa & diutina conſuetudo, dummodo æquitate & ratione firmata ſit, Legem & Canones ſuperat. 100
Maximè in pœnis. Baſilii Canones, & Can. ult. Synodi VI. in Trullo in eam rem inſignes, emendantur & illuſtrantur. 100
Conſuetudo licet poſtea in ſcripta redacta, origine tamen inſpectâ, retinet antiquum conſuetudinis nomen, & Juri non ſcripto adnumeratur. 101
Pœna legitimæ quare in deſuetudinem abierint, & arbitrio judicantium relictæ ſint. 101
Circumſtantias criminum diligenter exponunt Juriſconſulti. 102.
ibid.

TRACTATVS V.

De Poſtulatione.

SERIES *hujus tit. cum præced. & ſequentibus. Incipit Tractatio de Perſonis. Modi Vocationis antiquiſſimi duo, Electio & Poſtulatio: & quomodo conveniant, vel differant.* 103

Poſtulationis definitio explicatur. 103

Perſonæ, quæ ad Electionem vocari debent, ad Poſtulationem pariter vocandæ. 104

Regum & Principum in Electionibus & Poſtulationibus requiritur aſſenſus. Quod ſi pupilli fuerint, eorum vice fungitur Gubernator Regius, le Regent. 104. 106

Sicut Electionis, ita & Poſtulationis Decretum ſolemniter confici debet, non per ſimplicem petitionem; in quo Gratianus notatur. 104

Comparatur Poſtulatio cum Electione, & plenius exquiruntur quæ habent communia, quæ ſingularia. 104

Cauſæ cognitio in Poſtulatione, in quo vertatur. 104

Sæpe cum Poſtulatione concurrit Tranſlatio. Utramque ſui juris Romani Pontifices fecerunt circa Epiſcopos. 104

Poſt oblatam Pontifici Poſtulationem, jus Electorum ceſſat, quod iis tamen certis caſibus S. Pontifex reſtituit. 104. 105

Cap. 1. & 2. quæ ad Galliam pertinent, explicantur pleniſſimè ex hiſtoriæ fide. 105. 106. 107

Sententia interdicti fertur in regnum Galliæ à Legato Pontificio, & qua ratione. 105

Quis fuerit Petrus de Corbolio Innocentii III. in Academia Pariſienſi Magiſter. 105

Suſpenſi & excommunicati nec eligi, nec poſtulari poſſunt. 105

Nec Poſtulationem, nec Tranſlationem admittere permittitur Legatis. 106

Galliæ Epiſcopi non ſine cauſa non obtemperaverunt Interdicto. 106

De uſu Galliæ circa generalia Interdicta. 106

Innocentius III. in Univerſitate Pariſienſi fatetur ſe inſtitutum & edoctum. 106

Reges Galliæ excommunicari non poſſunt. ibid.

Pontifex Cardinales invitos non compellit ad admittendam Poſtulationem, vel Electionem. 107

Cap. 3. explicatur. 107

De Soffredo, magnæ dignitatis Cardinali, tituli ſanctæ Praxedis. ibid.

Poſtulationis confirmatio ad proximum Superiorem pertinet, non omiſſo medio. ibid.

TRACTATUS VI.

De Electione & Electi Poteſtate.

QUAM *pateat latè hic tit.* 108
Electionis definitio. ibid.
In actis Apoſtolorum ab univerſa Eccleſia proponitur facta Electio, quæ χειροτονίας *nomine ſignificatur, & ab impoſitione manuum, ſive Conſecratione ſeparatur. Quare per* χειροτονίας *aliquando ſignificetur Conſecratio, & per Conſecrationem Electio ſignificetur.* ibid.
Plenius confirmatur ab univerſa Eccleſia, id eſt Eccleſiaſticis & Laicis ſimul convocatis, Electiones olim fuiſſe celebratas, ubi & de qualitate eligendorum. 109
Quoties ad Monachatum aut Clericatum aliquis aſpirabat in Gallia, Præcepto Regio, aut Judicis juſſione opus erat. 110
Laici ſenſim exciderunt jure eligendi. 110
Totius tituli & Tractatus argumentum in pauca conjicitur: nempè, de quorum Electione tractetur. De formis Electionum; & de Poteſtate, quam Electus per Electionem conſequitur. De Electionis confirmatione. De Conſecratione. De diverſis Eccleſiarum Conſuetudinibus circa Electionem, Confirmationem Electionis & Conſecrationem. Quando & ad quos jus Electionis devolvatur. De Uſu & Juribus Eccleſiæ Gallicanæ: Item de Regum noſtrorum autoritate in Electionibus. De Jure Regaliorum. De Jure quorundam aliorum Regum. Poſtremò de Inveſtituris. 110. 111

D*E Electionibus & Conſecrationibus Epiſcoporum.* 111. 112. uſque ad 117.
De earum formis. 112
De Concilio Carthaginenſi, vulgò IV. appellato. 113
In Electionibus vis & impreſſio potiſſimum cavenda, quæ tamen non excludit jus legitimum Laïcorum, in ἀνόμῳ ἐκκλησίᾳ, *ſed* ὄχλου στάσει, *&* συστροφῇ. 113
Can. 4. Nicænus, & Laodicenus 13. explicantur. Notatur Zonaræ & Balſamonis explicatio. Can. 1. Apoſtolorum explicatur. 113. 114
χειροτονία *in Can. 4. & 6. Niceno pro Conſecratione.* 113. 114
Jus populi & Cleri in Electionibus iterum confirmatur. 114
Concilii Chalced. Actio 11. 12. & Can. pen. excutiuntur ad locum, in quo de jure Patriarchæ Conſtantinopol. in Electionibus & Ordinationibus Metropolitanorum Aſianæ, Ponticæ & Thraciæ Diœceſeos. 114 fine, & 115
Concilii Carthaginenſis abſolutè vulgò dicti Can. 13. ex tribus Canonibus excerptus Conciliorum Africæ. 116
In Electionum jure Orientalem & Occidentalem Eccleſiam conveniſſe, & in utraque Cleri, Ordinis & Plebis admiſſa ſuffragia. 115. 116
Idem in Gallia ſervatum diu. 116
Ubique poſteà mutatum. Gratiani ea de re nota ad Can. 34. Diſt. lxiij.

Digitized by Google

explicatur, & emendatur, in quâ de jure Cleri Matricis Eccleſiæ in Electione Epiſcopi arguitur Gloſſa. 116. fine, & 117

Æquiùs de Eccleſia Matrice eligi Epiſcopum, quàm de alia Eccleſia 117

Strictim de Electionibus Epiſcoporum Galliæ noſtræ. ibid.

Extra ordinem aliquando Pontifices conſtituendi vel confirmandi Epiſcopos ſibi jus reſervarunt. ibid.

DE *Metropolitanorum Electione, Confirmatione, Conſecratione, & pauca de Pallii Conceſſione.* 117. 118. 119

Qui paſſim Metropolitani vocantur, apud Africanos Primates appellatos, vel Senes, & quare. 118

Sententia V. C. Nicolai Fabri de Primatibus Africæ ex ejus notis MSS. in Iſidorum. 118. in fine, & 119

Can. 8. *Diſt.* xij. *de ea re corrigitur & explicatur.* 119

Quæ denegentur Metropolitano etiam conſecrato, ante impetrationem Pallii à Pontifice poſtulatam, impetratam, & juramentum præſtitum. 119

Ante acceptionem Pallii, licèt non poſſit conſecrare Suffraganeos, jubere poteſt ut à ſuis Suffraganeis conſecrentur. ibid.

Quod deciditur in Cap. 4. *de Electionibus de autoritate Papæ ſupra Concilium, in Gallia non admitti, & ſuper ea Quæſtione velitatio Thraſonica Horatii Juſtiniani, Bibliothecæ Vaticanæ Cuſtodis Primarii, in editione nuperâ Latinâ Concilii Florentini; & ejuſdem temeraria & falſa aſſertio, de unanimi totius doctiſſimi Collegii Sorbonæ ſententiâ & doctrinâ, quam ei ſuper hoc articulo affingit.* 119. in fine, & 120

DE *Electione Summi Pontificis. Cap. 6. hoc tit. pleniùs explicatur.* 120 uſque ad 124.

Calixtum, Paſchalem II. & Alexandrum III. Gallia adverſus Schiſmaticos, Italos & Germanos protexit temporibus difficillimis. 120. 121

Hiſtoria Schiſmatis per 18. *annos graviſſimi adverſus Alexandrum III. ex coætaneis ſcriptoribus explicatur.* 120. 121

Duæ partes Cardinalium concordes Pontificem eligere debent. 122.

Quænam manaverint varia Pontificum Conſtituta ſuper Electione Pontificis, ante Cap. 6. hoc tit. id eſt ante Concilium Lateranenſe ſub Alexandro III. ex quo deſumptum d. Cap. 6. 122. 123

Can 1. *Diſt.* xxiij. *fuſiùs explicatur & defenditur adverſus Baronium: jus Imperatorum in electione Pontificum.* 122. 123. 124

Othonis III. Decretum in Electione Sylveſtri, qui ante Gerbertus. 123

Quo tempore ad ſolos Cardinales Pontificis electio tranſlata fuerit. 123

Singularia multa in electionibus Summorum Pontificum, & cur introducta. 123. 124

DE *Abbatum & Abbatiſſarum Electionibus.* 124. uſque ad 128

Primùm Epiſcopis Monaſteria per omnia ſuberant, & Abbates conſtituebant; poſtea per Exemptiones libera electio Abbatis permiſſa Monachis, & diſpoſitio bonorum Monaſterii, ſalvo in reliquis jure Epiſcopi. Varia de Exemptionum jure antiquo & novo. 124. 125

Charta fundationis ſimul & exemptionis Monaſterii Andrenſis, in qua no-

Digitized by Google

minatim expreſſa ſunt Epiſcoporum jura, quæ ſibi ſolebant in exemption reſervare. 125
Epiſcopi conqueſti ſæpius de Exemptionum multitudine, eis inconſultis, à ſummo Pontifice frequentata. 125
Hujuſmodi Abbates vocabant Acephalos. 125
Tandem ſola confirmatio Electionis, aut Benedictio relicta Epiſcopis. 125
Electio eſt irrita niſi profeſſus, & ejuſdem Ordinis eligatur. Diſpenſari tamen poterit. Item ex gremio vacantis Eccleſiæ eſt eligendus. 125. 126
Capitis 37. hoc tit. inſcriptio emendatur. Qui electioni Abbatis intereſſe debent. Et utrùm Patronus Laïcus jus ſuffragii ex fundatione ſaltem acquirere valeat, & quomodo. 125. 126
Cap. 51. hoc tit. Et cap. 25. de Iure Patron. explicantur. 126. 127
In ipſa fundatione Patronos Laïcos poſſe ſibi jus ſuffragii in electione excipere: poſt fundationem non poſſe. 127
Notatur Gloſſa. ibid.
Non tantùm poſt electionem aſſenſum, ſed etiam conſenſum Regum noſtrorum interveniſſe, vel ante vel in ipſa Electione vel poſt. De Perſonis eligentium & forma. 127. 128
Idem in Anglia ex jure Galliæ à Guillelmo Conqueſtore inductum. 128

DE Electione & Conſecratione Imperatorum. 128. uſque ad 133
Cap. 34. hoc tit. pleniſſimè explicatur. 128. & ſeq.
Sciſſum Imperium, quod tandem adjudicatum fuit ab Innocentio Friderico II. depoſitis Philippo & Othone. 129. 130
Numerus Electorum ſeptenarius quando conſtitutus. 131
Falſum quod Gloſſa & plerique Interpretes notant ad hoc Cap. 34. omnes Reges Imperatori ſubeſſe. Reges Galliæ primi in Occidentem ſibi aſſeruerunt Imperium à Conſtantino tranſlatum in Orientem. 131
De jure & loco, ubi & à quibus conſecrari debet Imperator. 132
In Gallia quid ſuper eâ re. 132
Quid in Anglia, Hungaria, Bulgaria & Suecia. 132. & ſeq.
Ex ſuperiori tractatione Regulæ ſpeciales & generales quædam. 133. 134

DE Forma Electionis in genere. Quot ſint ſpecies. 135. 136
Cap. 7. 42. & 43. hoc tit. & Cap. 6. & 7. in VI. *in eod. tit. quibus eligendi formæ præſcribuntur, pleniſſimè explicantur.* ibid.
De natalbius, & ætate eligendorum. ibid.
Tres propriè Canonicæ eligendi formæ, Per Scrutinium, *Per* Compromiſſum, *per* Inſpirationem. *Additur quarta quædam mixta, per* Scrutinium ſimul & Compromiſſum. ibid.
Communia quædam omnibus formis Electionum. 135. in fine, & 136
In Electione qui vocari debeant vel poſſint contemni. 136
An in ea conſtitui poſſit procurator. ibid.

DE Electione per Scrutinium. Unde dicta ejus forma. 137. & ſeq.
Publicatio Scrutinii. Collatio ſive comparatio. Tractatus Electionis, & poſtremò ſolemnis Electionis publicatio. Ejus forma. ibid.
DE ELECTIONE *per Compromiſſum.* 138. & ſeq.

In conſtituendis Compromiſſariis omnes conſentire debent. 138

A forma compromiſſi non licet recedere. 138.

Differentia inter electionem per Scrutinium & per Compromiſſum. ibid.

Compromiſſarii, Mediani *vocantur in Geſtis Innoc. III.* 139

DE ELECTIONE *per Inſpirationem, ſive viâ Spiritus ſancti.* 139

Generales exhortationes ad Electionem boni Paſtoris non excluduntur. 139

De vitiis Electionum, præcipuè de clandeſtinâ. 139. 140 141

Perfecta Electionis forma ex Synodo Alexandrinâ in cauſa Athanaſii. 140

De clandeſtina Electione Maximi. Clandiſtini vitium non irritare Electionem, dummodo nihil aliud canonicum obſtet. 140

Quomodo & qua ratione clandeſtini vitium excludatur. 141

De Procli Electione in Conſtantinop. Patriarcham. 141

Poſt Electionem Epiſcoporum vel Abbatum aſſenſus Regis vel Patroni requiritur; ipſius Electi verò conſenſus, per quem quaſi matrimonium ſpiritnale contrahitur. Quæ ſit Electi poteſtas. 141

Intra quod tempus Electores eligere, & Electus Confirmationem petere teneatur. 142

Quomodo, & quibus caſibus jus eligendi devolvatur ad Superiorem. Differentia conſtituitur inter vitia Electionum, per dolum, per imprudentiam, vel circa formam. 142

Electionum forma, de quibus ſupra, non tantùm in ſummarum Dignitatum, ſed etiam inferiorum Electionibus ſervanda. 142

DE *Confirmatione Electionum.* 143. 144. 145

A quibus petenda. 143

In confirmatione cauſa cognitio requiritur tam de forma Electionis quam de perſona Electi. 143

Quid per Electionem, quid per Confirmationem Electionis conferatur. Differentia in hoc articulo inter Electionem & Poſtulationem. 143

Caput 23. explicatur. 144. 145

Quare in ſpecie d. cap. 23. jus devolvitur immediatè ad Summum Pontificem. 145

Notorii vires, & quid ſit Notorium. 145

DE *Conſecratione, ſive Benedictione.* 145. uſque ad 149

Ad quos pertineat. In ea cauſæ cognitio requiritur. Intra quod tempus peti, à quibus & quot debeat peragi. 146

Conſecratio Epiſcoporum pertinet ad Metropolitanos, non minùs quàm tribus Epiſcopis adhibitis. ibid.

In Africana Primas ſolet appellari, qui Metropolitanus in reliquis Eccleſiis. 146. 147

Syricii Epiſtola 4. germana probatur, interpolata tamen. ibid.

Excipitur Eccleſia Romana. 147

Conſecrationis varia formæ & Ceremoniæ. 148

Albini, ſive Alcuini Flacci locus emendatur & explicatur. ibid.

Per Conſecrationem Epiſcopus conſequitur ea quæ ſunt Ordinis. ibid.

Ante Conſecrationem Metropolitanus poteſt Suffraganeis Epiſcopis jus Suffraganei conſecrandi mandare, quamvis ipſe non poſſit conſecrare: quod Ius Controver-

Controverſum, certum fecit cap. 21. hoc tit. 149. cui junge 118. ſupra, & 217. 218. infra.

DE Benedictione Abbatum. 149

Sumptus & expenſa Electionis, Confirmationis & Conſecrationis ex reditibus viduata Eccleſia ſolvendi. ibid.

DE Conſuetudinibus & Privilegiorum poteſtate in Electionibus, Confirmationibus, Conſecrationibus & Benedictionibus. 149. 150.

De Iure Patriarcharum & Primatum in Electionibus. 149

Perſtringitur Controverſia Primatus Anglia inter Cantuarienſem & Eboracenſem. 150

Privilegium ſpeciale, quo excluſis Suffraganeis Epiſcopis, Electio Metropolitani Cathedralis Eccleſia Capitulo tantùm indulta, valdè contradicentibus Epiſcopis Suffragantis, maximè Anglicanis. 150

Differentia inter Conſuetudinem & Privilegium. 150. in fine, & 151

Conſuetudo qua Canonicorum Electio ad ſolum Capitulum pertinet. 151

DE Iure Regio in Electionibus, Poſtulationibus & Tranſlationibus Pralatorum, & in Epiſcopis, Metropolitanis, vel Primatibus novis inſtituendis. 151. uſque ad 157

Poſtrema Concilia & Decretales concedunt tantùm Regibus aſſenſum Electioni jam facta, non autem facienda contra jus vetus, quod in univerſa Europa multis ſaculis obtinuiſſe declaratur pluribus exemplis. 151

Hungarie, Polonia, Dania, Cypri, exempla. 151

Regum Gallia jura in Electionibus plenius expenduntur. Eorum conſenſum ante & poſt Electionem deſideratum, & ab Electis Epiſcopis Fidelitatis juramentum praſtitum. 152

Majores-domus vice Regià conſenſum ſuum prabuiſſe in Electionibus Epiſcoporum. 152

Regum Hiſpania jus vetus & novum in Electionibus. Conciliorum Toletani IV. *Can. 19. &* XII. *Can. 6. ea de re expenduntur & explicantur. Qua in Hiſpania Synodi dicuntur haberi in Canone, qua non haberi* 153.

Regis Anglia jus in Electionibus. Cap. 5. de Electione in 1. Collect. & Cap. 25. de Appellationibus in eam rem notatu digna. 153.

Non tantùm Regum conſenſus requiritur, ſed etiam eorum qui vices regias ſuſtinent; vel generaliter, veluti Majores-domus olim, Gubernatores Regni, Tutores impuberum; vel quibus ſpecialiter tantùm Reges vices ſuas in Electionibus mandaverunt. 154

Ruzei opinio refutatur. ibid.

Cap. 4. de poſtulatione, & Capp. 17. 18. & 19. hoc tit. ea de re illuſtrantur, & explicantur primùm à doctiſſimo Anteceſſore Joanne à Coſta, cuius interpretatio pluribus locis confirmatur. ibid. & 155

Mandati ſpecialis ratio & exempla in Gallia. 155

Huiuſmodi tamen jus Regium in conceſſione Ducatuum vel Comitatuum, in quibus Epiſcopatus vel Abbatia ſita ſunt, non tranſit cum univerſitate. ibid.

Locum habere jus illud Regium, etſi Pralati deceſſerint in Romana Curia. 156

Idem dicendum de Beneficiis in Curia vacantibus, Regalia durante. 156
Conſecrationes in Curia fieri agrè tulerunt Galliæ Metropolitani. 156

D*E Inveſtituris Epiſcopatuum, Abbatiarum, Prioratuum, & reliquorum Beneficiorum, ſtrictim de Regaliæ Jure.* 157. uſque ad 162
In quo conſiſtant ea jura, & de eorum origine. Pleniùs de Inveſtituris inquiritur, & de earum varia acceptione. 157. 158
De variis adverſus Inveſtituras querelis. 158, 159
De variis Inveſtituræ ſymbolis. 158
Inveſtitura differt à poſſeſſionis corporalis traditione, quæ Inſtitutio *propriè appellatur. Lapſus Oſtienſis.* 158
Quâ formâ, Epiſcoporum & Abbatum Inveſtitura à Regibus fiebat. ibid.
Quomodo inter Calixtum II. & Henricum V. Imperatorem ſuper Inveſtituris pax fuit compoſita. 158
Super Inveſtituris levius in Gallia certatum: & vix ulla inter Reges noſtros, Summos Pontifices & Epiſcopos controverſia. Contrà Gallia tutiſſimum Præſidium Pontificum, Urbani II. Paſchalis II. Gelaſii II. & aliorum Pontificum, durante ſæviſſima de Inveſtituris adverſus Germanos potiſſimùm & Anglos controverſiâ. 159
Ivonem & Goffridum non diſſenſiſſe ſuper Inveſtituris. 159. 160
Tandem Hominium, & Fidelitatis juramentum retentum. Inſignis locus Nicetæ de Fidelitatis juramento Imperatori Conſtantinopolitano præſtito ab optimo Ignatio Patriarcha. 160
Quid in Anglia, Scotia, Hibernia, Hungaria, Polonia, Germania. 160. 161
Quare Pontifex Romanus Ferulâ ſive Paſtorali baculo non utatur. Explicatur eâ de re, cap. un. de ſacrâ Unctione. 162

D*E jure Regalium.* 162. uſque ad 169
Regalium dictionis varia acceptiones. Excutiuntur tantùm quæ ad jus pertinent. 162. 163
Regalia ſancti Petri, quâ ſignificatione. 163
Quæ Regum liberalitate Eccleſiaſticis collata fuerunt feuda, Regalia vocantur, & communibus feudorum juribus & conditionibus obnoxia ſunt, niſi à Regibus fuerunt ſpecialiter exempta. 163
In Gallia probatur. 164. 165
Regalium propria acceptio, quæ pertinet ad hunc tit. jus nempe quod vacantibus Epiſcopatibus, Regibus competit in omnes reditus temporales & ſpirituales ferè omnes, etiam Decimas. 164
Regalia noſtra Pontifices agnoverunt, etiam in Decimis. Jura ſingularia circa Regalia. 164
Cap. 6. de Jure Patron. in 1. Collect. illuſtratur. 165
In Anglia jus Regaliæ obtinuit: & quo tempore cœpit. 165
Item in Hungaria. ibid.
In Gallia Duces & Comites, in quorum ditione conſtituti ſunt Epiſcopatus, aliquando jus Regaliæ ſibi vindicaverunt, imò & mobilia Epiſcoporum & Clericorum ab inteſtato morientium, per vim occupabant, quæ ſublata tanquam iniqua. ibid.
Jus Regalium multis rationibus munitum, & à multis Pontificibus probatum. 166

Digitized by Google

Capi. 13. de Elect. in VI. explicatur, & manca ſuppletur Gloſſa in expoſitione Regalium. 166

A Regalium jure ſeparanda poteſtas pleno jure conferendi, inconſulto Epiſcopo, quæ competit Regibus & Principibus Patronis, non privatis. 166

Repetitur paucis progreſſus & immutatio juris Electionum. Origo Reſervationum Pontificiarum. 167

Electionum jus in Gallia per Reſervationes nunquam fuit immutatum. 167

De Pragmatice & Concordatorum jure noviſſimo. 167. 168

Tridentinum Concilium Electionibus obſtat. 168

In Comitiis Aurelianenſibus jus Electionum vetus pro parte reductum. 168

Cap. 40. hoc tit. explicatur. In Oriente eadem qua & in Occidente, Imperatorum autoritas circa Electiones & Inveſtituras Patriarcharum. 168

Quid προβλήσεις, quid χειροτονία, Δικαίωμα & ἐπιψήφισις. ibid.

De Beneficiis Electivis & Collativis, & de hujus differentia origine. 169. 170

TRACTATUS VII.

De Tranſlatione Epiſcopi, vel Electi.

SERIES hujus tit. cum præcedentibus. 171

Jus Pontificum in Tranſlationibus proponitur ex MS. epiſtola Innoc. III. ib.

Argumentum totius tractatus, ſcilicet jus vetus, progreſſus, & immutatio juris veteris. Explicatio uſus tam Eccleſiæ Gallicanæ, quàm aliarum quarundam. ibid.

Origo & progreſſus Tranſlationum in Eccleſia Occidentali & Orientali. 171. uſque ad 180

Can. 15. Nicænus pleniſſimè explicatur, & ejus occaſione de Concilio quodam Antiocheno. 171. 172

Cur ab initio omnes mutationes Sedium, Tranſlationes & migrationes non tantùm Epiſcoporum, ſed etiam Preſbyterorum & Diaconorum generaliter prohibitæ. 172

Can. 1. & 2. Concil. Sardic. explicantur. Auxilii, autoris MS. Tractatus de Tranſlationibus in cauſa Papæ Formoſi ſcriptus Leoni Nolano Epiſcopo, ſæpius citatur, notatur, illuſtratur. 172. in fine, & 173

Cap. 2. de Electionibus attingitur. 173. ſed poſtea ex profeſſo explicatur. 204. & ſeqq.

Cap. 2. de Clericis non reſidentibus attingitur. 173

Ratio vera componendorum plerorumque Canonum Concilii Antiocheni cum Sardic. 173

Gregorii Nazianzeni in Sedem Conſtantinopolit. tranſlatio à multis improbata, qui tamen Saſimis nunquam ſederat. 174. 175

Gallia jus vetus ſervavit diu, quo prohibitæ tranſlationes. ibid.

Poſtea Tranſlationes, cauſâ cognitâ, fuerunt diſpenſativè admiſſæ; parcè tamen, utilitatis publicæ Eccleſiarum ſuadente, non privati commodi cauſâ. 174.

175.

Balſamo & recentiores Græci veram ſententiam antiquorum Canonum de Tranſlationibus vel non intellexerunt, vel diſtinctionibus commentitiis infuſcarunt. ibid. & 175. initio.

Socratis interpres, & Tripartita notantur in explicatione dictionis ἐκφόρειος. 175

Iterum graviter certatum de Tranſlationum jure in Gregorii & Procli Tranſlationibus in Epiſcopatum Conſtantinop. 175

Plurimæ ante Gregorium & Proclum Tranſlationes adnotantur. 176

Anteri, Calixti II. & Pelagii II. ſuppoſititiæ Epiſtolæ deprehenduntur, & vetus mendum ex Nicephoro tollitur. 176

Superior diſputatio de origine, progreſſu & uſu Tranſlationum in pauca colligitur, ut tranſeatur ad explicationem ſingulorum Capp. hujus tit. 176 177.

Procedente tempore & uſu Patriarchæ ſinguli in ſuis Diœceſibus confirmandi primùm Tranſlationes, vel per ſe transferendi poteſtatem obtinuerunt, potiori tamen jure Papa Romanus, cujus latè diffunditur Patriarchatus. 177

Utrumque Illyricum olim ſub Patriarchatu Romano, in utroque Theſſalonicenſis Metropolitanus Sedis Apoſtolicæ vices tenere ſolebat privilegio ſuæ Sedis. 177

Patræ & Corinthus ſub Patriarchatu Pontificis Romani. 177

Auctoritas Summi Pontificis etiam in Tranſlatione Patriarcharum Conſtantinopolit. 178

Acceſſit autoritas Imperatorum & Regum in Tranſlationibus. 178

Tandem per orbem univerſum Pontifices de Tranſlationibus extra ordinem primùm ad ſe referri voluerunt, & quo colore: poſtremùm eas ſui juris omnino fecerunt; & ſtrictim de cauſis majoribus. 178. 179

Hinc origo & prima cauſa diſſidii inter Occidentalem & Orientalem Eccleſiam. 178

Julii Sum. Pontificis quæ vera ſunt Epiſtolæ, quæ falſæ. 179

Patriarchæ Græci in Oriente nihilominus non tantùm Tranſlationis jura, ſed etiam plenam Eccleſiarum ſuarum adminiſtrationem, Depoſitiones & Renunciationes Epiſcoporum inconſulto Pontifice Romano retinuerunt. 179

Tranſitus ad explicationem cap. 1. hujus tit. quod pertinet ad Antiochenum Patriarcham, & occaſione raptâ de univerſo ſtatu Eccleſiaſtico & Politico Patriarchatus Antiocheni ſub Latinis. 179. 180

Explicatur cap. 1. hoc tit. in quo ſeveriſſimè Innoc. III. autoritatem Pontificum in Tranſlationibus aſſeruit adverſus Patriarcham Antiochenum, licèt ageretur de Tranſlatione Electi tantùm, necdum tamen conſecrati Epiſcopi. 180. 181

Cap 2. explicatur. Quod ad Tranſlationes ſpectat, nulla eſt differentia inter Electum, & inter Conſecratum Epiſcopum. 181

Electus & Confirmatus Epiſcopus tam in ſpiritualibus quàm in temporalibus poteſt miniſtrare, exceptis quæ ſunt ordinis. 181. 182

Poſtulatio ſæpe concurrit cum Tranſlatione. 182

Explicantur capp. 3. & ult. 182

Pœna ejus qui proprio motu, Eccleſiâ ſuâ relictâ, tranſit ad aliam Tranſlationis prætextu. 183

Prudentia Innocentii III. in Tranſlatione Conradi, de qua capp. 3. & ult.

hoc tit. 184

Cap. 5. de Majorit. & Obed. & cap. Illud. de Clerico excomm. miniſtr. 184

Geſta Innocentii III. emendantur. 184

Explicatur cap. 40. de Electione. 184. & ſeqq.

Quid obſervandum in concurſu Electionis & Poſtulationis. 185

De ſtatu Eccleſia Conſtantinop. poſt captam à Latinis Conſtantinop. 184. 185

Cap. 5. de Inſtitut. illuſtratur, cujus ſententia primùm à Franciſco Koaluſio judicata. 185

Tranſlationes, Ceſſiones ſive Renunciationes & Depoſitiones Epiſcoporum non pertinent ad Legatos Pontificis, etiam à latere; niſi in mandatis fiat mentio, vel ſpecialiter committantur: præterea debet de re tota ante executionem referre ad Pontificem: aliud in Electionum Confirmatione. 185

Cap. 36. de Electione in VI. *illuſtratur.* 185

De Incardinatione, quomodo differat à Tranſlatione: & de Origine Commendarum. 185. uſque ad 202

Falsò Commendarum auctor Leo IV. traditur à veteribus & recentibus Interpretibus. 186. 187

Veteribus Canonibus, vacantibus Epiſcopis vel Clericis, Epiſcopatus vacans vel alius locus ad tempus commendabatur & quaſi deponebatur. Commendatio illa ad tempus propriè Incardinatio vocatur. (Illa tamen notio Incardinationis in notis emendatur.) Vacans Eccleſia vel Titulus; & Epiſcopus, vel Clericus vacans quo ſenſu dicantur. 186

Cardinales Preſbyteri, vel Cardinales Diaconi in Eccleſia commendata. 186

Vera differentia inter Tranſlationem, & Incardinationem, non animadverſa à Correctoribus Romanis, ad Can. Fraternitatem, *diſt.* LXXI. 187

Commendarum hodiernarum abuſus notantur. 187. 188

Explicatur Regula, quæ dicitur, de duabus incompatibilibus Eccleſiis, unam Intitulatam, alteram Commendatam habere licere. Cap. 54. de Election. attingitur. 188

Cap. 2. de Cleric. non reſident. unde explicandum. 187

De Origine & uſu Tranſlationum, Incardinationum & Commendarum in Gallia. 188. uſque ad 202

Duo vetera & inſignia Tranſlationum exempla in Gallia Actardi & Frotharii ſub Carolo Calvo, & ad ejus inſtantiam in Synodo Epiſcoporum & autoritate Pontificis. 188 189. & ſeq.

Explicatur & emendatur Can. 10. Cauſa VII *Qu. 1. Incardinatio, Tranſlatio & Unio in perſona Actardi concurrunt.* 189

De ſtatu Eccleſiaſtico Britanniæ noſtræ Aremoricæ ſub Carolo Calvo & Britanniæ Ducibus antiquis. 189

Junge quæ ſub finem Tractatus de Pallio. 240

Non facile admiſſæ, & niſi magna ex cauſa Tranſlationes in Gallia. 200. 201

Can. 47. Cauſa VII. *Qu. 1. explicatur. Canones Conciliorum Africanorum de Tranſlationibus explicantur.* 201

Autoritas Regum noſtrorum in Tranſlationibus. 201. 202

Item Regum Angliæ, & quorundam aliorum. 202

DE Tranſlationibus Sedium. Non licere Epiſcopo mutare Sedem, vel Eccleſiarum privilegia, niſi cauſâ in Concilio cognitâ, & Imperatorum vel Regum interveniente decreto. Quænam juſta cauſa. 202. 203

Explicatur Can. 44. Cauſa VII. Qu. 1. exempla quædam Epiſcopalium Sedium in Gallia tranſlatarum. 203

In Anglia. 203. 204

Aliquando tranſlatis Sedibus, antiquum nomen retinetur. 204

Strictim aliquid aſpergitur de Tranſlationibus, ſive Mutationibus Canonicorum Regularium, Monachorum, Monialium, & Monaſteriorum, in alterum Ordinem & Regulam. 204

EXplicatur accuratè fugitivum cap. 2. de Electione, retrahitur, & reſtituitur proprio tit. de Tranſlatione. 204. uſque ad 216.

Verba primò & varietas lectionum, deinde ſententia excutitur. 205

Can. 4. Nicæni Concilii iterum attingitur, in quo χειροτονία pro Conſecratione. 205

In Tranſlationibus Sedium juſta populi ſuffragia admiſſa; tumultus, factiones, & ſedioſæ plebis acclamationes damnatæ. 205. 206

Can. 1. & 2. Sardic. explicantur. Jure Civili hujuſmodi turbarum acclamationes ſemper improbatæ. Elegans ſuper ea re Hadriani Reſcriptum pro Chriſtianis. Exempla tam ex Jure Civili quàm Canonico. ibid.

Cur ſeveriſſimè primùm Tranſlationes fuerint prohibitæ. 206.

Apologia Gregorii Nazianzeni pro ſua Tranſlatione. 207

Explicatur Synodica Concilii Italiæ, cui præerat Ambroſius, potiſſimum adverſus Gregorium. Item verſus aliquot Gregorii ſubobſcuri de eâ re explicantur. 207

Laïca communio & peregrina explicantur. 207. uſque ad 216

Quibus locis tam apud Gratianum quàm alios peregrinæ Communionis ſit mentio. 207

Quid ipſa ſit. Can. 3. 4. & 5. Concilii Regenſis explicantur. Can. 8. Nicænus attingitur. 208

Variæ aliquorum ſententiæ de peregrina Communione perſtringuntur & rejiciuntur. 208

Communionis Eccleſiaſticæ diviſio, vel ratione Rerum quibus communicamus, vel ratione perſonarum quæ communicant. Locus inſignis Syneſii explicatur. Can. 11. Nicænus attingitur. 208. 209

Ratione rei, communio ſocietatis, orationis, oblationis, Euchariſtiæ. ibid.

Ex hiſtoria Euſebii tres loci illuſtrantur. 209

Communio ratione perſonarum triplex, Eccleſiaſtica, Laïca & peregrina. 209. 210

Ex Auguſtino & Collatione Carthaginenſi loci illuſtrati. 210

Can. 18. Nicænus attingitur. Quid Cancelli, quid vela in Eccleſia. Loci ex Concilio Chalcedon. Athanaſio, Gregorio Nazianzeno & Syneſio explicati. 210. 211

Quid propriè & ſpecialiter ſignificet Peregrina communio, & in quo conſiſtat Can. 6. Nicænus. Canones 14. & 15. Sardic. & Canon. 2. Concilii Con-

ſtantinop. I. illuſtrantur. 211
Quid tranſlatitiè peregrina communio ſignificet, quoties accipitur pro pœna. 212
Explicatur Can. 8. Nicæna Synodi. 212
Concilii Chalced. Act. 11. attingitur. 212
Gravior pœna Regradationis quam peregrina Communionis. 212. 213
Can 16. Concilii Ilerdenſis explicatur. 213
De Depoſitione Epiſcoporum Aſianæ Diœceſeos à Joanne Chryſoſtomo facta, locus inſignis ex Palladio vitæ Chryſoſtomi Scriptore non intellectus ab Interprete explicatur ex Græcis & illuſtratur. 214
Epiſcopatus dignitas eximit à Curia. 214
Duo loci ex Athanaſio non intellecti ab Interprete, vel corrupti, emendantur & explicantur. 214. 215

TRACTATUS VIII.

De uſu & autoritate Pallii.

SERIES *tit. cum præcedd.* 216
Argumentum totius Tractatus. Primò ſumma Capp. hujus tit. quid Pallium, quæ Forma & Benedictio. Secundò Origo & Antiquitas. Tertiò, qui petere teneantur, qui concedere, & quibus concedi ſoleat. Quartò, de juramento præſtari ſolito in Pallii traditione, quis Pallii effectus & utilitas. Quintò de Pallii Conceſſione quibuſdam Epiſcopis ex ſingulari privilegio. ibid.

P*Rima pars, qua omnia Capp. hujus tit. reducuntur ad Rubricam, id eſt ad uſum vel autoritatem Pallii.* 216. uſque ad 222
Primùm, de uſu & modo utendi Pallio. 216. 217
De autoritate Pallii, ejus effectu & poteſtate. 217
Cap. 11. de Electione explicatur. 217. 118. quibus junge ſupra 119. 148.
Concilii Matiſc. I. Can. 6. Jure veteri, quotidianus Pallii uſus. Poſtea non niſi raro quotidie conceſſus. 218
Regulariter pro defunctis, vel tempore jejunii, cum Pallio non licet celebrare. 218
Quid ſit Pallium, ejus Forma & Benedictio. 218. 119
Pallium vocatur à Græcis ὠμοφόριον. *male quidam* φαινόλιον *&* ὠμοφόριον *confundunt.* φαινόλιον, πολυσταύριον, *&* Σάκκος, *idem. Phrygium à Pallio diverſum.* 219. 220
Pallium inſigne proprium ſummi Pontificis, Patriarcharum & Metropolitanorum. 220
Pallii ademptio, exautorationis & depoſitionis nota. 220. 221
Ex Theodori Lectoris excerptis locus inſignis & corruptus, & ab Interprete non intellectus explicatur & illuſtratur. 220
Ordinatio Epiſcoporum Ponticæ Diœceſeos ad Patriarcham Conſtantinop. pertinet. 221

Digitized by Google

Pontificem Romanum etiam Baculum Paſtoralem ſive ferulam initio geſtaſſe. 222

Secunda & tertia Pars: Pallii origo & antiquitas, moribus & conſuetudini, non Juri ſcripto, id eſt antiquis Conciliorum Canonibus tribuenda. 222. uſque ad 229
Hincmari Remenſis duæ Epiſtolæ de Pallio notatu dignæ. 222
Item Iſidori Peluſiotæ lib. 1. epiſtola 136. explicatur, & Canones ex Synodo VIII. contra Photium: in qua primùm aliquid de Pallio definitum. 222. 223
Per univerſam Europam Pallium à Pontifice impetrari ſolitum. 223. & ſeqq.
Quid in Gallia, & de jure Arelatenſis Eccleſiæ. 223. 224
Quid in Anglia & Hibernia. 224. 225
Quid in Germania, Hungaria, Dania, Suecia. 225. 226
Quid in Italia, Sicilia, Sardinia, Hiſpania, Illyrico, Corinthi. 226
Uſurpationes Patriarchæ Conſtantinop. adverſus Pontificem Romanum. 226
Aliquando Patriarcham Conſtantinopolitanum Pallium obtinuiſſe à Pontifice Romano, etiam ante Conſtantinopolim à Latinis captam. 227
Reliqui Patriarchæ propria autoritate Pallium ſibi ſumpſerunt, ſicut & Pontifex Romanus. Qua in re variatum circa miniſtros. 227
Patriarchæ ſinguli Metropolitanis ſuis Pallium concedunt. 228
Quando & qua occaſione Pontifices cœperint etiam Patriarchis majoribus Pallium tribuere, & jus Patriarcharum circa Metropolitanos imminuere. 228
Specialiter aliquando uſus Pallii conceſſus in exequiis. 228
Minorum etiam Patriarcharum jus in Metropolitanos arctiùs reſtrictum. 228
Quomodo, & qua forma Pallium debeat à Pontifice poſtulari. 229

Pars quarta. De Iuramento in Traditione Pallii Pontifici præſtando. Iuramenti variarum clauſularum origo, cauſa & mutationes obſervantur & explicantur accuratè. 229
Quatuor exempla diverſarum formularum inter ſe comparantur. 229
Cap. 4. de Iurejurando explicatur pleniſſimè. 230. & ſeqq.
Electio canonicè facta ab Electoribus Schiſmaticis, & electo Schiſmatico, dummodo ad unitatem redeant, diſpenſativè confirmatur, cap. 5. de Electione. 230
Unde mutuata ſint ſeptem clauſulæ dicti Juramenti. 230
Quid in eo Regalia ſancti Petri. 230
Explicantur Juramenti ea verba, pro poſſe meo, ſalvo ordine meo. 231
Tres articuli, de Profectione ad Synodum, de Profectione Romana, & de Suſceptione Legatorum Apoſtolicorum, abſque venia & conceſſione Regum noſtrorum ſpeciali, executioni non poſſunt mandari, quod jus antiquiſſimum eſſe confirmatur. 231
Idem Jus olim in Anglia. 231
Formula antiqua Sacramenti præſtiti à Bonifacio Martyre Gregorio II. in qua hæc verba notanda, Subditi ſub Jure Canonico. 232
Olim Jure Canonico & Feudorum breviſſima & ſimpliciſſima Formula juramenti. 232

Antiquiſſi-

Antiquiſſimum eſſe Juramentum, quod Regibus noſtris præſertim Epiſcopi præſtare tenentur: recentiſſimum verò & vix ante Gregor. VII. uſurpatum in Conceſſione Pallii. 232

CAP. 4. *de Electione explicatur; & ejus hiſtoria adverſus Baronium & alios Scriptores.* 232. 233

Quæ ſunt de natura & ſubſtantia alicujus actus, quamvis verbis conditionalibus expreſſa, conditionem non faciunt. 233

Cap. 3. hoc tit. & Capp. 3. & 4. de Officio Legati illuſtrantur. 233. 234

In conceſſione Pallii vel confirmantur vetera privilegia, vel nova conceduntur. 234

Privilegia per deſuetudinem amiſſa facilè reſtituuntur. Strictim de Auguſtodunenſi Epiſcopo. 234

Quæ privilegia ſoleant concedi in Conceſſione Pallii, maximè Epiſcopis. 235

In crimine Majeſtatis hujuſmodi privilegia ceſſant. 235

Ex Theodulpho Aurelianenſi locus explicatur. 235

Conceſſio Pallii Epiſcopis indulta non tribuit exemptionem à juriſdictione Metropolitani. 235. 236

Reſcriptum Gregorii XI. ad Carolum V. Franciæ Regem ſuper ea re, in gratiam Pariſienſis Epiſcopi. 236

Pallio & privilegiis Epiſcopos privant Pontifices ſibi non obtemperantes. 237

Gratis concedendum eſſe Pallium. 237

Cap. 18. De Simonia illuſtratur. 237

Pallii Conceſſio ſignum Miſſionis à B. Petro & Sede Apoſt. 237

P*Ars quinta & ult. de Pallio extra ordinem quibuſdam Epiſcopis conceſſo.* 237. uſque ad 242

Oſtienſi Epiſcopo Pallium conceſſum, utendum tantùm in conſecratione Summi Pontificis. 238

Exempla plurium Epiſcoporum, quibus jus Pallii conceſſum. 238

Antiquiſſimum Auguſtodunenſis explicatur & illuſtratur: quod non tantùm perſonæ, ſed Eccleſiæ conceſſum. 238

Metenſis Epiſcopi. 239

Hujuſmodi privilegia Epiſcopis, Salvo Jure Metropolitanorum, conceſſa. ibid.

Loci inſignes in eam rem ex epiſtola quadam Hadriani Papæ ad Berterium Vienenſem, & ex alia ad Carolum Magnum. 23. 240

Inſignis de Jure Metropolico controverſia inter Turonenſem Archiepiſcopum, & Dolenſem Epiſcopum explicatur, & illuſtratur epiſtola MS. Ildeberti. 240. 241

Autoritas Regum noſtrorum in hujuſmodi controverſiis. 241

Faciliùs perſona alicujus Epiſcopi Pallium ſpecialiter indulgetur, quàm Eccleſiæ cui præeſt. 241

Actardi Nannetenſis Privilegium ſpeciale expenditur. ibid.

Quare Regum conſenſus in impetratione Pallii poſtulandus neceſſariò. 272

Digitized by Google

TRACTATUS IX.

De Renunciatione.

EXPLICATUR *quid ſit Renunciatio, quàm latè pateat. Connexio hujus tit. cum præcedentibus, præcipuè cum tit de Pallio.* 243. 244
Nemo ſponte renunciare poteſt dignitati vel loco quem in Eccleſia obtinet, abſque autoritate Superioris. 244
Renunciationis definitio. 244
Nullus in hoc tit. apud Gregorium, vel in antiquis Collectionibus, Pontifex antiquior Alexandro III. autor Decretalium de Renunciatione. 244
Origo & progreſſus juris de Renunciatione ante Alexandrum III. tam in Orientali quàm in Occidentali Eccleſia. 244
Orientalis Eccleſiæ Jus circa Abdicationes, ſeu Renunciationes. Exempla. Forma renunciandi. Imperatorum autoritas in Renunciatione. 245. 246
Occidentalis Eccleſiæ jus circa Renunciationes. 247. 248
Locus ſingularis ex Concilio Milevitano. 247
Cap. 1. De Tranſlatione attingitur. ibid.
Conveniſſe ferè Eccleſiam Occidentalem cum Orientali. 247. & ſeq.
Pontifices prætextu Majorum cauſarum Renunciationes Synodis Provincialibus ademerunt, & in ſe tranſtulerunt. 248
Joannes Diaconus notatur. 248
Regum tamen noſtrorum & aliorum conſenſus requiſitus in Renunciationibus. Exempla referuntur. 248
Summa Decretalium, quæ ſub hoc tit. & in VI. & Clementinis. Ad tria Capita reducuntur: ad perſonas Renuntiantium, ad formam Renunciationis, & ad cauſas legitimas Renunciandi. 248
De Perſonis. 248. 249
De forma Renunciationis. 249. 250
Renunciatio aliquando concurrit cum nova Electione, quo caſu & facultas renunciandi, & electionis admittendæ à Superiore ſimul eſt impetranda, nec obſtat contraria Conſuetudo. Cap. 36. de Electione in VI. explicatur. 249
Ante factam Electionem facultas Electionis admittendæ ut ambitioſa rejicitur. ibid.
Non facilè præſumitur Renunciatio ex actu quolibet, ſed ex legitima & ſolemniter facta renunciatione tantùm. 250
Quis ſit legitimæ Renunciationis effectus. 250
Cauſæ cognitio in Renunciationibus ſive Reſignationibus neceſſaria. Quænam ſint juſtæ Renunciationum cauſæ. 250
Poſt petitam à Pontifice inſtantiùs Renunciationem variare non licet. 251
Hodiernas Renunciationes in gratiam perſonæ, ſive in favorem, ſine cauſa, ſub conditione, vel ſub annua penſione, abſque legitima cauſa Canonibus comprehenſa, omnino improbari. 251
Cap. 1. hoc tit. pleniùs explicatur. 251
Quid obſervandum in traditione Pallii facienda, vel à Legato, vel à Dele-

Digitized by Google

gato Pontificis. 251
Monachiſmus non eſt juſta cauſa renunciandi Epiſcopatu. 251
Admittitur tamen facilè, ſi Clerici vel Canonici Monaſterii causâ renuncient. 252
Cap. 8. pleniùs explicatur. Qui ſponte & liberè in manus Laïci reſignat Beneficium, nihil agit; quare nec ipſo facto privatur Beneficio. 252
Qui tamen in manibus Laici renunciat, Patroni verbi gratiâ & ab eodem iterum Beneficium ſuſcipit, non adhibito Epiſcopo, privatur Beneficio. Can. Gonſaldus XVII. Qu. 2. explicatur. 252. & ſeq.
Cap. XI. pleniùs explicatur. 252
An & quibus caſibus Epiſcopus vel Clericus, qui ſponte dimiſſo Epiſcopatu, vel Beneficio, ut monaſticam vitam amplecteretur, iterum eligi poſſit ad Epiſcopatum vel ad aliud Beneficium. 253
Vel pietatis & auſterioris vitæ causâ, vel etiam pœnæ & pœnitentiæ gratiâ, Epiſcopi vel Clerici Monaſterium ingrediuntur. 253
Can. 29. & 58. Diſt. L. illuſtrantur & emendantur. 253
Ex cauſa criminis gravis, Epiſcopi vel Clerici convicti, & in Monaſteria relegati, iterum ad honores Eccleſiaſticos redire non debent. Aliud ſi citra crimen ſponte vel coacti Monaſterium fuerint ingreſſi. 253
Explicatur celebris Canon, Hoc nequaquam 45. Cauſa VII. Qu. 1. ibid.
Error Innocentii III. & Collectorum notatur. ibid.
Cauſa & origo erroris declaratur. 254
Pſeudoſynodi VIII. Canones à Photio confecti. 254

DISSERTATIONIS.

In Cap. auditis de Præſcriptionibus, &c.

PROTHEORIA hiſtorica trium Capitum. 255 256
Emendatio inſcriptionis cap. 17. de Privileg. 256
Narratio facti & ordo totius litis. 256 257
Errores Interpretum notati, Celeſtini nomen retinendum in cap. Auditis de Præſcrip. 258. 259
Partitio Diſſertationum hujus libri. 259

Cap. I. de Lege Diœceſana, ſive de Juriſdictione Epiſcopi in Monachos.

Legem Diœceſanam, univerſam Epiſcopi poteſtatem continere, non eſſe diverſam ab ea quæ vulgò dicitur Lex Juriſdictionis. 259
Can. 3. Concilii Ilerdenſis ad oblationes tantùm pertinere: ejuſdem vera expoſitio. 260 261
Jus Epiſcoporum Galliæ & Hiſpaniæ in Monachos. Cur Hiſpani ſæpiùs mentionem faciant Conciliorum Galliæ. 261
Brevis ſynopſis totius Diſſertationis. 262
Qua loquendi forma Lex Diœceſana eſt denominata. Innocentium IV. errorem

vetterum de Lege Juriſdictionis ſubodoratum.

Cap. II. de Exemptionibus.

Exemptiones ad æquitatem non ad jus ſtrictum eſſe referendas. Ordinis ratio. 262
Exemptionum initia & progreſſus in Anglia. 263
In pleriſque Cathedralibus Eccleſiis Angliæ inductos Monachos fuiſſe, non Canonicos vel Clericos; unde idem Abbas qui & Epiſcopus. 263
Inſigne reſcriptum Alexandri II. in eam rem apud Eadmerum *in gratiam Monachorum.* 264
Exemptionum initia & progreſſus in Gallia, Marculphi formula prima & ſecunda illuſtrata. 264. 265
Lerinenſis exemptio indicata primùm, & Concilium Arelat. III. illuſtratum. 265. 266
Agaunenſis exemptio. 266
Sancti Marcelli & Symphoriani. Item Luxovienſis. Regula Columbani. 266. 267
Exemptiones Monaſteriorum conceſſionibus Regum noſtrorum indigent, etiam in ſpiritualibus. 268
Pontificis confirmatio poſteà petita & conceſſa, ſed causâ cognitâ: quod videtur cœpiſſe circa tempora Gregorii I. & Adeodati: contradicto judicio etiam firmatæ. 269. 270
Antiquis exemptionibus tantùm Abbatis electio & libera rerum diſpenſatio permiſſa, in reliquis Epiſcoporum jura conſervata. 270. 271
Vetus mendum ſublatum ex Can. 5. XVIII. *Cauſa, Qu.* 2. 271
Mendoſum & ſuppoſitum eſſe Concilium Lateranenſe, quod tribuitur vulgò Gregorio I. 271. 272
Prima regula ſemper obſervanda. ibid.
Tranſitus ad novas exemptiones: fuiſſe frequentes in Gallia & Anglia. 273 & ſeq.
Earum jura, forma & conceptio verborum in illis varia. 273. 274
Earumdem concedendarum cauſa, eadem contradicto judicio ſæpiùs à Pontificibus firmata, & etiam ſine conſenſu Epiſcoporum conceſſa. 274
Conciliis generalibus recepta & temperata. 275
Limitatio hujus tractatus. Quid ſit pleno jure poſſidere Eccleſias. 275

Cap. III. De Præſcriptionibus.

Connexio iſtius cap. cum ſuperioribus. 276
Cur in præſcriptionibus Eccleſiaſticis incipiendum ſit à titulo, non à poſſeſſione. 276
Bona fides perpetuò requiritur. ibid.
Tempora præſcriptionum. ibid. in fine.
Nova interpretatio omnium ferè Canonum Qu. 3. *&* 4. *Cauſa* XVI. ibid. & 277.
Illuſtrantur L. unic. C. Theod. de actionib. certo temp. fini. L. 4. *Cod. finium regund. & L.* 3. *Cod. de Præſcrip.* 30. *vel* 40. *anno.* 277. 278

Controverſia de proprietate, de modo, de jure territorii ſunt diſtinguenda 278
Explicatur cap. 4. de parochiis, emendatur Canon 4. Concilii Tolet. IV. 279
Locus ſingularis L. un. Cod. Theod. Si certum pet. de chirogr. quo probatur, Theodoſium Juniorem primum eſſe autorem præſcriptionis 30. annor. 279
Illuſtratur cap. 8. de Præſcrip. ibid.

Cap. IV. De Interruptionibus præſcriptionum.

Connexio iſtius cap. cùm ſuperiori. 280
Varii interruptionis modi ex utroque Jure. ibid.
Proceſſionis & procedendi ſignificationes diverſa, & ſuper ea re Cujacii opinio expenſa. 281
Litaniarum plures ſignificationes. ibid.
Præſcribi privilegia 30. annorum ſpatio. Cap. 6. & 15. de privileg. illuſtrantur. 282
Viſitatio & procuratio ad quos pertineat. Viſitationem nec præſcribi poſſe, nec remitti ſolere: procurationem remitti poſſe, non præſcribi. 282
De ſolutione denariorum ſancti Petri in Anglia, & quo ſenſu eorum exactio ad jus Epiſcopale dicatur pertinere. 283
Cenſus denariorum ſancti Petri in ſingulis domibus Albigenſibus ereptis. ibid.
Brevis hujus capitis conjectio. ibid.

Cap. V. De antiquo ſtatu Religioſorum in Gallia.

Ordo & ſeries iſtius cap. & connexio cum ſuperioribus indicatur. 284
Ex quibuſdam Capitularibus interrogationum Caroli Magni duo capita exponuntur. 284
In Gallia Monaſteria fuiſse multa ante Benedictum. Martinus primus autor. 284.
De Lerinenſibus Monaſteriis, Maſſilienſibus, Grinincenſibus, & aliis ante Benedictum. 285
Eorum regulæ & inſtitutiones variæ fuerunt in Gallia: quod improbatum. 286
Hanc tractationem à Juriſconſulto non eſſe alienam. 287
Non tantùm in Gallia, ſed etiam in Italia ante Benedictum plura fuiſſe Monaſteria. 287.
De Romano Monacho antiquiore Benedicto. ibid.
Quo tempore Benedictus & ejus Regula per Gallias innotuerit, & ſuſcepta ſit. 287. & ſeq.
Diſtinctio Canonicorum Regularium, & eorum Abbatum à Monachis. 288
Quando cœperit diſtinctio Monachorum in nigros & albos. 288
Statuta & Regulas Monachorum ad diſciplinam tantùm pertinere, non ad juriſdictionem. De juriſdictione Epiſcoporum in Monachos. 288
Plures Canones ad eam ſpectantes relati. Gratianus notatus. 289

COMMENTARII TITVLI I.

De vita & honeſtate Clericorum Decretal. Lib. III.
Ad Rubricam.

DECRETALIUM *methodus breviter perſtringitur. Quid libro tertio Decretalium contineatur.* 290
Cleri & Clericorum nomen fideles omnes comprehendere. Diviſio Pauli in Clerum τῆς ἐξουσίας, & in Clerum τῶν ἁγίων ἐν τῷ φωτί fusè declaratur. 291
Cleri τῆς ἐξουσίας ſubdiviſiones variæ proponuntur. 292 & ſeq.
Preſbyterorum & Diaconorum dignitas & autoritas. 292
In ſacris conſtituti ordinibus ἱερεῖς propriè appellantur: reliqui Clerici inferioris gradus numerantur. Can. 15. Laodic. explicatur. 293
De Diaconiſſis Canones aliquot antiqui illuſtrantur. 293
Matricarii & Matricaria unde. 294
Varias Matriculas in Eccleſiis fuiſſe. ibid.
Monachi ab omni Clero, ſive ſuperioris, ſive inferioris ordinis ſeparantur 294
In Clerum tamen cooptari poſſunt, & quomodo. 295
Materia totius tituli. ibid.

Ad Cap. I.

Methodus obſervanda in interpretatione ſingulorum capitum. 296
Sententia cap. 1. ſecundùm Raymundum. 296
Unde deſumptum eſt hoc cap. & juris progreſſus indicatur. 297
Ordo ſedendi Clericorum & Laïcorum & ipſius Imperatoris in Eccleſia explicatur. 297. 298
Can. 69. Synodi ſexta explicatur. 297
Quid ſit Senatorium. Gloſſa errores duo. Quid ſit Diaconium vel Decanicum. 298. 299.

Ad Cap. II. X. penult. & ult.

Sententia omnium capit. exponitur. 299
Origo cap. 2. indicatur. Uſus armorum Clericis prohibitus, & in eam rem ſelecta quædam. 300
Fœnus Clericis ſemper interdictum etiam legitimum, à quo tempore Laicis etiam vetitum. 301
Quid ſint hemiolia in veteribus Canonibus Niceno 17. & Laodic. 5. excutitur. 301. 302
Capitis 10. & pen. ſententia. Accurata interpretatio cap. ult. & ejus vera hiſtoria. 302. 303
Cap. pen. de Cleric. conjug. explicatur. Notatur Gloſſa. De pœnis Clericorum. 304

Digitized by Google

Ad Cap. III.

Vera mens hujus capituli progreſſus juris, maximè in Gallia. 304. & ſeq.
Multiplex Scholarum inſtitutio. 305
De Dignitate Scholaſtici & ejus officio. Galliæ Conciliis juris hujus conſtitutio diligens tribuenda. 306
Publicæ Scholæ à reliquis differunt. Diverſæ ſunt etiam ab illis Juris Civilis & Canonici Scholæ. 307

Ad Cap. IV. V. VI. VII.

Brevis comprehenſio ſententiæ horum capit. 307
Juris progreſſus. Explicatio vera Can. Non liceat, Diſt. XXXII. 308. 309
Lectionum varietatis & Interpretum errorum cauſam ex ignoratione progreſſus hujus juris eſſe repetendam. Cap. 6. hujus tituli prolixior interpretatio. 309. 310

Ad Cap. VIII. & XIII.

Utriuſque cap. origo & ſententia proponitur. 310
Capitis 8. plenior interpretatio. Clerici & Monachi incontinentiæ vitium honeſtis nominibus velare ſoliti. Duplicia Monaſteria quare ſublata. 311

Ad Cap, IX. & XI.

Caput 9. explicatur. Iuris progreſſus. 311. 312
Differentia inter Canonicos regulares & Canonicos ſimpliciter appellatos. 312
Canonicos regulares à Monachis differre, licèt multa cum Monachis habeant ſimilia. 313
Quo potiſſimùm tempore plerique Regulares à regula receſſerunt. 313
De certo numero Canonicorum vel Clericorum in Eccleſiis conſtituendo. 313 314.
Caput 11. *exponitur, & de veſtium diſcrimine tractatur. Quo tempore Monachi in nigros & albos diſtingui cœperunt.* 314

Ad Cap. XII. XIV. & XV.

Ne ſpectacula fiant in Eccleſiis, & generaliter prohibentur tam Clerici quàm Laici ludos theatrales ſpectare. 315
Itemque ebrietas, & ne tabernas frequentent. ibid.
Opera & negotiationes inhoneſtæ Clericis prohibentur: imperantur honeſtæ. ibid.
Aleâ & taxillis non tantùm ludere, ſed etiam hujuſmodi ludis intereſſe diſtrictiſſimè prohibentur Clerici. Locus Euſebii notandus in hanc rem: itemque Laici. 315. 316
De veſtitu Clericorum locus inſignis Bernardi ad interpretationem cap. 15. *Generalis obſervatio ad ea pertinens quæ continentur hoc titulo.* 316

PRÆFATIONIS

in aperiendis Iuris Scholis.

De Diſpenſationibus Eccleſiaſticis.

EXORDIUM *adverſus compendiorum Iuris & Methodorum ſcriptores.* 317 & ſeqq.

Præfationis ordo. Diſpenſationis ethimologia : varia ſynonyma. Ejuſdem diviſio hæc ut vel in rebus, vel in verbis conſiſtat. 318. 319

Quæ in verbis, pertinet ad ſacrarum Scripturarum interpretationem. 319

Ejus quæ conſiſtit in rebus, ſpecies præcipua eſt Chriſti Domini Incarnatio, quæ pertinet ad Theologiam. ibid.

Altera ejuſdem ſpecies ſpectat ad fidelium mores & Eccleſiæ diſciplinam. Proponitur ejus definitio. 320

Non cadit diſpenſatio, niſi à ſolo Deo conceſſa, in præcepta immobilia, ut nec in dogmata fidei. 320. 321

Aliud in præceptis mobilibus & mutabilibus obtinet, exigente ſcilicet Eccleſiæ utilitate vel neceſſitate, cauſaque per Eccleſiæ Præſules ſeriò perpenſa, ne decipiantur boni ſpecie : quod firmatur exemplo è Politica petito. 321. 322

Juris Interpretes hujus diſpenſationis modo tres, modo ſex ſpecies aſſignant. Melius quatuor objectorum ratione in quatuor ſpecies dividitur, quæ enumerantur. 323

Prima ſpecies reliqua præfatione illuſtratur, adductis exemplis ex Scriptura ſacra, hiſtoria Eccleſiaſtica & Conciliis. 323. in fine, 324. & ſeqq.

Paulus uſus eſt diſpenſatione dum Timotheum circumcidi paſſus eſt, quam tamen aliàs non admiſit, imò Petro ea in re reſtitit. 324

Concilium Nicænum Arianos & Novatianos converſos & pœnitentes Epiſcopos & Clericos in ſuo gradu remanere eadem diſpenſatione conceſſit. 324 325.

Idem poſtea factitatum ab utraque Eccleſia poſt Ariminenſis perfidiæ facinus circa pœnitentes Epiſcopos & Clericos, qui Conſtantio vel metu territi vel pecuniis corrupti ceſſerant : quod Eccleſiæ factum à ſolo Lucifero fuit improbatum. 325. 326

Idem quoque uſurpatum circa Donatiſtas in Africa, poſt ſuam ſcilicet correctionem & pœnitentiam. 326. 327

Reliqua quæ ad primam illam diſpenſationis ſpeciem pertinent, per indicem explicantur, ubi & autor, qui in 2. parte nunc eduntur, pleroſque tractatus, de Statu Monachorum, de Matrimoniis, de Præbendis & Dignitatibus, de Jure Patronatus, ſuos agnoſcit. 327. 328

DISPUTATIONIS

DISPVTATIONIS.

De nuptiis conſobrinarum vetitis aut permiſſis.

PROPONITUR *ſtatus quæſtionis & ſimul dicatio Diſputationis. Adverſa ſententiæ momenta referuntur.* 329. 330. 331
Autoris ſententia proponitur. Lex 3. Cod. Theod. de inceſtis nupt. Lex Celebrandis Cod. Juſtin. de Nupt. & Lex un. Cod. Theodoſ. Si nupt. ex reſcrip. pet. ratione temporum habita inter ſe conciliantur, comparantur & explicantur. 331. 332
Quibus rationibus Arcadius & Honorius L. celebrandis promulgaverint. 332 & 333.
Lex Celebrandis fuit generalis conſtitutio, non ſpeciale beneficium, contra quam ſenſit autor adverſæ ſententiæ. 333. & 334
Lex Celebrandis vera eſt, non ſuppoſita, vel interpollata. 334
Reſpondetur rationibus & momentis adverſæ ſententiæ. 334. fine & ſeqq.
Cur Lex Celebrandis omiſſa fuerit in Cod. Theod. Cur valeat quamvis ſit ſine die & Conſule. 334. in fine & 335. principio.
Probatur L. Celebrandis veram eſſe autoritate Gregorii M. Arguitur Briſſonius. 335.
Etſi L. Celebrandis ſuppoſititia eſſet, non deſunt tamen alia Iuris loca & in Dig. & in Cod. quibus probetur nuptias conſobrinarum à Iuſtiniano fuiſſe permiſſas. 335. & 336
Explicatur §. Duorum autem fratrum Inſtit. de nuptiis, qui in pluribus Codicibus affirmativè legitur, & ex Ulpiani loco tit. de nupt. confirmatur. 336. & 337.
Cur in multis Codicibus & Theophilo negatio irrepſerit in d. §. Duorum autem, & cur Lex Celebrandis abſit à Baſilicis. 337 & 338
Orientalis Eccleſia ſemper retinuit modum numerandi gradus Iure Civili proditum; Eccleſia verò Latina etiam uſque ad Gregorium M. & Zachariam. 338

GRÆCARUM DICTIONUM,

& locorum ab Autore in utraque parte laudatorum,

INTERPRETATIO.

IN PRIMA PARTE.

PAg. 3. διατυπώσεις, conſtitutiones. *ibid.* πολιτείαν, diſciplinam. *ibid.* πίστιν & πολιτείαν, fidem & diſciplinam. *ibid.* κανονίζειν καὶ δογματίζειν, canones facere & dogmata definire.

Pag. 5. συγγνώμην, veniam. οἰκονομίαν, diſpenſationem. ἐνσάρκωσιν, ἐνανθρώπησιν, ἔνσαρκον ἐπιφάνειαν, incarnationem, humanitatis aſſumptionem, carnalem apparitionem.

Pag. 6. θεολογία, divinitatis ſermo. οἰκονομία & θεολογία, diſpenſatio & de Deo locutio. τὴν σαρκὸς τοῦ Σωτῆρος ἡμῶν γενεαλογίαν, carnis Salvatoris noſtri genealogiam. θεανθρωπίαν, Dei humanitatem. τὸ αὐστηρὸν, & τὸ ἀκριβὲς, ſeveritas & diligentia. συγκαταβάσει, condeſcenſioni, Gall. *condeſcendance.*

Pag. 7. τὰ πατροπαραδοθέντα, à patribus tradita.

Pag. 10. ἁγιόγραφα, ſancta ſcripta.

Pag. 14. τοὺς τῆς Ποντικῆς, καὶ τῆς Ἀσιανῆς, καὶ τῆς Θρᾳκικῆς διοικήσεως Μητροπολίτας, Ponticæ, & Aſianæ, & Thracicæ diœceſis Metropolitanos. ἐπὶ μείζονα Ἐπισκόπων σύνοδον, in majorem Epiſcoporum ſynodum.

Pag. 15. πρακτικὰ, activa.

Pag. 18. ἐκτεθέντας, ἢ βεβαιωθέντας, editos, aut confirmatos.

Pag. 20. *in margine,* ἐκκλήτοις ὡς ἐν δημοσίῳ δικαστηρίῳ χρησάμενος, evocatis ut in publico foro utens.

Pag. 23. ἀνεκδότοις, non editis.

Pag. 37. Συναγωγὴ κανόνων εἰς ν΄. τίτλους διῃρημένων παρὰ Θεοδωρήτου Ἐπισκόπου τοῦ Κύρρου. Οἱ τοῦ μεγάλου Θεοῦ καὶ Σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ μαθηταὶ καὶ ἀπόστολοι, καὶ μὴν καὶ τῆς Ἐκκλησίας αὐτοῦ τῆς ἁγίας οἱ μετ᾽ ἐκείνους καὶ κατ᾽ ἐκείνους ἀρχιερεῖς καὶ διδάσκαλοι, τὴν δὲ ἐθνῶν ἅμα καὶ Ἰουδαίων πληθὺν, τῆς διαβολικῆς ἀπάτης καὶ τυραννίδος ἀποφοιτήσασαν ὀρθῇ τε διανοίᾳ καὶ πίστει πρὸς τὸν βασιλέα καὶ κύριον τῆς δόξης αὐτομολήσασαν, ὁσίως ποιμαίνειν ἐγχειρισθέντες ὑπὸ τῆς χάριτος· οὐκ ᾤοντο δεῖν ὥσπερ οἱ πολιτικοὶ νόμοι τοὺς πλημμελοῦντας αἰκίζεσθαι, τοῦτο γὰρ ἀήθης αὐτοῖς κομιδῇ καὶ λίαν ἀπηνὲς κατεφαίνετο· προκινδυνεύειν δὲ μᾶλλον αὐτῶν ἐτιμῶντο, καὶ τοὺς ἀνόητα ἰόντας ἐπιστρέφειν ἐσπούδαζον, ἐπὶ τοὺς πλανωμένους ἔτι καὶ τῆς εὐθείας ἐκκλίνοντας ὡς ποιμὴν ὁ καλὸς ἀμελητὶ καταθέοντες, τοὺς δὲ προλιπεῖς ἤδη κατενεχθέντας ἐπὶ τὸ βάραθρον ἀνασπᾶσαι παντοίαις ἐπινοίαις ἀγωνιζόμενοι· καὶ τὸ μὲν ἤδη σεσηπὸς καὶ λίαν ἠῤῥωστηκὸς τῇ μαχαίρᾳ τοῦ πνεύματος εὖ μάλα σοφῶς καὶ τεχνικῶς ἀποξέοντες· τὸ δὲ συντριβὲν δὲ αὐτῶν καὶ λυόμενον φαρμακοῖς ἠπίοις ἁπαλοῖς καὶ δεσμοῖς λογικοῖς ἐπισφίγγοντες, οὕτω τῇ χάριτι καὶ συνεργίᾳ τοῦ πνεύματος εἰς τὴν προτέραν ὑγίειαν ἐπανήγαγον τοὺς κάμνοντας. ἵνα τοίνυν καὶ αὖθις οἱ μετ᾽ ἐκείνους ἐσόμενοι τοὺς ὑπ᾽ αὐτῶν ἀρχομένους ἀβλαβεῖς διασώζωσι, τούτων ἕκαστοι κατὰ καιροὺς ἰδίους εἰς ταὐτὸν συνιόντες οἱ τρισμακάριοι, τῆς θείας χάριτος οἰκονομούσης τοῦτο καὶ συναθροιζούσης ἑκάστης αὐτῶν συνόδου τὸν σύλλογον, νόμους τινὰς καὶ κανόνας οὐ πολιτικοὺς, ἀλλὰ θείους περὶ τῶν πρακτέων ἢ μὴ πρακτέων ἐξέθεντο τὸν ἑκάστου βίον καὶ τρόπον ἐπανορθούμενοι· τοὺς μὲν ὅσοι

βασιλικῇ προθυμούμενοι ὑποστηρίζοντες, ἐπιτιμῶντες δὲ αὐτοὺς πλάγια. Ἐπεὶ οὖν πάλαι κατὰ καιροὺς ὑπὸ διαφόρων πρὸς διαφόρους καὶ διαφόροις ἁρμόζοντες οἱ νόμοι καὶ κανόνες τῆς Ἐκκλησίας ἐτέθησαν· δέκα γὰρ μετὰ τοὺς ἀποστόλους αἱ μεγάλαι τῶν πατέρων γεγόνασι σύνοδοι· πρὸς τούτοις δ' αὖ καὶ Βασίλειος ὁ μὲν περὶ πολλῶν ἐκανόνιζεν. Εἰκότως καὶ διὰ τοῦτο σποράδην ὑπ' αὐτῶν ὡς ἀπῄτει τὰ κατὰ χρόνον ἀναφυόμενα, καὶ οὐ τάξει τινὶ πραγμάτων, ὡς ἐν κεφαλαίοις διῃρημένοι οἱ κανόνες ἐγράφησαν, ὡς ἐκ τούτου δυσεύρετον εἶναι κομιδῇ καὶ δυσπόριστον τὸ πρός τινων ἀθρόως περὶ κανόνος ἐπιζητούμενον. διὰ τοῦτο χάριτι τοῦ Κυρίου καὶ Θεοῦ καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ τὰ σποράδην ὑπ' αὐτῶν ὁρισθέντα κατὰ καιροὺς, εἰς ἓν ἡμεῖς ἀθροῖσαι σπουδάσαντες· καὶ ταῦτα διελόντες εἰς τίτλους πεντήκοντα, οὐ τάξιν τινὰ καὶ ἀκολουθίαν ἀριθμῶν ἐφυλάξαμεν, πρῶτον ὡς εἰπεῖν καὶ δεύτερον, καὶ τρίτον, καὶ τέταρτον, καὶ πέμπτον αὖθις κανόνας συνάψαντες, ἀλλ' ὅμοια τοῖς ὁμοίοις ὡς οἷόν τε συναρμόσαντες καὶ ἴσον ἴσῳ κεφαλαίῳ συμπλέξαντες, ῥᾳδίαν ἐποιησάμεθα ἅμα καὶ ἄπονον τοῖς πᾶσιν, ὡς οἶμαι, τῶν ζητουμένων εὕρεσιν· οὐκ αὐτὸ τοῦτο μόνον καὶ πρῶτοι τῶν ἄλλων ποιῆσαι ὁρμήσαντες, ἀλλ' ἑτέρους εὑρόντες ταῦτα διελόντας εἰς τίτλους ἑξήκοντα, καὶ μήτε τοὺς Βασιλείου κανόνας τοῖς ἄλλοις ἐπισυνάψαντας, μήτε καὶ ὅμοια τοῖς ὁμοίοις, ὡς ἔδει, πράγματα συναρμόσαντας, ὡς ἐν τίτλοις διὰ τὸ πολλοὺς περὶ ἑνὸς κεφαλαίου κανόνας εὑρίσκεσθαι, καὶ δυσάλωτα γίνεσθαι τὰ περὶ τοῦ πράγματος ἑνὸς παρὰ τῶν ὅλων κανονιζόμενα σαφεστέραν, ὡς οἶμαι, ταύτην ἡμεῖς τῇ παραθέσει τῶν ὁμοίων ποιῆσαι τῶν κανόνων τὴν διαίρεσιν ἐσπουδάσαμεν. τῆς ἑκάστου πρὸς τούτοις τῶν τίτλων ἐπιγραφῆς προσημαινούσης εὖ μάλα τῶν ἐμφερομένων τὴν δύναμιν. ἡ δὲ τάξις αὕτη τῶν συνόδων μετὰ τοὺς ἀποστόλους, καὶ πόσους ἑκάστη κανόνας ἐξέθετο, πόσους δὲ καὶ Βασίλειος ὁ θαυμαστὸς συνεγράψατο, διὰ τῶν ὑποκειμένων ἀποσημεῖ τοῖς ζητοῦσι γνωσθήσεται. ἔστι γὰρ ὧδέ πως ἔχουσα καὶ οὐκ ἀσυμφανὴς, ἀλλὰ καὶ λίαν εὐσύνοπτος τοῖς εὖ τούτῳ χαίρειν ἐθέλουσιν.

Collectio Canonum in quinquaginta titulos digeſtorum, per Theodoretum Epiſcopum Cyrrhi. Magni Dei & Servatoris noſtri Jeſu Chriſti Diſcipuli & Apoſtoli, & etiam Eccleſiæ ejus ſanctæ, qui cum illis & poſt illos fuerunt, Pontifices & Doctores; ex Gentibus ſimul & Judæis plebem à diabolica fraude & tyrannide refugientem, rectàque cogitatione & fide ad Regem & Dominum gloriæ ſponte transfugam, ſanctè paſcere aggreſſi per gratiam; non putabant oportere, quemadmodum leges civiles ſanciunt, noxios mutilare: hoc enim ineptum illis valdè & admodum indecorum videbatur: periclitari verò potiùs pro illis promptiſſimè & retrorſum euntes convertere ſtudebant, adverſus errantes inſuper, & à recta via devios ut paſtor bonus protinus accurrentes, & præcipites jam ablatos in barathrum retrahere omnibus rationibus certantes, & quod jam putridum ac valdè vitiatum erat, gladio ſpiritus, ſapienter admodum & ex arte reſecantes; quod autem colliſum ex illis & diſſolutum erat, remediis quibuſdam mitibus & ligaturis ratiocinii aſtringentes; ſic gratiâ & cooperatione ſpiritus ad priſtinam ſanitatem reducebant ægrotos. Ut igitur rurſus qui poſt illos futuri ſunt, eos qui ab ipſis initiati ſunt, incolumes conſervarent, horum ſinguli, per propria tempora in unum coëuntes beatiſſimi, divinâ hoc gratiâ procurante, & congregante cujuſque eorum Synodi collectionem, leges aliquas & canones non civiles, ſed divinos de agendis aut non agendis tradiderunt, uniuſcujuſque vitam & mores corrigendo, viâ quidem regiâ euntes confirmando, & objurgando eos qui aberrant ad obliqua. Quoniam igitur olim pro temporibus, à diverſis ad diverſos, & diverſis convenientes leges & canones Eccleſiæ ſanciti ſunt: decem enim poſt Apoſtolos magnæ Patrum fuerunt Synodi. Præterea Baſilius magnus de multis Canones fecit: idcirco, ut veriſimile eſt, ſparſim ab illis, ut poſtulabant ea quæ per tempus ſuccreſcunt, & non ordine quodam rerum, velut in capita diſtinctarum, Canones ſcripti

ſunt; ita ut ex hoc valdè difficile ſit invenire, & præſtare quod ab aliquibus confertim de Canone quæritur. Quamobrem, gratiâ Domini & Dei & Servatoris noſtri Jeſu Chriſti ſparſim ab illis definita variis temporibus, in unum nos conferre ſtudentes, & hæc dividentes in titulos quinquaginta, nullam ſeriem & conſequentiam numerorum ſervavimus, primum verbi gratiâ, & ſecundum, & tertium, & quartum, & quintum deinceps Canones conjungendo, ſed ſimilia ſimilibus quantum fieri potuit coaptando, & conforme conformi capiti complicando, facilem reddidimus & planam omnibus, ut puto, quærendi methodum, non ipſi hoc ſoli & primi inter cæteros facere aggreſſi, ſed alios nacti qui hæc diviſerunt in titulos ſexaginta, & qui neque Baſilii Canones aliis conjunxerunt, neque etiam ſimiles res ſimilibus, quod oportebat, coaptaverunt, velut in titulos. Quòd verò multi de uno capite Canones inveniantur, & difficilè ſit reperire ea quæ de una re in omnibus Canonibus conſtituuntur: manifeſtiorem quoad fieri potuit nos appoſitione ſimilium reddere Canonum diviſionem ſtuduimus; ſingulorum inſuper titulorum inſcriptione præ ſe ferente evidentiſſimè eorum quæ continentur vim propriam. Ipſa porro ſeries Synodorum poſt Apoſtolos, & quot ſingulæ Canones ſanxerint, quotque divinus vir Baſilius conſcripſerit, per ea quæ ſubſequuntur, nullo labore quærentibus patebit. Eſt enim directa & non obſcura, ſed potius perquàm facilis intuitu nanciſci volentibus.

Pag. 42. δεῖγμα, ſpecimen. διατυπώσεις, conſtitutiones.

Pag. 62. χειρὶ, ἀλλὰ μὴ ὅλῳ θυλάκῳ, manu, ſed non toto ſacco. ἀγνοοῦσιν οἱ πολλοὶ, καὶ κερδαίνουσιν, ὅτι ἀγνοοῦσι. πείθου γὰρ τοὺς πέλας, ignorant multi, & eò lucrantur quòd ignorant. perſuadent enim vicinis.

Pag. 64. διεξοδικὸς λόγος, diffuſa oratio.

Pag. 66. ἀγαθὴ δ' ἔρις ἣ δὲ βροτοῖσι, pulchra verò contentio hæc mortalibus.

Pag. 69. καθαίρεσιν, ἀφορισμὸν, ἀνάθεμα, deprecationem, ſeparationem, anathema. ὡς ἀπανθρώπινον θάνατον, ut inhumanam mortem. Μὴ γοῦν θαυμάσῃς, ὅτι ἡ ἐν Κωνσταντινουπόλει σύνοδος, ἐπὶ τῶν ἡμερῶν τοῦ ἁγιωτάτου Πατριάρχου κυρίου Μιχαὴλ τοῦ Ὀξείτου, διέγνω, καὶ ἐπέτρεψε καυθῆναι Βογομίλους. Εἰκὸς γὰρ δεῖ μὴ πρακτυαθῆναι τότε τοὺς νόμους, καὶ μᾶλλον ὅτι τότε ἀμεταθέτως ἔχοντες τῆς οἰκείας αἱρέσεως οἱ Βογόμιλοι, ὡς μαρτύριον περιήρπαζον τὴν καῦσιν. Ἐγὼ δὲ εἰδὼς μηδένα κανόνα ἐπιβλέψαι τότε τιμωρίαν, ὅτι μηδὲ οἶδεν ὁ Ἐκκλησιαστικὸς νόμος σωματικὰς ποινὰς, ἀλλ' ὁ πολιτικός. Καὶ ἔτι θαυμάζω πῶς τοιαύτην διάγνωσιν τότε ἡ σύνοδος ἐξέθετο. Ἐκκόπτειν γὰρ ἐκ τοῦ σώματος τῶν χριστιανῶν τοὺς αἱρετικοὺς δεδιδάγμεθα, τιμωρεῖν δὲ αὐτοὺς οὐκ ἐμάθομεν, ἀλλ' ἀμεταθέτους ὄντας, παραδιδόναι τῷ πολιτικῷ νόμῳ, καὶ παρὰ τῶν ἀρχόντων τὰς κατὰ τούτων ἀποφάσεις ἐκφέρεσθαι: Ne igitur mireris quod Conſtantinopolitana Synodus temporibus ſanctiſſimi Patriarchæ domini Michaëlis Oxitæ, ſtatuit & demandavit comburi Bogomilos. Æquum enim eſt non dealbare (Gallicè *faire plier*) tunc leges, & eo magis quod tunc immobiliter inhærentes ſuæ hæreſi Bogomili, tanquam martyrium ambibant combuſtionem. Ego verò qui norim nullum Canonem permiſiſſe unquam ſupplicium, quoniam neque novit Eccleſiaſtica lex corporales pœnas, ſed civilis: & adhuc miror quomodo tale judicium tunc Synodus ediderit. Ejicere enim ex corpore Chriſtianorum hæreticos, inſtituti ſumus. Supplicio afficere non didicimus, ſed pertinaces ſi ſint, tradere Juri civili, & coram magiſtratibus contra hos accuſationes proferre.

Pag. 70. Ἕνα δὲ καὶ τυχόντα τούτων αἱρετικὸν εὑρίσκοντες ἐν τῇ βασιλευούσῃ διατρίβοντα, μεγάλως αὐτὸν κολάζομεν: ſi verò vel unumquemlibet ex his hæreticum inve-

niamus in urbe imperiali manentem, graviter eum punimus. Εἴη δ' ἂν Βογόμιλος, κατὰ τὴν Μυσῶν γλῶτταν, ὁ τοῦ Θεοῦ τὸν ἔλεον ἐπισπώμενος: Eſt autem ferè Bigomilus, Myſorum linguâ, Dei miſericordiam attrahens.

Pag. 76. τὸ Κοινὸν, Commune. Κοινὸν τῶν Θεσσαλῶν, Commune Theſſalorum. κοινὸν τῆς Ἀσίας, Commune Aſiæ. Κοινὸν τῶν Θρακῶν, Commune Thracum. Κοινὸν τῶν ἐν Βιθυνίᾳ Ἑλλήνων, Commune qui in Bithyniâ ſunt Græcorum.

Pag. 92. Πόλις & κώμη, Civitas & pagus.

Pag. 95. Τὰ παρὰ τῶν πατέρων παραδοθέντα, à patribus tradita.

Pag. 100. κατ' οἰκονομίαν, per diſpenſationem. περὶ κανονικῶν ἐπιτιμίων, de canonicis pœnis. ἀμφότερα τοίνυν εἰδέναι ἡμᾶς δεῖ, καὶ τὰ τῆς ἀκριβείας, καὶ τὰ τῆς συνηθείας· ἕπεσθαι δὲ ἐπὶ τῶν μὴ καταδεχομένων τὴν ἀκρότητα τῶν παραδοθέντων τύπων: utrumque igitur ſcire nos oportet, & jus ſcriptum, & conſuetudinem; & iis inſiſtere quæ non amplectuntur rigorem traditorum canonum.

Pag. 101. συνηθείᾳ τύπων, conſuetudini canonem. Ταῦτα μὲν οὖν τὰ ἐκ τῶν τύπων, hæc igitur ſunt, quæ ex canonibus. τὸ τῆς προστάξεως αὐστηρὸν, τῷ ἔθει: præcepti ſeveritatem, conſuetudini. τῷ ἔθει χρηστέον, καὶ τοῖς οἰκονομήσασι τὰ καθ' ἡμᾶς πατράσιν ἀκολουθητέον. ὑφορῶμαι γὰρ μήποτε, ὡς βουλόμεθα ὀκνηροὺς αὐτοὺς, περὶ τὸ βαπτίζειν ποιῆσαι, ἐμποδίσωμεν τοῖς σωζομένοις, διὰ τὸ τῆς προστάξεως αὐστηρόν: conſuetudine utendum eſt, & iis qui inſtituerunt hæc noſtra patribus obſequendum: vereor enim ne fortè ut volumus pigros eos ad baptizandum reddere, impedimento ſimus ſaluti, propter præcepti ſeveritatem. παντὶ δὲ λόγῳ τυπωθήτω, omni autem ratione ſtatuatur. συνήθειαν δὲ παρελάβομεν ἐπὶ τῶν τριγάμων, πενταετίας ἀφορισμόν. οὐκ ἀπὸ κανόνων, ἀλλ' ἀπὸ τῆς τῶν προειληφότων ἀκολουθίας: conſuetudinem autem accepimus de tertiò conjugatis, quinquennii ſeparationem: non ex Canonibus, ſed ex prædictorum conſequentiâ. τύπους, ἢ τὰ κανονικὰ διατάγματα: canones, aut canonicas diſpoſitiones. τοὺς ἐξουσίαν λύειν καὶ δεσμεῖν παρὰ Θεοῦ λαβόντας: qui poteſtatem ſolvendi & ligandi à Deo accipiunt. ποιμαντικὴ ἡγεμονία, paſtoralis gubernatio. ὅταν σκληρότεροι ὦσιν εἰς τὴν ὑποδοχὴν τῆς ἐπιτιμίας ἀρρωστοῦντες: quando duriores ſunt ad ſubeundam correptionem ægrotantes. συμπάθειαν pro συνηθείᾳ, commiſerationem pro conſuetudine. ἔλεος, συγκατάβασις, οἰκονομία, & συμπάθεια: miſericordia, indulgentia, diſpenſatio, & commiſeratio. καὶ ὁ μέγας δὲ Βασίλειος ἐπὶ τῶν μὴ καταδεχομένων τὴν ἀκρότητα τῶν παραδοθέντων τύπων, ἕπεσθαι τῇ συνηθείᾳ ἐδίδαξε: & Magnus quidem Baſilius erga eos qui non capiunt rigorem traditorum canonum, utendum conſuetudine ſive manſuetudine docuit. περιστάσεις, circunſtantias.

Pag. 108. συγκατεψηφίσθη, communi ſententia conſtitutus eſt. χειροτονήσαντες, χειροτονίας, ordinantes, ordinationis. μαρτυρουμένους ἐδοκίμασαν, teſtimonio probatos ordinaverunt. προσευξάμενοι, ἐπέθηκαν αὐτοῖς τὰς χεῖρας: precati impoſuerunt eis manus. ἐπίθεσις χειρῶν, & χειροθεσία: impoſitio manum, & poſitio manum.

Pag. 109. πλούσιος, ἢ σχολαστικὸς ἀπὸ ἀγορᾶς: dives, aut ſcholaſticus de foro.

Pag. 113. ὄχλου, plebis. τοῦ χυδαίου δήμου, infimi populi. ὄχλον, multitudinem. χειροτονίαν, ordinationem.

Pag. 114. μόνον εἰ ἄξιοι φαίνοιντο, καὶ ὁ λαὸς αἱροῖτο, συνεπιψηφίζοντος αὐτοῖς, καὶ ἐπισφραγίζοντος τοῦ τῆς καθολικῆς Ἀλεξανδρείας Ἐπισκόπου: tantùm ſi digni viderentur, & populus eligeret, ſimul ſuffragante ipſis, & confirmante Catholicæ Alexandriæ Epiſcopo. ὅσοι ἐπὶ τῷ παρόντος ἐν ὑμῖν εἰσὶ, καὶ πάλαι εἶχον τὸ ὑμέτε-

ἔρας κρισίως ἠρτῆσθαι, quod quidem in præſenti penes vos eſt, & dudum oportebat à veſtra ſententia pependiſſe. τὰ δὲ πλήθη συναθροισθέντα παρακαλοῖεν γίνεσθαι τὴν κατάστασιν, τοῦ παρ᾽ αὐτῶν ἐπιζητουμένου Ἐπισκόπου: & populi congregati hortarentur fieri conſtitutionem expetiti ab eis Epiſcopi. χειροτονίαν, conſecrationem. Νεκτάριον Ἐπίσκοπον κεχειροτονήκαμεν, ὑπ᾽ ὄψεσι καὶ τοῦ θεοφιλεστάτου βασιλέως Θεοδοσίου, παντός τε τοῦ κλήρου, καὶ πάσης ἐπιψηφιζομένης τῆς πόλεως: Nectarium Epiſcopum ordinavimus, ſub oculis etiam Deo chariſſimi Imperatoris Theodoſii, & omnis Cleri, totiuſque ſuffragantis Civitatis. Φλαβιανὸν, οἵ τε τῆς ἐπαρχίας, καὶ τῆς ἀνατολικῆς διοικήσεως συνδραμόντες, κανονικῶς ἐχειροτόνησαν, πάσης συμψήφου τῆς Ἐκκλησίας, ὥσπερ διὰ μιᾶς φωνῆς τὸν ἄνδρα τιμησάσης: Flavianum, & qui ex provincia, & qui ex orientali præfectura erant concurrentes, canonicè ordinaverunt, omni conſentiente Eccleſiâ, quaſi una voce virum honorante. ἄλλον προστήσασθε τὸν ἀρέσκοντα τοῖς πολλοῖς, alium præficite acceptum multitudini. ψήφου τῶν λαμπροτάτων, καὶ τῶν λογάδων, καὶ τοῦ εὐλαβεστάτου παντὸς κλήρου, καὶ τῶν λοιπῶν πάντων τῆς πόλεως πάσης: ſuffragii illuſtriſſimorum, & ſelectorum, & piiſſimi totius cleri, & reliquorum omnium civitatis univerſæ.

Pag. 115. ὁ παρὰ Θεοῦ ἀναδεδειγμένος, καὶ παρὰ πάντων τῶν μελλόντων ποιμαίνεσθαι ψηφιζόμενος: à Deo oſtenſus, & ab omnibus quos debet paſcere, electus. κτήτορας, & λαμπροτάτους, poſſeſſores & illuſtriſſimos. ψηφισμάτων συμφώνων κατὰ τὸ ἔθος γινομένων, καὶ ἐπ᾽ αὐτὸν ἀναφερομένων: ſuffragiis conſentientibus pro more habitis, & in illum collatis.

Pag. 118. καὶ τῶν ἐν Ἀφρικῇ λεγομένων Πριμάτων, & eorum qui in Africa dicuntur Primates.

Pag. 139. λαθραίως, latenter. λάθρα, καὶ ἐν παραβύστῳ: latenter, & in occulto.

Pag. 140. οὕτως εἰσὶν ἀπαραίτητοι, ὡς καὶ τὴν κατάστασιν τῆς ἐπισκοπῆς αὐτοῦ μέμφεσθαι: ſic ſunt inexorabiles, ut & conſtitutionem epiſcopatus ejus arguant. Μετὰ γὰρ τὴν τελευτὴν, φησὶν, Ἀλεξάνδρου τοῦ Ἐπισκόπου, ὀλίγων τινῶν Ἀθανασίου μνήμην ποιουμένων, ἓξ ἢ ἑπτὰ Ἐπισκόπων, λάθρα καὶ ἐν παραβύστῳ χειροτονοῦσιν αὐτόν. Ταῦτα ἔγραψαν καὶ βασιλεῦσιν, οἱ μηδὲν ψευδὲς γράφειν παραιτούμενοι, ὅτι δὲ πᾶν τὸ πλῆθος, καὶ πᾶς ὁ λαὸς τῆς καθολικῆς Ἐκκλησίας, ὥσπερ ἐκ μίας ψυχῆς καὶ σώματος συνελθόντες, ἀνεβόων, ἔκραζον, αἰτοῦντες Ἀθανάσιον Ἐπίσκοπον τῇ Ἐκκλησίᾳ. τοῦτο ηὔχοντο δημοσίᾳ τῷ Χριστῷ, καὶ τοῦτο ἡμᾶς ὥρκιζον ποιεῖν, ἐπὶ πλείστας ἡμέρας καὶ νύκτας, μήτε αὐτοὶ τοῖς Ἐκκλησίας ἀφιστάμενοι, μήτε ἡμᾶς ἐπιτρέποντες ἀφίστασθαι, τούτου δὲ ἡμεῖς μάρτυρες, τούτου καὶ ἡ πόλις πᾶσα, καὶ ἡ ἐπαρχία. οὐδὲν μὲν ἐναντίον, ὡς ἔγραψαν ἐκεῖνοι, κατ᾽ αὐτοῦ λέγοντες. πάντα δὲ τὰ βέλτιστα, σπουδαῖον, εὐλαβῆ, χριστιανὸν, ἕνα τῶν ἀσκητῶν, ἀληθῶς Ἐπίσκοπον ὀνομάζοντες. ὅτι δὲ οἱ πλείονες ἡμῶν αὐτὸν ἐχειροτόνησαν, ὑπὸ ταῖς πάντων ὄψεσι, καὶ βοαῖς, μάρτυρες πάλιν ἡμεῖς, ὀξιοπιστότεροι, τῶν ἀπόντων, καὶ ψευδομένων, οἱ χειροτονήσαντες. Ἀλλ᾽ ὅμως Εὐσέβιος τὴν κατάστασιν Ἀθανασίου μέμφεται: Poſt enim mortem, aiunt, Alexandri Epiſcopi paucis aliquot Athanaſii mentionem facientibus, ſex aut ſeptem Epiſcopis, clam & in occulto ordinant eum. Hæc etiam ſcripſerunt Imperatoribus ii, nihil falſum ſcribere recuſantes. Quòd autem omnis multitudo, & omnis populus Catholicæ Eccleſiæ, tanquam ex una anima & corpore convenientes, vociferabantur, clamabant petentes Athanaſium Epiſcopum Eccleſiæ: hoc precabantur publicè à Chriſto, & hoc nos adjurabant facere, per multos dies & noctes, ipſi neque ab Eccleſiis diſcedentes, neque nos ſinentes abire: hujus rei nos ſumus teſtes, hujus & urbs univerſa, & provincia. Nihil quidem adverſus hæc, ut ſcripſerunt illi,

dicebant : omnia verè fauſta, honeſtum, pium, Chriſtianum, unum Monachorum, verè Epiſcopum nominabant. Quod verò plures ex nobis ipſum ordinaverunt ſub omnium oculis & acclamationibus, rurſus nos teſtes, fide digniores abſentibus, & mentitis, hos qui ordinavimus. Sed nihilominus Euſebius creationem Athanaſii arguit. κλέψαντες τὴν χειροτονίαν, Ἐπίσκοπον Κωνσταντινουπόλεως κατέστησαν, οἱ τότε ἐξ Αἰγύπτου συνεληλυθότες : furtim ordinantes Epiſcopum Conſtantinopolis conſtituerunt qui tunc ex Ægypto convenerant. ἐν παραβύστῳ, παρά τινι χοραύλου οἰκίᾳ, τοῦτον τῆς Κωνσταντίνου ποίμνης ἐχειροτόνει : in occulto, in quadam tibicinis domo hunc Conſtantinopolis paſtorem ordinabat. Μάξιμον δὲ, μήτε γεγενῆσθαι, μήτε εἶναι Ἐπίσκοπον : Maximum verò neque fuiſſe, neque eſſe Epiſcopum. τῆς Ἀπολιναρίου τερθρείας ἀνάπλεως, Apolinarii præſtigiis plenus.

Pag. 141. κειμένου τοῦ λειψάνου αὐτοῦ ἐν τῷ Διακονικῷ : jacente cadavere ejus in Diaconorum loco.

Pag. 146. παρακείμενοι χῶροι, finitimi. ὅμοροι, contermini.

Pag. 148. δευτερογαμία, ſecundæ nuptiæ. ἀρσενοκοίτης, cum maſculis cubans. ἀλογευόμενος, beſtiis utens.

Pag. 149. τὰ πρεσβεῖα, τὰ ἀρχαῖα ἔθη, antiquæ, priſcæ conſuetudines.

Pag. 160. ὁ δὲ παῤῥησιασάμενος, ἀδύνατον μοι τοῦτο ποιεῖν, &c. Τῆς γὰρ Ἐκκλησίας τοὺς οἴακας τὴν ἀρχὴν ἐγχειριζόμενος, ἔγγραφον ὅρκον ἐθέμην, μηδεμίαν τῆς βασιλείας ὑμῶν ἐπιβουλὴν, ἢ οἱανοῦν ἐπήρειαν πώποτε διαλογίσασθαι : Ille liberè locutus, fieri hoc à me non poteſt, &c. Eccleſiæ ſiquidem clavum cum à principio jusjurandum ſcripto confirmavi nullas imperio veſtro inſidias aut quamcumque aggreſſionem unquam meditaturum.

Pag. 61. εὕρημα, inventio.

Pag. 168. Δικαίκιον, juriſdictionis inſigne. Περὶ προβλήσεως Πατριάρχου, καὶ περὶ χειροτονίας τοῦ αὐτοῦ, καὶ ἄλλων Πατριαρχῶν τε, καὶ Ἐπισκόπων : De creatione Patriarchæ, & de conſecratione ejus, & aliorum Patriarcharum, & Epiſcoporum. πρόβλησιν, præſentationem. προβλήσει, promotione. ἡ ἁγία Τριὰς, διὰ τῆς παρ᾽ αὐτῆς δωρηθείσης ἡμῖν βασιλείας, προβάλλεταί σε Ἀρχιεπίσκοπον Κωνσταντινουπόλεως, καὶ Οἰκουμενικὸν Πατριάρχην : ſancta Trinitas per imperium quod nobis tradidit, creat te Archiepiſcopum Conſtantinopolis, & Oecumenicum Patriarchum. Ὑποψήφιος, Electus.

Pag. 172. ὡρίσαμεν μὴ μόνον αὐτοὺς Ἐπισκόπους μὴ εἶναι, ἀλλὰ μηδὲ κοινωνίας μετὰ τῶν πιστῶν αὐτοὺς καταξιοῦσθαι : ſtatuimus eos non ſolùm Epiſcopos non eſſe, ſed neque communione cum fidelibus ipſos dignos judicari.

Pag. 181. οὐδὲν κωλύει, τόν τι ἑτέρας πόλεως ὀνομασθέντα, ἢ καὶ ὄντα Ἐπίσκοπον, εἰς ἄλλην μετατεθεῖναι : nihil prohibet eum qui alius urbis nominatus eſt, aut etiam eſt Epiſcopus, in aliam transferri.

Pag. 186. τὴν παρακαταθήκην τοῖς Ἐπισκόποις εὐθὺς ἀπέδωκεν, depoſitum Epiſcopis ſtatim reddidit.

Pag. 203. μετὰ βασιλικῆς προστάξεως, καὶ συνοδικῆς διαγνώσεως : poſt imperiale decretum, & ſynodicam cognitionem.

Pag. 204. ἀπὸ τοῦ πλήθους, à multitudine.

Pag. 205. ὀλίγους τινὰς δεδυνῆσθαι μισθῷ καὶ χρήματι διαφθαρέντας, ἐν τῇ Ἐκκλησίᾳ στασιάζειν, ὡς δῆθεν ἀξιοῦντας, τὸν αὐτὸν ἔχειν Ἐπίσκοπον : paucos aliquos potuiſſe mercede & pretio corruptos in Eccleſia ſeditioſè agere, tanquam ſcilicet flagitantes eum habere Epiſcopum. ὥστε μηδένα τοιοῦτον, μηδὲ ἐν τῷ πλήθει, λαϊ-

κοιῇ γοῦν ἀξιοῦσθαι κοινωνίας. ἐν τῷ τέλει, ἐν τῇ ἐξόδῳ τοῦ βίου, ἐν τῷ θανάτῳ: ita ut nemo ex his, neque in fine, laïca dignaretur communione. In fine, in exitu vitæ, in morte. τοῦ μακαρίτου, felicis memoriæ. χειροτονίας, ordinationis. ἔγραφεν, ἐνουθέτει, συνηγόρει τὸν λαὸν, τοὺς ἱερέας, τούς τε ἄλλους, καὶ ὅσοι τοῦ βήματος, &c. ſcribebat, admonebat, cohortabatur populum, ſacerdotes, & alios, & quicunque altaris, &c. Ἐπειδὰν κανονικὴν ἔδει γενέσθαι τὴν χειροτονίαν αὐτοῦ, λείποντος ἑνὸς τοῦ ἀριθμοῦ τῶν ἀνακηρυξόντων: quoniam oportebat canonicam fieri conſecrationem ipſi, dum nulli abeſſet numero eorum qui præconium futuri erant.

Pag. 206. βοαῖς δήμου χαριζομένους ἀκρίτως κτείνειν, clamoribus populi gratificatos, indiſtinctè interficere. οὐκ ἀξιώσεσιν, οὐδὲ μόναις βοαῖς κατηγορεῖν: non ſupplicationibus, neque ſolis clamoribus accuſare. ἀταξία, inordinatio. ἐν τῷ παραβύστῳ, in abſcondito.

Ibid. Ἦλθον γὰρ ἦλθον ἐξαπίνης κεκλημένοι, &c. Νόμους στρέφοντες τοὺς πάλαι τεθνηκότας Ὧν πλεῖστον ἦμεν, καὶ σαφῶς ἐλεύθεροι. Venerunt enim, venerunt derepente vocati, &c. Leges volvendo pridem mortuas, A quibus plurimùm eramus & maniſeſtè liberi.

Pag. 207. Τῆς μὲν δοθείσης, οὐδ' ὅλως Ἐκκλησίας προσηψάμην, οὐδ' ὅσον λατρείαν μίαν Θεῷ προσενεγκεῖν, ἢ συνεύξασθαι λαῷ, Ἢ χεῖρα θεῖναι κληρικῶν ἑνί γέ τῳ: Datam quidem Eccleſiam omnino non attigi, & ne quidem huc uſque ut miſſam unam Deo offerrem, aut comprecarer cum populo, aut manum imponerem Clericorum uni alicui.

Ibid. Φυσῶντες ἡμῖν ἑσπέριόν τι καὶ τραχύ. Τοῖς δ' ἀντέπνει δῆμος ἡλιοφόρος. Sufflantes nobis veſpertinum & aſperum. Illis verò contraïbat populus ſolaris. δυτικῶν ὀφρύων, occidentalium ſupercilium.

Pag. 208. παραινῶ μὲν οὖν, καὶ ἰδιώτῃ παντὶ, καὶ ἄρχοντι, μήτε ὁμορόφιον αὐτοῦ, μήτε ὁμοτράπεζον γίνεσθαι. Ἱερεῦσι δὲ διαφερόντως, οἳ μήτε ζῶντας αὐτοὺς προσομιλήσουσι, μήτε τελευτήσαντας συμπροπέμψουσι: hortor igitur & omnem privatum & magiſtratum, neque contubernalem ipſi, neque convivam eſſe. Sacerdotes verò præcipuè, qui neque vivos eos alloquentur, neque mortuos deducent.

Pag. 209. χωρὶς προσφορᾶς κοινωνήσουσι τῷ λαῷ τῶν προσευχῶν, extra oblationem, communicabunt populo preces. οὐδὲ πώποτε προσηνέχθη κατὰ τὴν εὐχὴν αὐτοῦ συστῆναι, φυλάττων ἐκ παιδὸς κανόνα Ἐκκλησίας, neque unquam adductus eſt per orationem cum illo conſiſtere, ſervans à pueritiâ canonem Eccleſiæ. Μαθὼν δὲ ταῦτα ὁ Ἰωάννης ἐν τιμῇ μὲν εἶχε τοὺς ἄνδρας, καὶ τῶν εὐχῶν μετέχειν οὐκ ἐκώλυσε· κοινωνεῖν δὲ τῶν μυστηρίων, οὐκ ἔφη πρὶν διαγνώσεως μεταδώσειν αὐτοῖς. Hæc Joannes cùm didiciſſet, in pretio quidem habuit viros, & orationibus participare non prohibuit: communionem verò myſteriorum, dixit ante cognitionem non traditurum eis. εὔχεσθαι ἐπὶ Ἐκκλησίας οὐ διεκώλυσε, precari in Eccleſia non prohibuit.

Pag. 210. ἐκοινώνησαν ἑαυτοῖς. καὶ ἐν τῇ Ἐκκλησίᾳ παρεχώρησεν ὁ Ἀνίκητος τὴν Εὐχαριστίαν τῷ Πολυκάρπῳ, κατ' ἐντροπὴν δηλονότι: Communicaverunt cum eis, & in Eccleſia præbuit Anicetus Euchariſtiam Polycarpo, poſt converſionem ſcilicet. Ἀλλ' αὐτοὶ μὴ τηροῦντες οἱ Πρεσβύτεροι, τοῖς ἀπὸ τῶν παροικιῶν τηροῦσιν Εὐχαριστίαν: Sed ipſi non obſervantes Preſbyteri, iis qui ex parœciis obſervabant, mittebant Euchariſtiam.

Pag. 211. κιγκλίδας, κογχέλους, & βῆλα, valvas, cancellos, & vela. ἥρπαζε τὰ ἔνδον, εἰς τοιούτους τόπους εἰσήρχοντο, εἰς οὓς οὐδὲ πᾶσι τοῖς Χριστιανοῖς ἔξεστιν εἰσελθεῖν: rapiebat quæ intus erant, in ea loca ingrediebantur in quæ nec omnibus Chriſtianis licet ingredi. Τὸ σεπτὸν τεμάχιον σοφῶν ἕδος ἱερὸν ἄριστον, Βῆμα τὸ δ' Ἀγγελικῆσι

χοροστασίησι

Digitized by Google

χοροστασίῃσι πέδιλος, Κιγκλίδα τῶν μεσαίτων κόσμων δύο, τῶν τε μενόντων, τῶν τε φευγόντων, Τοῦτο περιπλαμμένον θεῶν ὅρον, ἠμερίων τε: venerabilis olim ſapientum ſedes, ſeptum optimorum, altare hoc Angelicis choræis exhilaratum, valvam hanc quæ dividit duos mundos, permanentem, & evolantem, deorum terminum & mortalium. τράπεζαν, & καταπέτασμα μυστικὸν: menſam & velum myſticum. ὑπερορία, finium tranſgreſſio.

Pag. 212. τιμὴν τοῦ ὀνόματος, honorem nominis. ἐξουσία αὐθεντίας, licentia authoritatis. ψιλὸν ὄνομα τῆς τιμῆς, nudum nomen honoris. ἀξία τῆς ἐπισκοπῆς, καὶ κοινωνία, καὶ παραμυθία ἡ πρέπουσα, dignitas Epiſcopatus, & communio, & conſolatio conveniens.

Pag. 213. προσέταξεν ἡ σύνοδος τὸ μὲν χρυσίον αὐτοὺς λαβεῖν, παρὰ τῶν κληρονόμων Αντωνίνου, κοινωνεῖν δὲ ἔνδον τοῦ θυσιαστηρίου· εἶναι δὲ ἀπὸ ἱερέων: ſtatuit Synodus aurum quidem eos accipere ab hæredibus Antonini communicare quoque intra altare, eſſe verò extra Sacerdotes. εἶναι ἐν τῇ λειτουργίᾳ τῆς ἐκκλησίας, eſſe in publicis miniſteriis Eccleſiæ.

Pag. 214. ἐπισκοπῆς ἀξίωμα, Epiſcopatus dignitatem. οἱ ἀεὶ σχισματικοὶ, οἱ καὶ μέχρι νῦν τὰς ἐκκλησίας ταράττοντες, καὶ στάσεις κινοῦντες. καταστάσεις γὰρ ἀλόγους, καὶ σχεδὸν ἐθνικῶν ποιοῦνται: qui ſemper ſchiſmatici, qui & hucuſque Eccleſias turbantes, & ſeditiones moventes: ordinationes enim injuſtas, & ferè Ethnicorum faciunt.

Pag. 215. Τῶν μὲν οὖν ὑποκριτῶν Ἐπικριτιανῶν, ἀντὶ Μελετιανῶν ἡ πρόθεσις αὕτη, καὶ ὁ τρόπος ἄπιστος: hypocritarum igitur Epicritianorum vice, Meletianorum idem propoſitum & mutatio infida. τρόπος ἄπιστος, mutatio infida. φάγωμεν, καὶ πίωμεν, αὔριον γὰρ ἀποθνήσκομεν: edamus & bibamus, cras enim morimur. χρημάτων τε τὰς ἱερωσύνας καὶ διδόναι καὶ λαμβάνειν, καὶ τὰς ἀπειρημένας, καὶ σωματικὰς ἡδονὰς μεταδιώκειν: pecuniiſque ſacerdotia & dare & accipere, vetitaſque & corporales voluptates conſectari.

Pag. 219. ὠμοφόριον, numerale. φαινόλιον, πολυσταύριον, σάκκος: caſula ſacerdotalis, planeta, ſaccus. πιλίδιον, pileola. Επέκεινα δὲ καὶ τὸ διάδημα, ἤτοι τὸν στέφανον τῆς κεφαλῆς ἡμῶν, ἅμα καὶ τὸν λῶρον, καὶ τὸ ὠμοφόριον, ὅπερ κυκλοῖ τὸν βασιλικὸν τράχηλον: Deinde diadema ſive coronam capitis noſtri, ſimul & phrygium, & ſuperhumerale, quod circundat imperiale collum.

Pag. 220. τὸν ὑπέρλαμπρον λῶρον, &c. valde ſplendens phrygium, &c. τῇ ἁγίᾳ κεφαλῇ αὐτοῦ, ἰδίαις χερσὶν ἐπεθήκαμεν: ſancto ejus capiti propriis manibus impoſuimus. εἶτα τὸ ὠμοφόριον, τῇ ἁγίᾳ ἐπιτίθησι τραπέζῃ, ἐντειλάμενος αὐτὸ φυλάττεσθαι τῷ διαδόχῳ: deinde ſuperhumerale ſanctæ imponit menſæ, injungens illud ſervari ſucceſſori. μετὰ βίας ἀρπάσαντές μου τὸ περιβόλαιον τῆς ἱερωσύνης, καὶ πάντα τὰ ὑπάρχοντά μοι, καὶ λαβόντες ἕνα ἐξ αὐτῶν τοῦτον τὸν Στέφανον, ἐποίησαν αὐτὸν Ἐπίσκοπον: vi rapientes meum amictum ſacerdotii, & omnia quæ mea fuerant, & accipientes unum ex iis hunc Stephanum, fecerunt eum Epiſcopum. τὸ ἐπισκοπικὸν ὠμοφόριον, epiſcopale ſuperhumerale. παρέκβασις, digreſſio. φιλόξενον, hoſpitalem. ἔκδικος, ἐκκλησιέκδικος, ſyndicus, defenſor Eccleſiæ.

Pag. 221. εἰς Εὐχάϊτα, ad Euchaïta. ὀκτὼ μὲν πόλεις συμπληροῦσι τὸν Ἑλενόποντον, τουτέστιν Ἀμάσειά τε, καὶ Ἴβωρα, καὶ Εὐχάϊτα: octo quidem urbes complent Helenopontum, hoc eſt Amaſea, & Ibora, & Euchaïta. καθὰ καὶ μέχρι νῦν δὴ, ut hactenus factum eſt.

Pag. 222. Τὸ δὲ ὠμοφόριον ἐξ ἐρέας ὂν, ἀλλ' οὐ λίνου, &c. ſuperhumerale quod ex lana eſt, non ex lino, &c. δηλοῖ τὸν πᾶσαν διὰ τοῦ σχήματος, ὅτι μιμητὴς ἐστὶ τοῦ ἀγαθοῦ

καὶ μεγάλου ποιμένος, καὶ προσέχεις ἀκριβῶς: oſtendit omnibus habitu, quod imitator eſt boni & magni paſtoris, & adhærens valdè. καὶ ἐπανίσταται, καὶ ἀποτίθεται τὸ σχῆμα τῆς μιμήσεως ὁ Ἐπίσκοπος: & aſſurgit, & deponit habitum imitationis Epiſcopus.

Pag. 235. ἀκολουθίαν τιμῆς, conſequentiam honoris. τὰ Μητροπόλεως πρεσβεῖα, ὄνομα μόνον, σωζομένων τῇ κατ' ἀλήθειαν Μητροπόλει, τῶν οἰκείων δικαίων τοῦ οἰκείου ἀξιώματος: Metropolis honores, nomen ſolum, ſervatis re ipsâ Metropoli propriis juribus, propriæ dignitatis. σωζομένου τῇ Νικομηδέων Μητροπόλει τοῦ ἰδίου ἀξιώματος, ſervato Nicomedentium Metropoli proprio jure.

Pag. 236. Τῷ δ' ἕτερον μὲν ἔδωκε πατήρ, ἕτερον δ' ἀνένευσε. Illi verò alterum quidem dedit pater, alterum verò renuit.

Pag 245. κατ' ἀναφορὰν, per relationem.

Pag. 246. συνθετικοὶ, ἀποτακτικοὶ λόγοι, ἀποχαιρετικοὶ, ἐξιτήριοι, ἐξόδια ῥήματα, τόμοι παραιτήσεως, compoſitorii, renunciatorii libelli, valedicentes, digreſtorii, exitus verba, libelli excuſationis.

Pag. 260. δικαιοδοσίαν, juriſdictionem. εὐσέβειαν πλεονασμὸν, pietatem largitionem. τοπικὸν, locale.

Pag. 262. τὰ πρεσβεῖα, honoraria. συγχωροῦντας καὶ οἰκονομίας ἕνεκα, μὴ ἀκριβολογουμένους πρὸς ἄκρα: concedentes, & diſpenſationis causâ, non inquirentes ſtrictè. συγκατάβασις, Gall. *condeſcendance.*

Pag 274. τὸ παράνομον τοῦ πράγματος, καὶ τῆς ὀνομασίας ἐκκακίζει τὴν δεξιότητα, iniquitas rei etiam denominationis depravat fauſtitatem.

Pag. 280. κατ' ἀντίφασιν, per contradictionem.

Pag. 286. πολυνοιαν, non πολυλογίαν, multam mentem, non multa verba. ἀτάκτως, ſine ordine.

Pag. 291. συγκληρονόμοι καὶ σύσσωμοι, cohæredes & ejuſdem corporis. εἰς τὴν μερίδα τοῦ κλήρου τῶν ἁγίων ἐν τῷ φωτὶ, in partem hæreditatis ſanctorum in luce.

Pag. 292. δύο γέ τινας ἐκ τοῦ δευτέρου θρόνου, duos quoſdam ex ſecunda ſede. τοὺς δευτέρους θρόνους, ſecundos ſedium. Ἀποστόλων, ὧν καὶ τὸν τόπον φυλάσσουσι, σύμβουλοι τοῦ Ἐπισκόπου καὶ τῆς ἐκκλησίας στέφανος, εἰσὶ γὰρ συνέδριον καὶ βουλὴ τῆς ἐκκλησίας: Apoſtolorum, quorum & locum ſervant, conſiliarii Epiſcopi & Eccleſiæ corona, ſunt enim conſilium & ſenatus Eccleſiæ.

Pag. 293. ἱερατικοὶ, ſacrifici. νόμον ἀκολουθίας, ordinem conſequentiæ. διακονίας, miniſtrationis. ἐν κλήρῳ, ἐν ἱερατείᾳ, ἐν τάξει, τάγματι ἐκκλησίας, ἐν καταλόγῳ, ἐν κανόνι· κανονικοὶ ψαλταὶ, in clero, in ſacerdotio, in ordinatione, ordine Eccleſiæ, in enumeratione, in canone. Canonici Cantores.

Pag. 294. καταλεγέσθω, enumeretur.

Pag. 295. εὐταξίαν, rectitudinem. τοὺς βεβήλους καὶ γραώδεις μύθους παραιτοῦ, γύμναζε καὶ σεαυτὸν πρὸς εὐσέβειαν. ἡ γὰρ σωματικὴ γυμνασία πρὸς ὀλίγον ἐστὶν ὠφέλιμος. ἡ δὲ εὐσέβεια πρὸς πάντα ὠφέλιμος: profanas & aniles fabulas devita, exerce autem te ipſum ad pietatem; nam corporalis exercitatio ad modicum utilis eſt, pietas autem ad omnia utilis.

Pag. 296. ἱερατικοὺς, ſacrificos. τελεταὶ, initiationes. λειτουργίαι, officia publica.

Pag. 297. τὰ ἀνάκτορα, gradus altaris, vel adyta.

Pag. 299. & Pag. 302. αἰσχροκερδίαν, turpe lucrum.

Pag. 314. τυραννικὴν γὰρ εἶχεν ἐξουσίαν τότε πᾶς ἄνθρωπος μιαρὰν φορεῖν ἐσθῆτα, καὶ δημοσίᾳ βουλόμενος ἀσχημονεῖν: tyrannicam enim habebat licentiam tunc omnis

homo nigram ferens veſtem, & publicè volens inſoleſcere.

Pag. 316. Ἀναγκαῖον δὲ ἐστὶ πάντας καρποὺς δοκιμάζεσθαι προφήτου; προφήτης εἰπέ μοι βάπτεται; προφήτης στιβίζεται; προφήτης φιλοκοσμεῖ; προφήτης τάβλαις καὶ κύβοις παίζει; προφήτης δανείζει; Neceſſe porrò eſt omnes fructus examinari Prophetæ? Propheta, dic mihi, tingitur? Propheta ſtibio ungitur? Propheta comitur? Propheta tabulis & teſſeris ludit? Propheta fœneratur?

Pag. 318. Δήμου σφαλέντος, πᾶς ἀγύρτης ἄρχεται: Populo decepto, omnis ardelio triumphat. περὶ τὰ ἔξωθεν, circa exteriora. οἰκονομία, συγγνώμη, συγχώρησις, κατάβασις, συγκατάβασις & συμπεριφορά: diſpenſatio, venia, conceſſio, deſcenſus, condeſcenſio, & obſequentia.

Pag. 319. ἐκ παραλλήλου, ex comparatione: ἀνθρωποπαθῶς, ex humano affectu. χρώματα, διοικήσεις: colores, directiones. ἐνανθρώπησιν, ἐνσάρκωσιν, ἐνσώματον ἐπιφάνειαν: humanitatis aſſumptionem, incarnationem, eandem apparitionem. διὰ τὴν πρὸς τὰ κτίσματα συγκατάβασιν: propter ad creaturas condeſcenſionem. ἐκ φιλανθρωπίας ἡ κατάβασις, ἐξ ἀγαθότητος ἡ ἐνανθρώπησις: ex propenſione in homines, deſcenſio; ex bonitate humanitatis aſſumptio. εἰ δέ που τὰ ἐξ οἰκονομίας ῥημάτων κατίδωσιν, ἃ τὴν αἰτίαν ἔχει τῆς συγκαταβάσεως, ἀσεβείας συνήγοροι εὐθὺς τὴν οἰκονομίαν ἁρπάζουσι: ſicubi verò hæc ex incarnatione verba viderint, quæ crimen habent condeſcenſionem; impietatis patroni ſtatim incarnationem rapiunt.

Pag. 320. ὕφεσις τῆς ἀκριβείας ἐν δέοντι, relaxatio ſtricti juris cum oportet. κατὰ συγγνώμην, κατὰ συγχώρησιν: per veniam, per conceſſionem.

Pag. 322. ὑποστολή, ὑπόκρισις, καπηλική, χρηματιστική, αἰσχροκέρδεια: puſillanimitas, ſimulatio, artes cauponariæ, nundinatio, turpe lucrum. πολιτικὴν συνυπόκρισιν & περιστατικήν, politicam diſſimulationem & circumſtantiis accommodatam.

Pag. 323. περὶ τι τῶν ἔξωθεν, circa quid extraneum. περὶ τὰς λέξεις, circa verba. περὶ τὰ πρόσωπα, ὅτε παρορῶνται πρόσωπα πολλάκις: circa perſonas, quando connivetur ad perſonas ſæpe. μέχρι γὰρ τούτου τὰ τῆς οἰκονομίας ὁ ὀρθὸς λόγος ἀνέχεται, μέχρις ἂν οὐδὲν καινοτομεῖται τῶν τῆς ἐκκλησίας δογμάτων: eatenus enim diſpenſationem recta ratio tolerat, quatenus nullum corrumpitur Eccleſiæ dogmatum. περὶ τὰ ἐπιτίμια, circa pœnas. περὶ τὰ ἔξωθεν, circa exteriora.

Pag. 324. ὃν ἀφῆκεν νόμον ὡς τέλειος, νηπίοις μᾶλλον ἁρμόζοντα, οἰκονομικῶς δι' ἐκείνους ἐδέξατο, ἵνα γένωνται τέλειοι: quam dimiſit legem, ut perfectus, parvis magis aptam; cautè propter illos ſuſcepit, ut fiant perfecti.

Pag. 326. κατορθώματα, officia.

Pag. 329. θέσιν λεπτουθίζειν, argumentum elucubrare. εἰ γὰρ καὶ ὄψα χθεσινὰ ἐστιν, ἀλλ' οὐ γίνονται ἕωλα, τί δήποτε; οὐκ ἔστι κρέα, ἵνα διαφθαρῇ, ἀλλὰ νοήματα διηνεκῶς ἀνθοῦντα, τὰ μὲν γὰρ κρέα φθείρεται (σῶμα γάρ ἐστι) τὰ δὲ νοήματα μένοντα εὐωδέστερα καθίσταται: Etſi enim opſonia heſterna ſint, tamen non fiunt rancida, quare nimirum? non ſunt carnes, ut corrumpantur, ſed cogitationes perpetuò florentes, nam carnes corrumpuntur (corpus enim ſunt). ſed cogitationes permanentes meliorem odorem acquirunt.

Pag. 330. & 232. περὶ τῶν Ἀγγαρειῶν μὴ δὲ ἑστώσας ἀνεψιῶν γάμους γέγραφας, ἐν ἐξουσίᾳ πολλῇ τοῦ πράγματος ὄντος: de Angariis neque ſtent conſobrinarum nuptiæ, ſcripſiſti, cum in libertate magnâ res eſſet.

Pag. 333. ἵνα καὶ παρανόμοις συναφθῶσι γάμοις, ὥστε τούτων ἐνίους παῖδάς τε καὶ ἐγγόνους γενέσθαι· τοῦτο τε πρόφασιν ἐνίους μὲν τῆς σφῶν αὐτῶν πλεονεξίας λαβόντας, βραχύ τι καταβάλλειν καθ' ἕκαστον ἔτος ἐπὶ τῇ τῆς ἐνδοξότητος ἀρχὴν καὶ προστάξεις κομίζεσθαι ἀνα-

ζητεῖν τὰ τοιαῦτα καὶ ἐκδικεῖν βουλομένους· τοὺς δὲ ἐπιτεταγμένους ταῦτα ποιεῖν αἰσχροῦ κέρδους ἕνεκα, συκοφαντίαις τοὺς πολλοὺς ἀδικεῖν, ἐπηρεάζειν, καὶ πράγματα τοῖς ἀνευθύνοις παρέχειν: quoſdam illegitimis conjunctos fuiſſe nuptiis, ita ut aliquibus eorum liberi & nepotes ſint, & hunc prætextum aliquos quidem ſuæ ipſorum avaritiæ capientes, parvum quid projicere per unumquemque annum, ad gloriæ tuæ imperium; & mandata accipere quæ requiri talia, & vindicari jubent, & eos qui incumbunt ad hæc facienda turpis lucri causâ, calumniis multos lædere, inſultare, & negotia innoxiis præbere.

Pag. 334. τὸ γὰρ παρεληλυθὸς ἄχρι τοῦ νῦν συγχωροῦμεν, κἂν τὸ ἱερώτατον ἡμῶν ταμεῖον ζημιῶται, καὶ στερῆται τῶν ἐκ τοῦ νόμου κατὰ ταύτην αὐτῷ διδομένων τὴν πρόφασιν· τοῦτο δὲ πράττομεν, οὐχ ὡς ἀμνημονοῦντες τῆς σωφροσύνης, ἢ τοῦ περὶ ταύτης τεθέντος νόμου, ἀλλὰ τοῖς ἐπὶ μικροῖς ἐκλαμβάνουσιν ἐκ τοῦ φίσκου τὰ τοιαῦτα, βίους τε καὶ οὐσίας πολλῶν ἐν ταῖς εἰρημέναις ἐπαρχίαις διασείουσι, καὶ κοινὰς ἀπεργαζομένοις συμφορὰς πᾶσαν πλεονεξίας ἀναιροῦντες πρόφασιν: præteritum enim uſque nunc condonamus, etiamſi ſacratiſſimum noſtrum ærarium minuitur, & privatur, iis quæ ex lege, ſecundùm hunc ejus dabantur prætextum; atque id facimus non tanquam obliti temperantiæ, aut de ea poſitæ legis; ſed iis qui pro parvis accipiunt ex fiſco talia, vitaſque & fortunas multorum in dictis provinciis vexant, & publicas inducunt calamitates, omnem avaritiæ præcidamus occaſionem. Πέτρῳ Κόμητι τοῦ θείου ταμείου, Petro Comiti ſacri ærarii. τῶν θείων πριβάτων, divinorum privatorum. Φλώρῳ τῷ ἐνδοξοτάτῳ Κόμητι τῶν ἁπανταχοῦ θείων πριβάτων, Floro glorioſiſſimo Comiti rerum undequaque ſacratarum privatarum.

Pag. 338. ἀπὸ τοῦ νῦν, ὁ τῇ οἰκείᾳ ἐξαδέλφῃ πρὸς γάμου κοινωνίαν συναπτόμενος: in poſterum, cum qui propriæ conſobrinæ per nuptias ſocietatem conjungit. δισεξάδελφοι, ſobrini, Gall. *iſſus de germain.* ἐὰν τῷ δισεξαδέλφῳ γαμηθῇ, ſi ſobrinus filio nupſerit.

IN SECUNDA PARTE.

Ex operibus poſthumis.

PAg. 23. συνωμοσίας, conjurationes.

Pag. 38. ἡσυχασταὶ, ἔγκλειστοι: quieti, incluſi.

Pag. 39. ἀκτημοσύνην, privationem poſſeſſionum.

Pag. 40. ἔγκλειστοι, κιόνιται: incluſi, ſtylitæ. ἄσκησις, μοναστικὴ, πολιτεία, φιλοσοφία, exercitatio, ſolitudo, adminiſtratio, amor ſapientiæ.

Pag. 71. τὰ πρεσβεῖα, honoraria.

Pag. 78. κτίστου, vel δομήτορος, κτίσεως & οἰκοδομήσεως: creatoris, vel ædificatoris, creationis & ædificationis.

Pag. 79. εἰ μέλλοιεν ἀναγράφεσθαι εἰς τὸν ἅπαντα χρόνον, ſi deberent inſcribi in omne tempus. τὰς νενομισμένας ἐπὶ τῇ καθιερώσει φωνὰς, ſolennes in conſecratione voces.

Pag. 80. ξενοδόχους, πτωχοτρόφους: hoſpitum ſuſceptores, pauperum nutritores. τὴν δὲ διοίκησιν αὐτῶν ἐποπτεύειν, adminiſtrationem verò eorum inſpicere. ὀνομάζειν & ἐπιλέγεσθαι, nominare & eligere. χειροτονεῖσθαι, ordinare.

Pag. 81. πατριαρχικον, privilegium exemptionis. κατ' οἰκονομίαν καὶ συγκατάβασιν, per diſpenſationem & indulgentiam.

Pag. 84. σύναξιν, congregationem. εἴσοδον, introitum.

Pag. 85. εἴσοδον τῶν ἁγίων, introitum Sanctorum. πρόσοδον τῶν εἰς πνευματικὰ, proceſſionem eorum qui ad ſpiritualia. καὶ τῶν θεῶν πρόσοδοι μακάρων ἱερώταται, & deorum proceſſiones Beatorum ſacratiſſimæ. προσόδια μεγάλα, carmina proceſſionum magna. πρόσοδος & προσόδια, proceſſio & proceſſionis hymni. καὶ πρόσοδον πρὸς τὴν βουλὴν καὶ τὸν δῆμον πρώτοις, & ingreſſum in ſenatum & civitatem primis.

Pag. 110. ἀειπαρθένους, ſemper virgines. χριστολήπτους, à Chriſto acceptas.

Pag. 114. πάλιν, rurſus. ὁ παλαιὸς, antiquus. παλαιὰ, antiqua.

Pag. 185. ποιμένας καὶ διδασκάλους, paſtores & doctores.

Pag. 192. λαύρας, vicos.

Pag. 203. ἀνίερος ἔστω, extra ſacerdotium ſit.

Pag. 250. μονομερῶς, ex una parte.

Pag. 252. στήλην, columnam. τὸ σκόπελον, ſcopulum. σημεῖον, monumentum.

Pag. 253. δημιουργούς, & τὸ χορηγικὸν δίκαιον: ædificatores, & fundationis jus.

Pag. 319. σταυροπηγία, crucis plantatione. Ἀρχιερατικῷ, Pontificali.

Pag. 320. ῥῆμα, verbum. Χαίρετε τῶν ἐμῶν λόγων ἐρασταὶ, καὶ δρόμοι, καὶ σύνδρομοι, καὶ γραφίδες φανεραὶ, καὶ λανθάνουσαι, καὶ ἡ βιαζομένη κιγκλὶς αὐτὴ τοῖς περὶ τῶν λόγων ὠθιζομένοις: Valete concionum mearum amatores, & curſus & concurſiones, & calami tam perſpicui quàm occulti, & vim paſſa valva ipſa, ab iis qui ad concionem audiendam ſe protrudebant.

Pag. 323. περὶ δανειζόντων, de fœneratoribus.

Pag. 327. καταβολὴ, ſolutio.

GRÆCARUM VOCUM INTERPRETATIO.

Pag. 328. ῥήματι καὶ γράμματι τυπικῷ πρὸς αὐτόν, verbo & ſcripto ſolenni ad eum.

Pag. 331. ἀποχὴ, Gall. *quittance*. ἀθώωσιν, liberationem per acceptilationem.

Pag. 332. λόγον οὐσίας, τί ἐστι: rationem ſubſtantiæ, quid ſit.

Pag. 337. ἀνὰ δεκὰ, Gall. *dix à dix*, dena.

Pag. 408. ἀποτέλεσμα, effectum.

Digitized by Google

INDEX

OPERUM PRIMÆ PARTIS,

qua continentur vivo Autore Tractatus editi.

SYNOPSIS *Tractatuum primæ partis præmittitur, quam ſequitur Græcarum dictionum & locorum ab autore laudatorum interpretatio.*

Diſſertatio *de Origine, arte & autoritate Iuris Canonici.* pag. 1

Præfatio *de Methodo & autoritate collectionis Gratiani & aliarum collectionum.* 41

Oratio *de recta Iuris Canonici diſcendi ratione.* 59

Monitum *ſequentibus novem Tractatibus præfixum.* 64

Tractatus ad Lib. I. Decretalium Tit. I. *de ſumma Trinitate & Fide Catholica.* 67

Tractatus ad lib. I. Decret. Tit. II. *de Conſtitutionibus.* 72

Tractatus ad lib. I. Decret. Tit. III. *de Reſcriptis.* 80

Tractatus ad lib. I. Decret. Tit. IV. *de Conſuetudine.* 95

Tractatus ad lib. I. Decret. Tit. V. *de Poſtulatione.* 103

Tractatus ad lib. I. Decret. Tit. VI. *de Electione & Electi poteſtate.* 108

Tractatus ad lib. I. Decretal. Tit. VII. *de Tranſlatione Epiſcopi.* 173

Tractatus ad lib. I. Decret. Tit. VIII. *de Vſu & autoritate Pallii.* 216

Tractatus ad lib. I. Decret. Tit. IX. *de Renunciatione.* 241

Diſſertatio *in cap. Auditis de Præſcriptionibus, & ſtrictim ad cap. Auditis de Reſtitutionibus, & ad cap.* XVII. *de Privilegiis.* 255

Tractatus ad lib. III. Decret. Tit. I. *de Vita & honeſtate Clericorum.* 290

Præfatio *de Diſpenſationibus Eccleſiaſticis.* 317

Diſputatio *de Nuptiis Conſobrinarum prohibitis aut permiſſis.* 329

Acceſſere duo Tractatus: Prior, qui *Archidiaconus, ſeu de Archidiaconi jure & Officio* inſcribitur, autore Nicolao Janvario in Eccleſia Carnotenſi Dunenſi Archidiacono.

Alter, qui *de Abſolutione ad cautelam* Tractatum continet, autore J. Tournet, Advocato Pariſienſi.

PARS PRIMA.

Digitized by Google

INDEX OPERUM SECUNDÆ PARTIS, qua continentur Tractatus nondum editi.

SYnopſis *Tractatuum ſecundæ partis præmittitur.*
Tractatus ad Decreti Gratiani Cauſæ XI. Quæſt. I. *de Iuriſdictione Eccleſiaſtica.* pag. 1
Tractatus ad ejuſdem Cauſas XVI. XVII. XVIII. XIX. & XX. *de Statu Regularium.* 34
Tractatus ad Cauſæ XVI. Canones aliquot & nonnulla Decreti loca *de antiquo Iure Patronatus & ejus origine.* 78
Tractatus ad Cauſas XXVII. XXVIII. XXIX. & reliquas ſeqq. ad XXXVI. *de Sponſalibus & Matrimoniis.* 99
Tractatus ad lib. I. Decret. Titulos tres XXIX. *de Officio & poteſtate Iudicis Delegati.* 153
XXX. *De Officio Legati.* 156
XXXI. *De Officio Iudicis ordinarii.* 173
Tractatus ad lib. III. Decret. Tit. V. *de Prabendis & Dignitatibus.* 189
Tractatus ad lib. III. Decret. Tit. XXXVIII. *de Iure Patronatus.* 249
Notæ & obſervationes in Alexandri Chaſſanæi Paratitla Decretalium Gregorii IX. 308
Tractatus ad Tit. *de Solutionibus & Liberationibus Dig. & Cod.* 326
Acceſſere duo Indices. Primus Autorum qui illuſtrantur aut emendantur in utraque parte.
Alter Rerum & Verborum quæ potiora in toto volumine occurrunt.

Digitized by Google

FRANCISCI FLORENTIS

JURISCONSULTI CELEBERRIMI,

Aurelianenſis primùm, deinde Pariſienſis

ANTECESSORIS

OPERA PRIORA, SIVE AB IPSO EDITA,

PARS PRIMA.

DISSERTATIO DE ORIGINE, ARTE ET autoritate Juris Canonici, ab Autore edita Anno 1632. poſtea ab eodem emendata, & aucta tum iis, quæ ſuis ipſemet locis inſeruit, tum adjectis ad marginem notis. Quæ omnia ex Autoris Autographo deſumpta ſunt.

PRÆFATIO.

JURIS CANONICI interpretationes ſuſcipientibus tria ſunt neceſſaria, quæ ſi ſtudioſi prætermittant in ingreſſu ſtudii, duorum alterum eveniet; aut deſertores efficientur rerum multitudine & varietate onerati; aut cum magno labore ſeriùs perducentur ad veram illius Juris ſcientiam, ad quam ſi præmittantur illa, faciliùs pervenient.

I. Eſt origo & proceſſus hujus Juris. II. Ars & methodus, quam ſinguli Collectores, illuſtriores maximè adhibuerunt. III. Autoritas & uſus cujuſque Collectionis. Et hæc quidem generalia, & quaſi catholica tradere propoſui, non quia velim verboſos texere Commentarios; ſed quòd interpretationem Juris Canonici promittenti erat inconveniens, omiſſis initiis, neque origine repetitâ, protinus materiam interpretationis tractare;

exemplo à Jureconſultis petito, qui Pandectis præfixerunt *titulum de Origine Juris*. Iſtæ quippe introductiones lubentiùs ad propoſitam materiam perducunt, ut ait Caius in *Lege 2. ff. de Origine Juris*, & cùm ibi venerimus, evidentiorem præſtant intellectum.

Inveſtiganti autem cauſas corruptæ & obſoleſcentis Juris Canonici doctrinæ, tres potiſſimùm occurrunt. Prima quod plerique Interpretum inſuper habuerunt illius Juris origines ſcrutari, Jus vetus à novo diſtinguere, vices & mutationes varias obſervare: & quod in Ariſtone tantopere laudat Plinius, [*lib. 1. ep. 22.*] omiſerunt vetera tractare, ut recentia; publica, ut privata, contenti jure noviſſimo, quod uſu & tritura receptum putabant, parum animum advertentes ad *canonem Fuerunt Diſt.* VII. *Etſi Legum antiquarum, quæ vetuſtate atque incuria abſoleverunt, nullus jam uſus ſit, notitia tamen neceſſaria videtur*. Quin & eas in uſum revocari aliquando, imò ſæpius intereſſet publicè.

Secunda, apocrypha plurima, id eſt ſuſpectæ & incertæ fidei, pro veris & certis nimium patienter Collectores recentiores, eorumque Interpretes ſibi tulerunt obtrudi; quæ à veris ſecernere ſumma fuit antiquis religio, *Can. Sancta Romana Diſt.* XV.

Tertia, ritus, mores & inſtituta, quæ in aliquibus Eccleſiis ſpecialiter obtinebant, vel omnino neglexerunt, vel ita acceperunt, quaſi apud omnes Eccleſias peræquè cuſtodirentur.

Alia vitia & defectus adnotare liberet, ſed iſta tria, ut graviora & majoris momenti indicare ſufficit: meminerimus enim nos compendium ſcribere, & hanc materiam quaſi per indicem attingere. Si quis autem ſingulorum, aut ſaltem celebriorum autorum Collectiones noverit, & quæ in ſingulis adnotabimus, illa tria incommoda facilè vitabit. Sciet enim quid, & quo tempore ſit inductum; mutationes & viciſſitudines Juris Canonici, ſi non per partes & exactè, generaliter ſaltem cognoſcet; quod incipienti ſatis eſt: qui verò ultra progredietur, artificium deteget, ſimul uſum & autoritatem cujuſque Collectionis inveſtigabit; qua ratione apocrypha, & quæ ſunt dubiæ fidei, qualia multa occurrunt illis libris, ſtatim odorabitur. Itemque ſi quid in omnibus Eccleſiis univerſaliter, ſi quid ſpecialiter in aliquibus obſervetur, diſtinguet. In hoc verò tractatu hanc methodum & formam obſervabimus, ut ſingula breviter perſtringantur; propoſiti noſtri memores, nos inſtitutionem & compendium tradere, in quo nimia diſciplina, ut ait Severianus in *arte*, id eſt fuſiùs & prolixiùs tracta diſputatio nocet diſcentibus.

PARS PRIMA.

Qua continentur duæ Juris Canonici diviſiones.

UT commodiùs & apertiùs intelligamus, quæ poſtea ſunt exponenda, Juris Canonici duas partitiones ſive diviſiones afferemus. Rectè enim Theophilus diviſionem vocat, immenſæ & infinitæ alicujus materiæ brevem comprehenſionem; quæ in tradendis artibus perneceſſaria eſt, ex eo maximè quod quæ non poterat quis capere ſimul propter multitudinem, ea diviſa in partes facilè poſſit apprehendere.

Jus itaque Canonicum, vel ratione materiæ & ſubjecti, vel ratione formæ dividemus. Unius enim & ejuſdem rei nihil obſtat plures afferri diviſiones, quæ ſint omnes ex arte.

Ratione materiæ ius Canonicum, vel ad fidem, vel ad mores pertinet. Quæ pertinent ad fidem, ſymbolis, & formulis fidei, ac ſynodicis epiſtolis plerumque continentur, [vel etiam Decretis, vt in Alexandrino Concilio anathematiſmi contra Neſtorium, & in 5. Synodo]: & ſpeciali nomine deſignantur, dogmata ſcilicet & διατυπώσεις appellantur: quæ verò ad mores, id eſt ad diſciplinam Eccleſiaſticam [& πολιτείαν] ſpectant, Canonum nomine deſignantur. [Vnde Chryſoſtomus *libris de Sacerdotio*, 4. imprimis *cap.* 5. omnis Theologiæ ſtudium ad hæc duo refert, πίστιν & πολιτείαν. Quibus adde notas Caſauboni ad *epiſt.* Gregorij Nyſſeni pag. 78. in fine.]

Probatur illa diuiſio autoritate ſeptem Conciliorum vniuerſalium: & quidem in Concilio Nicæno 1. exprimitur illa diviſio in *Epiſtola* Patrum *ad Ægyptios* ſub finem his verbis, κανονίζειν καὶ δογματίζειν, & apud Gelaſium Cyzicenum, qui acta Concilij Nicæni ex varijs autoribus collegit, adeò ſeparantur ea, quæ ſunt diſciplinæ, & morum ab illis, quæ ſunt doctrinæ & fidei; vt ſicut re ipsâ differunt, ita & notentur diuerſo nomine: [pag. 199. Περὶ τῶν τῆς καθολικῆς καὶ ὀρθοδόξου πίστεως, τῆς τε σεβασμίου τοῦ ἁγίου πάσχα, τῶν τε τῆς ἐκκλησιαστικῆς θείας λειτουργίας διατυπώσεων, τῶν τε περὶ τῆς ἐν αὐτῇ εὐταξίας κανόνων κριθέντα καὶ ὁρισθέντα. *Quæ de Catholica & orthodoxa fide, & veneranda Sancti Paſchatis feſtiuitate, de Diuini Eccleſiaſtici Officij conſtitutionibus, & de ipſius diſciplinæ canonibus indicata & definita ſunt.*] Διατυπώσεις vocat conſtitutiones Patrum, quæ pertinent ad fidem, quas refert numero ſeptem; Et poſteà ſubjungit Canones numero viginti, qui ad mores, & politiam Eccleſiaſticam ſpectant; vnde mirum non eſt, ſi in Canonibus nihil de Ario dicatur. Et hæc de Concilio Nicæno

De dictione διατυπώσεως & πίστεως vide *notas* Frontonis in *Baſilium tomo* 3. pag. 70.

In Concilio Conſtantinopolitano ſecundo eadem diſtinctio reperitur ex *Epiſtolis*, vt conſtat, *Synodicis* Concilii, quas direxerunt Patres ad Theodoſium Magnum, & ad Damaſum, Ambroſium, & reliquos Occidentis Epiſcopos. In illis enim epiſtolis, quæ pertinent ad fidem, & contra hæreſes ſtatuta ſunt, vocantur anathematiſmi: quæ verò ad diſciplinam & mores inter domeſticos fidei conſtituuntur ad Eccleſiarum ordinationem, vocantur Canones.

In Concilio Epheſino pleraque omnia pertinent ad fidem: ſeptem enim tantùm Canones conſtituit.

In Chalcedonenſi plures Canones continentur, qui plurimi faciendi ſunt, quia conſpirante, & in unum conueniente ordine Eccleſiaſtico & Sæculari ſanciti ſunt. In illo enim Concilio Canones multi ex ſuggeſtione Imperatoris Marciani à Patribus promulgati fuerunt, vt conſtat ex *actione ſexta* in fine. Manifeſta verò eſt differentia inter ea, quæ ad mores, & ad fidem pertinent, vt ex *integris* illius Concilij *actis* colligitur.

In quinta Synodo Oecumenica, quia nulli Canones editi ſunt, ſed tantùm de fidei quæſtionibus tractatum, illa diſtinctione opus non fuit.

In ſexta nulli pariter Canones editi ſunt: magna tamen difficultas oritur ex *can.* 5. 6. 7. 8. & 9 *Diſt.* XVI. ex quibus colligit Gratianus ſextam Synodum, & eius Canones ab Hadriano Pontifice probari. Canon enim quintus ipſius Hadriani verba continet, quibus probat illam Synodum, & eius Canones nominatim; quod & confirmatur *Can. 6. ſequenti*, & 7. quibus referuntur ipſa verba, & quidam Canones deſumpti ex illa Synodo 6. In *Can.* verò 8. quo continetur profeſſio ſolemnis Romani Pontificis, generaliter dicitur, Pontifices admittere illam Synodum ſextam, nullâ mentione factâ Canonum: quod ſummè notandum eſt. In *Can.* verò *nono*, ſexta Synodus dicitur conſcripta temporibus Papæ Agathonis, ſub Conſtantino Pogonato, præſentibus Legatis Apoſtoli-

De pugna & controuerſia ſuſcepta aduerſus 5. Synodum vide *notata ad Facundum Hermianenſem*, & apud Iſid. *lib. de viris illuſt. c.* 12. 31. & 32.

cæ Sedis. Ex illis autem *duobus Canonibus* 8. *&* 9. pugnantia & diſcordia oritur contra *Canones* 5. *&* 6. *eiuſdem Diſt.* XVI. Nam in 5. *&* 6. canones aliqui tribuuntur ſextæ Synodo; deinde in *Can.* 6. nominatim dicitur ſub Iuſtiniano filio Conſtantini Pogonati conuocatam fuiſſe ſextam Synodum. Prӕterea nulla mentio fit Pontificis, neque eius Legatorum; quod tamen neceſſarium eſſe, vt aliqua Synodus verè dicatur vniuerſalis & legitima, ſæpiùs Græcis ſummi Pontifices obiecerunt.

Illa diſcordia ita componenda videtur, ſi diſtinguamus inter veras, & falſas Synodos: duæ enim Synodi nomine ſextæ appellantur: illa, quæ eſt vera & legitima, habita eſt ſub Conſtantino Pogonato, & nullos Canones edidit; ſed tantùm ſtatuit quædam ad fidem pertinentia, & ad eam referendi ſunt *Can.* 8. *&* 9. *Diſt.* XVI. *Canones* verò 5. 6 *&* 7. ad pſeudo-ſynodum Græcorum referendi ſunt, quam pro vera & legitima obtinere voluerunt. Et quidem certum eſt Gratianum fuiſſe deceptum propter non animaduerſam iſtam diſtinctionem: ne tamen in eundem errorem incidamus, obſeruandum eſt verba *Canonis* 5. malè tribui Hadriano Pontifici. Nam licet verum ſit, in *Synodica* Hadriani *Epiſtola* ea verba contineri, quæ habentur in Concilio VII. Oecumenico *actione* 2. Hadrianus tamen ea verba refert tanquam deſumpta à Taraſio Conſtantinopolit. Patriarcha; non quod ea probet, vt conſtabit facilè, ſi quis coniungat dictam epiſtolam Hadriani cum epiſtola ipſa Taraſij, quæ habetur integra in dicta Synodo ſeptima *act one tertia*. Et hæc ad *quintum Canonem*.

Ad *Can.* 6. *habeo librum.* In hoc Canone ſeparare debemus prima verba, quæ ſunt Petri Nicomediæ Metropolitani, à verbis Taraſij, quæ incipiunt ab his verbis; *Patriarcha dixit.* Sed tam hic Canon, quàm ſequens accipiendi ſunt ſecundùm Græcorum ſententiam, maximè Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ. Quod iterum poſt Romanos Correctores pleniùs animaduertere operæ pretium erit.

Obſeruandum poſtremò, falſam illam Synodum continere 103. *Canones*, quorum plerique Occidentalem Eccleſiam impugnant; maximè *Canon* 2. 13. 55. *&* 82. Vocatur autem Synodus πενθέκτη à Græcis, id eſt quinta & ſexta; quia Canones, qui deerant quintæ & ſextæ Synodo, ſuppleuit: nec propriè dicitur ſeptima; quia nihil de nouo ſtatuit, ut notant Zonaras & Balſamo ad *illam Synodum*

Hactenus de ſexta Synodo, quantum ad diuiſionem noſtram de fide, & moribus. Alia quædam, quæ pertinent ad autoritatem & differentiam duarum illarum Synodorum, quæ ſextæ nomen præferunt, ſuo loco non omittemus.

In Gallijs 7. Synodus recepta in his quæ ſunt fidei; quod ad canones, nunquam. Vide *notata* ad Synod Francofordienſem de Imaginibus à Sirmōdo.

In Synodo ſeptima, quæ vocatur Nicæna ſecunda, contra Iconoclaſtas conuocata ſub Hadriano I. Pontifice, & Conſtantino Imperatore & eius matre Irene, ſeparantur manifeſtiſſimè ea, quæ ſunt fidei, & morum.

In octaua ſub Hadriano II. & Baſilio Imperatore. Notandum primò, ſicut duplicem fuiſſe ſextam Synodum notauimus, ita & octaua duplex fuit. Vna eſt legitima, cuius authoritate Photius incubator & inuaſor Sedis Conſtantinopolitanæ, viuo Ignatio, vero & legitimo Patriarcha, Synodi iudicio expulſus eſt, & Ignatius reſtitutus, annitente potiſſimùm Hadriano Pontifice, ad quem confugerat Ignatius, oppreſſus artibus Photii.

Altera Synodus octaua, quæ & falſa, poſt legitimam à Photio Pſeudo-patriarcha conuocata fuit; ſed eam Pontifex, & Occidentales reprobarunt. In octaua ſeruatur iſta diuiſio inter Canones, & dogmata.

Idem in alijs Synodis tam generalibus quàm particularibus obſeruare eſt, quas omitto compendij, & breuitatis cauſa; monebo tantùm exactè eam diffe-

rentiam in poſtremis Concilijs fuiſſe obſeruatam.

Quamuis vtilitas huius diuiſionis ex his, quæ diximus, ſatis eluceat, duas prę-terea nobis regulas ſuppeditat, ſæpiùs inculcandas in interpretando iure Canonico, quas ſeorſim adnotabimus.

Prima, in his, quæ ſunt fidei, omnes Eccleſias debere conuenire, fidem eſſe vnam, integram, & pro indiuiſo apud omnes Eccleſias ſeruandam, de qua nihil detrahi, vel immutari poteſt; denique, vt eleganter ait Tertullianus, *libro de virginibus velandis. Regula fidei vna omnino eſt, ſola immobilis & irreformabilis.*

Secunda regula. Ea quæ ad diſciplinam, conuerſationem & Eccleſiaſticam œconomiam pertinent, per loca terrarum regionéſque mutare licet: totum hoc genus liberas habet obſeruationes Quod enim neque contra fidem, neque contra bonos mores iniungitur, indifferenter eſt habendum, & pro eorum, inter quos viuitur ſocietate, ſeruandum eſt *Can.* 11. *Diſt.* XII [Quamuis enim omnes Eccleſiæ vnam & eamdem fidem tenere & obſeruare teneantur; diuerſos tamen ritus, mores, & conſuetudines retinere poſſunt abſque vlla ſciſſura & ſchiſmate: quod vulgò dicitur, ſub diuerſis ritibus vnam fidem, & per eam concordiam & pacem inter omnes Eccleſias conſeruari. Vnde nata celebris diſtinctio mobilium & immobilium præceptionum, quæ à mobili & immobili vno ſpiritu deſcendunt.

Adde infra *parte* 2. §. ſed vt breuiter vſque ad §. & hæc ſufficiant.

Præceptiones immobiles vocamus, quas lex æterna ſanxit, quæ obſeruatæ ſalutem conferunt, non obſeruatæ eamdem auferunt. In ijs nulla admittitur mutatio vel diſpenſatio: ſed ita ſunt omnia mandata, vel interdicta ſeruanda, ſicut æterna lege ſancita ſunt; v. c. quæ ad Deum & proximum pertinent, & ad parentes, itemque pręceptiones aduerſus vitia.

Præceptiones autem mobiles ſunt, quæ lege æterna & perpetua non fuerunt ſancitæ, ſed quas ad tempus ratione vtilitatis Scripturæ & Canones poſuerunt, non ad ſalutem principaliter obtinendam, ſed ad eam tutiùs muniendam.

In huiuſmodi præceptionibus mobilibus, dummodo honeſta vel vtilis conſequatur compenſatio, poterit procedere autoritate præſidentium, id eſt Antiſtitum, diligenter deliberata diſpenſatio. Ceſſare tamen debet cuiuſlibet lucri & commodi temporalis ſuſpicio, quæ nec impetrantem, nec concedentem liberat. Multa namque Principes Eccleſiarum pro tenore Canonum diſtrictiùs iudicant: multa pro temporum neceſſitate: multa pro vtilitate publica vel ſtrage populorum vitandâ diſpenſant. De quibus omnibus erudititiſſime Iuo Carnotenſis in *Præfatione Decreti*: Gratianus verò varijs in locis ex Concilijs, Decretis ſummorum Pontificum, & dictis Patrum confirmat & illuſtrat *Can.* 2. *Diſt.* VIII. *Canon. 6. & 8. Diſt.* XI. *Canon.* 3. 4. 5. 7. *& 8. & maxime* 11. *Diſt.* XII. *& tota Diſt.* XIII. *&* XIV. *&* XXIX. *Can.* 2. *Can.* 3. 11. 18. 19. XXIII. *Q.* 4. Quibus addendus D. Chryſoſtomus in Math. cap. 5. Hom. 17. pag. 219. 220. & 221 editionis Pariſienſis.]

Itaque ſi aliqua Eccleſia alio iure vtatur in diſciplina, non ideò communio & ſocietas Eccleſiaſtica reſcinditur, ſed retinetur concordia per diſpenſationem, & œconomiam Eccleſiaſticam, ſiue indulgentiam, συγγνώμην: tot enim nominibus vna & eadem res ſignificatur *Canon.* 14. 15. 16. *Cauſa* 1. *Q.* 7. qua de re prudentiſſimè ſcripſit Eulogius Patriarcha Alexandrinus, cuius excerpta ſuperſunt in *Bibliotheca* Photij ab Interprete non intellecta, qui vbique ferè οἰκονομίαν Incarnationis myſterium interpretatur: quo errore inſignem Eulogij tractatum adeò obſcurauit, vt eius ſententia non poſſit conſtare. Quamuis enim οἰκονομία, ſignificet aliquando ἐνσάρκωσιν, ἐνανθρώπησιν, ἔνσαρκον ἐπιφάνειαν Chriſti,

quæ & abſolutè θεολογία, & coniunctim οἰκονομία & θεολογία, vnde & Ioannes Theologus appellatur: quia ſicut Lucas τὴν περὶ τοῦ σωτῆρος ἡμῶν γενεαλογίαν, anteà ſcripſerat; ita Ioannes θεανθρωπίαν, quæ per eminentiam θεολογία. Euſebius *Hiſtor. Eccl. lib.* 1. *c.* 1. initio & fine, & *lib.* 3. *cap.* 18. ſub finem. Apud Eulogium tamen in illo tractatu οἰκονομία, vt notauimus, pro diſpenſatione, indulgentiâ, moderatione & æquitate accipitur, eodémque ſenſu apud Athanaſium *epiſt. ad Rufinianum,* Baſilium *epiſt.* 1. *canonica ad Amphilochium* [*&* *epiſt.* 203. *&* 204. in editione poſtrema Pariſienſi;] Cyrillum *epiſtolis ad Gennadium Preſbyterum & Archimandritam, & ad Maximum Diaconum,* quibus in locis τὸ αὐστηρὸν, & τὸ ἀκριβὲς, opponitur τῇ οἰκονομίᾳ. De diſpenſatione autem illa Eccleſiaſtica, de qua Eulogius ex profeſſo apud Græcos diſſeruit, non minori iudicio apud Latinos Iuo Carnotenſis in *doctiſſima Præfatione Decreti* tractauit: eadémque de re eius æqualis Goffridus Vindocinenſis, in *tractatu ad Calixtum Papam, Qualiter in Eccleſia diſpenſationes fieri debent.* [Gratianus in *Can.* 6. 7. 11. 12. 13. 14 15. *& ſeqq. & Can.* 23. 1. *Q.* 7. Bernardus *libro de Præcepto & Diſpenſatione.* S. Auguſtinus *epiſt.* 50. *&* 162. Hilarius *contra Auxentium* pag. 101. & in *initio & fine tractatus.* Quibus adde Bibliothecam Cluniacenſem pag. 1354. & quæ de œconomia & συγκαταβάσει notat Caſaubonus in *epiſt.* Gregorij Nyſſeni pag. 109, itemque notas Heinſij ad Nouum Teſtamentum, & Frontonis ad *Tom.* 1. Chryſoſtomi pag. 62. & 63. & quæ habentur *tomo* 2. Libertatum Gallicanarum pag. 536. & 537 & ibi notata.]

Exempla illuſtria habemus, quibus vtraque regula ſuprà propoſita confirmatur. Et quidem de Synodo 6. de quà ſuprà, ita loquitur Anaſtaſius Bibliothecarius in quadam *epiſtola ad Ioannem Diaconum* [quæ præfigitur initio *Collectaneorum* Anaſtaſij editorum à Sirmondo.] *Et hanc quoque Synodum ſextam Canonica capitula promulgaſſe, Græcorum ſcripta teſtantur: quæ tamen pene omnia, quia Sedes Apoſtolica non approbauit, tota Latinitas reprobauit: nec tamen vllum ſchiſma eam ob rem inter Eccleſias Orientales & Occidentales ortum eſt.* Quod & pluribus exemplis ex alijs Synodis generalibus breuiter demonſtro, in quibus licet nulla fuerit controuerſia in quæſtionibus fidei; non tamen conſtitit inter omnes de his, quæ in illis Synodis ad diſciplinam pertinent. Verbi gratia, in Conſtantinopolitana vniuerſali ſecunda *Canonem* 3. Eccleſia Romana & aliæ Sedes Patriarchales non approbarunt, quo continentur priuilegia Sedis Conſtantinopolitanæ. Ita in Epheſina Synodo *Canon vlt.* de Cypro non probatur Eccleſiæ Antiochenæ. Poſtremò, quod in Chalcedonenſi *Canon penult.* de Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ priuilegijs amplificandis iterum ſtatuitur, improbatur, & damnatur à Leone Magno in *Epiſtolis* 53 54. 55. Et huic Canoni promulgando nominatim interceſſerunt Paſchaſius, Lucentius, & Bonifacius Leonis Magni Legati, qui contradictionem ſuam in acta referri poſtulauerunt, vt conſtat ex *actione vlt.* Concilij Chalcedonenſis. Ex quibus conficitur, quamuis non omnes Canones alicuius Synodi, etiam vniuerſalis probentur, non ideò minùs eſſe legitimam, & ſolemnem, dummodo in fide conueniant. Vnde non mirum eſt, ſi hodie aliqui Canones Conc. Trid. qui pertinent ad diſciplinam, ab omnibus Eccleſijs non admittantur, quamuis in fide omnes Orthodoxi conueniant. Hęc de prima diuiſione, de qua plura dicerem, niſi modus cõpendij ſeruandus eſſet.

Sequitur ſecunda diuiſio in ius ſcriptum & non ſcriptum, quæ à forma repetitur, ſicut ſuperior à materia & ſubiecto. Quemadmodum enim in §. 3. *conſtat. Inſtit. de iure naturali gentium & ciuili*, ius omne ciuile dicitur conſtare ſcripto & ſine ſcripto: ita & ius omne Canonicum diſtribuitur in ius ſcriptum, & non

ſcriptum : vel breuiùs, legibus & moribus continetur. Lex enim conſtitutio ſcripta vocatur, vt Theophilus notat *eodem titulo*, & Iſidorus *Can.* 2. 3 4. *&* 5. *Diſt.* 1. Ius verò non ſcriptum appellatur, ius moribus introductum, conſuetudo, diſputatio fori, ius prudentum, & vſus.

[Ius non ſcriptum vocamus traditionem, vſum antiquum & perpetuum, vel omnium ſimul Eccleſiarum, vel particularium quarumdam tantum. Quæ diſtinctio ſcripturarum etiam autoritate confirmatur. Petrus *Epiſt.* 1. *cap.* 1. vocat τὰ πατροπαράδοτα. D. Paulus 2. *ad Theſſal.* 2. *Itaque*, ait, *fratres ſtate, & tenete traditiones, quas didiciſtis ſiue per Sermonem, ſiue per Epiſtolam.* Quas Traditiones ſæpius idem Apoſtolus *bonum depoſitum* vocat *Ep.* 2. *ad Timoth. cap.* 1. *formam habe ſanorum verborum, quæ à me audiſti.* Et poſteà. *Bonum depoſitum cuſtodi per Spiritum Sanctum, qui habitat in nobis.* Quibus locis ſimul iunctis rectè definiuerunt Concilij Trid. Patres *Seſſione* 4 Traditiones, *quæ nempe ſine ſcripto ipſius Chriſti ore ab Apoſtolis acceptæ, aut ab ipſis Apoſtolis Spiritu Sancto dictante, quaſi per manus traditæ ad nos vſque peruenerunt.* Quæ quidem Traditiones, dummodo per omnes Eccleſias ab initio præceptæ fuerint & obſeruatæ, vim & robur obtinent, non tantùm circà ea, quæ ſunt diſciplinæ & morum, ſed etiam circà fidem & dogmata. Eamque in rem inſignis eſt locus Baſilii Magni *lib. de Spiritu Sancto cap.* 27. *Dogmatum & inſtitutorum, quæ in Eccleſia ſeruata ſunt, alia quidem habemus ex doctrina, quæ litteris conſignata eſt : alia verò ex Apoſtolorum traditione, ad nos tranſmiſſa, in myſterio recepimus,* id eſt ſine ſcriptis, *quæ vtraque eamdem vim habent & robur ad pietatem : atque his nemo contradixerit, qui vel exiguâ legum Eccleſiaſticarum peritia ſit præditus.* Quod & exemplis pluribus declarat D. Baſilius. Qui locus meritò ab omnibus fere Collectoribus Canonum refertur, Burchardo, Iuone, Gratiano, qui eum locum retulit *can.* 5. *Diſt.* xi. cui ſimilem addimus ex Epiphanio *ad hæreſim Arianorum. Num.* 5. 6. 7. & maxime *num.* 8. & iterum in *Expoſitione fidei Catholicæ num.* 21. 22. *&* 23. & ſeqq & ad eam *notas* Petauij. Cui etiam adiungenda, quæ de traditionibus Balduinus & Eſpenſæus ſcripſerunt; & quæ ad Baſilium Fronto Ducæus obſeruauit, vt & ea, quæ ad *tit. de conſuetudine in pr.* notauimus.]

Traditiones itaque eandem vim & poteſtatem habent, atque ea, quæ ſcripto continentur *Can. Eccleſiaſticarum, Diſt.* x i. & contemptores huiuſmodi conſuetudinum coërcentur eodem modo, quo contemptores legum diuinarum, vt ait Auguſt. *Can. in his rebus, & ſequenti Diſt.* x i & Vincentius Lerinenſis *Commonitorio primo* diuinæ legis autoritatem & Eccleſiæ Catholicæ traditionem coniungit.

Bimembris illa diuiſio, in ius ſcriptum & non ſcriptum, & eius autoritas confirmatur expreſsè *Can.* 7 Syn vii. & *dicta Seſſ.* 4. Tridentini Concilij: quibus Synodis idem continetur, quod ex antiquioribus pluribus ante ſæculis ſeruatum erat ex *dicto Can. Eccleſiaſticarum Diſt.* xi iunctis *Canonibus* 7. 8. *&* 9. *Diſt. eadem, & can.* 9. *Diſt.* xii. [quibus adde Iſidorum *lib.* 1. *de diuinis Officijs cap. vlt.* & Radulphum *lib. de can. obſeruat. Propoſit.* 2. 3. *&* 4. *in volumine* Autorum *de diuinis Catholicæ Eccleſiæ Officijs.*]

Aduerſari videtur diuiſioni propoſitæ Auguſtinus in *dicto Can.* 8. his verbis, *Quicquid in Eccleſia tenetur, aut autoritas eſt ſcripturarum, aut traditio vniuerſalis, aut certe propria, & particularis inſtitutio.* Propriam, & particularem inſtitutionem ſeparat ab vniuerſali traditione : particularis ſcilicet inſtitutio, ſiue conſuetudo certo loco incluſa intelligitur, quæ per loca terrarum, regionéſque variatur, vt ait Auguſtinus : & earum conſuetudinum aliquot exem-

pla ſuppeditat *Can.* 11. *Diſt.* XII. In quibus hęc regula tenenda eſt, Conſuetudines & traditiones Eccleſiaſticas, licet diuerſæ ſint pro loco & tempore: ſi tamen nihil contra fidem Catholicam vſurpare dignoſcantur, ita eſſe obſeruandas, vt à maioribus traditę ſunt: nec aliorum conſuetudinem aliorum contrario more ſubuerti, *can.* 3. 4. 8. 9. 11. *Diſt.* XII.

Ex quibus Canonibus, & autoritatibus augetur difficultas propoſita, quòd Canonici iuris duas tantùm ſpecies aſſignauimus. Cui obiectioni ſatisfaciemus ita, ſi conſuetudines particulares Eccleſiarum ſub commune genus, iuris ſcilicet non ſcripti reducamus, ſub quo poteſtate, τῇ δυνάμει continentur. Explicationis tamen causâ in plures ſpecies vna & eadem diuiſio poteſt diffundi, cuius rei plura exempla occurrunt in iure ciuili, in quibus diuiſio, quæ bimembris fuit ab initio, in plures iterum partes ſubdiuiditur. In §. *vlt. Inſt. de iuſtitia, & iure* ius omne diuiditur in publicum, & priuatum; & tamen apud bonos autores diuiditur in publicum, priuatum, & ſacrum: reducetur tamen commodè illa tertia ſpecies, ſacrum, ad ius publicum. Eadem forma in §. 1. *Inſt. de iure perſonarum*, perſonæ omnes diuiduntur in liberos & ſeruos: & tamen in §. *vlt. eiuſdem tituli* diuiduntur tripliciter in ſeruos, libertinos & ingenuos: libertini tamen & ingenui poterunt reduci ad liberos. Plura exempla inuenire licet apud Cujacium *lib.* 15. *Obſeruationum cap* 33. Methodi tamen & breuitatis causâ vniuerſaliores, quæ ad ſumma genera reuocantur, proponendę ſunt magis.

Obſeruandum II. licet conſuetudo, ſiue traditio adſcribatur iuri non ſcripto, & ab Iſidoro appelletur *lex non ſcripta* in *can.* 4. & 5. *Diſt.* 1. euenire tamen poteſt vt ſcripturâ conſiſtat: quo caſu eſt æqualis poteſtatis & autoritatis, ſiue ex ſcripto conſtet, ſiue non ſcripto: quod aperte confirmatur ex locis ſupra notatis, & in Synodo VII. *act.* 8. his verbis. *Si quis omnem Eccleſiaſticam traditionem, ſiue ſcriptam, ſiue non ſcriptam reijcit, anathema eſto.* Male itaque Gratianus ad *dictum canonem* 5. adnotauit, conſuetudinem, quæ in ſcriptis redacta eſt, ius vocari; quæ verò in ſcriptis redacta non eſt, generali nomine conſuetudinis appellari tantùm. Nec enim ſcriptura immutat ius vel autoritatem conſuetudinis: ſubſtantia enim conſuetudinis, non ex literis, & ſcripturâ; ſed ex tacito populi conſenſu repetitur: ſicut à contrario legis ſubſtantia pendet ab expreſſo populi conſenſu, *l. Diuturna l. ſed & ea. & l. ergo omne ff. de Legibus, iuncto* §. *vlt. Inſt. de iure naturali.* Expreſſum autem conſenſum dicimus, qui literis conſignatur & exprimitur: vnde & legem à legendo dictam ait Iſidorus: & legem eſſe commune nomen omnibus iuris ſcripti ſpeciebus ait Theophilus § 4. *Inſt. de iure naturali.* Quod ſi contingat conſuetudinem in ſcriptis redigi, idem dicemus, quod de hypotheca dicit Iuriſconſultus in *lege* 4. *ff. de fide inſtrumentorum*: fiunt de conſuetudinibus, & traditionibus ſcripturæ, vt quod ſtatutum eſt, faciliùs per eas probari poſſit: & ſine his autem valet quod actum eſt, ſi habeat probationem. Et proprie traditiones dicuntur, quæ origine inſpectâ, per manus ad nos peruenerunt, ſine ſcripturâ. Et hæc de prima parte diuiſionis, quæ pertinet ad ius non ſcriptum.

Sequitur altera pars diuiſionis, quæ ad ius ſcriptum pertinet: ſpecies iuris ſcripti Canonici duæ ſunt, ſacræ Scripturæ Canonicæ, & Canones ipſi. Scripturæ autem Canonicæ proprie dicuntur, quæ autoritate Eccleſiæ & Canonum receptæ ſunt, vt à libris incertis ſeparentur. Enumerantur autem illi libri in Concilijs antiquis & recentibus, & ſæpius à Patribus Græcis & Latinis. Sed vt hæc quæſtio apertiùs, & ad inſtitutum noſtrum conuenientiùs tractetur, obſeruandum eſt quod dicitur in *can.* 6. Nicænæ II. Synodi VII, in iure Canonico & Synodis

Euangelicas

Euangelicas & Canonicas cauſas tantùm decidere, non alias. Conſequenter ad decidendas & terminandas illas lites neceſſarij fuerunt duo Codices, Euangeliorum, & Canonum, qui ſolebant in Concilijs proponi in medio conſeſsûs & in throno collocari, vt ex eorum iure, tum ea, quæ ad dogmata & fidem pertinerent, expenderentur: tum etiam quæ ad mores. Vnde paſſim in Concilijs Græcis & Latinis occurrunt illæ ſolemnes formulæ: *Propoſitis in medio ſacris & inuiolatis Euangelij Codicibus. Proferatur Codex Canonum. Legantur Canones.* Nempe poſt narrationem negotij ex vtraque parte, vt finem litibus imponerent, iubebant Patres Concilij recitari canones, qui ad illud negotium ſpectabant: quod in actis Conciliorum integris frequentiſſimè occurrit. Vnde Leo IV. in *canone de libellis Diſt.* xx. ita loquitur de Codice canonum, & de canonibus ipſis poſt emendationem Conciliorum & Pontificum, ex quibus canones deſumpti fuerant: *Iſti omnino ſunt, & per quos iudicant Epiſcopi, & per quos Epiſcopi ſimul iudicantur & Clerici.*

Iuris itaque Canonici, quod ex ſcripto conſiſtit, duæ ſunt partes ſummæ & principales, ſacræ Scripturæ, & Canones. Scripturæ ſacræ iterum ſubdiuiduntur in libros veteris, & noui Teſtamenti: de quorum numero, & autoritate variæ fuerunt controuerſiæ. Nec enim vno conſenſu omnes ab omnibus Eccleſijs admiſſi fuerunt, ſiue de nouo, ſiue de veteri Teſtamento quæratur: ideóque vt de cuiúſque libri autoritate & veritate conſtaret, ad traditiones Eccleſiæ recurrendum fuit. Quid verò in ea re ſequendum, non idem viſum eſt Patribus. Habetur Hieronymi ſententia in *can.* 6. *Diſt.* IX. qui nec ipſe ſibi conſtat, vt licet colligere ex eiuſdem *Prologo galeato* & reliquis, quos in ſingulos libros ſpecialiter ſcripſit. Item notari debet eam in rem Auguſtini ſententia in *can.* 6 *Diſt.* XIX. [& ibi Correctores:] quem canonem malè & alieno loco Gratianus ad decretales Epiſtolas Pontificum transfert, vt apparebit manifeſtiſſimè ex integro loco D. Auguſtini, qui reperitur *libro 2. de doctrina Chriſtiana cap. 8.* Subiicit enim vltimis verbis Canonis, qui relatus eſt à Gratiano, hæc verba ſummè notanda: *Totus enim canon ſcripturarum, in quo conſiderationem iſtam verſandam dicimus, his libris continetur.* Et deinde enumerat libros veteris & noui Teſtamenti; nec vllas Pontificum decretales refert.

In huiuſmodi autem controuerſiis de numero, & autoritate librorum, hæc diſtinctio frequentiſſima fuit, vt tam veteris, quàm noui Teſtamenti triplex ordo librorum fuerit. Primus ordo, quædam ſcripturæ admittuntur ab omnibus, vel ſaltem plurimis Eccleſiis: & eæ dicuntur Eccleſiaſticæ & canonizatæ, id eſt ab Eccleſia & canonibus receptæ. Secundus ordo eſt earum, quibus contradicitur, id eſt quæ à multis Eccleſiis admittuntur, & à multis non recipiuntur; ad quas pertinet propriè conſilium Auguſtini, de quo ſupra diximus. In exemplum licet accipere Machabæorum duos libros, quos certum eſt Africanam Eccleſiam accepiſſe legendos à Patribus cum reliquis Canonicis, & conſtat ex Concilio Carthaginenſi 3. *can.* 47. ſub Aurelio, cui Auguſtinus ſubſcripſit; qui quidem Auguſtinus illos libros in Africa receptos commemorat *libro 11. de Ciuitate Dei, cap. 3. & lib. 18. cap. 36. 41. 42. & 43.* & in canone Scripturarum refert, quem ipſe con-

ſcripſit *dicto lib. 2. de doctrina Chriſtiana cap. 8.* Imò & Innocentius I. eos probat nominatim in *Epiſtola ad Exuperium Tholoſanum Epiſcopum, cap. 27.* Certum tamen eſt ab Orientalibus Eccleſiis, & aliis quibuſdam contradici; non tamen eſſe vllam Eccleſiam, quæ eos damnet, & reiiciat omnino. Ex quibus colligitur, audacius paulò Anaſtaſium Bibliothecarium libros illos, qui medii ſunt inter Canonicos & apocryphos, in librorum numerum retuliſſe, qui non recipiuntur ab Eccleſia. Et Prudentius Nicephorus Patriarcha Conſtantinop. quem Anaſtaſius interpretabatur, tantùm refert eos inter libros, quibus contradicitur. Iſti verò libri, de quibus eſt controuerſia, recenſeri ſolent inter eos, quos Græci ἀγίγεαπα vocant, quorum autoritas ad roboranda illa, quæ in controuerſiam veniunt, minùs idonea iudicatur, vt ait Hieronymus *prologo in Iudith.* Sed tandem iſta controuerſia deciſa eſt Concilio Tridentino, *ſeſſ. 4. decreto de ſcripturis*, vt infra dicetur.

Tertio loco & ordine numerantur apocrypha, quæ non admittuntur vllius Eccleſiæ autoritate, ſed ab omnibus pariter reijciuntur, vt ſuppoſita & falſa, verbi gratia in veteri Teſtamento libri Enoch, Teſtamentum Moyſis & eius aſſumptio; in nouo verò Teſtamento, itineraria Petri, Pauli, Ioannis, & reliquorum, quæ referuntur in dicto canone ſcripturarum à Nicephoro Patriarcha Conſtantinop. confecto, & ab Innocentio I. *in epiſtola ad Exuperium Tholoſanum*, quæ non ſolum eſſe repudianda, verùm etiam damnanda iudicat. Huiuſmodi librorum falſorum, ampliorem catalogum habemus apud Gelaſium Pontificem in *can. 3. ſancta. Diſt.* xv.

Quia verò Scripturarum potiſſimum teſtimoniis & præſidiis in confirmandis dogmatibus, & inſtaurandis moribus vtitur Eccleſia, ſæpius de numero, & autoritate librorum magna contentione certatum eſt: nec de ea re conſtitit inter omnes Eccleſias, vt diximus; quod & catalogorum diuerſitas ſatis prodit; ideóque Conciliorum autoritate terminanda fuit ea lis, quod non ſemel factum eſt. Hieronymus *prologo in Iudith* loco ſingulari ait, *nominatim Synodum Nicænam librum Iudith in numero ſacrarum Scripturarum computaſſe, licet in Hebræo canone non foret.* Ex quo colligitur Canonem aliquem ſcripturarum in Synodo Nicæna factum fuiſſe, qui tamen hodie non extat. Poſt Nicænam in Laodicena Synodo *can. vlt.* catalogus refertur librorum ſacræ ſcripturæ, à Nicæno diuerſus: omittitur enim liber Iudith. Poſt Laodicenam in Concilio Carthag. III. *can. 47.* huiuſmodi Catalogus texitur diuerſus à Laodiceno: probatur tamen Carthaginenſis catalogus ab Auguſtino *lib. 2. de doctrina Chriſtiana cap.* 8. qui dicto Concilio interfuit. Poſtremo Innocentius I. in *dicta epiſtola* alium etiam catalogum fecit: qui tamen catalogi, quia inter ſe non conueniebant, opus fuit vt tandem poſt multas controuerſias certum aliquod decretum de ſcripturis promulgaretur; quod & factum eſt in Concilio Trident. *ſeſſ. 4.* vbi & index accuratus confectus eſt, non tantùm ſingulorum librorum, ſed etiam verſionum, nequa deinceps dubitatio ſuboriretur. Ita librorum differentiâ ſublatâ, de qua ſupra diximus, ſimpliciter & generaliter duplex tantùm ordo colligitur; Canonicorum, & non Canonicorum; nec amplius occurrit illa media ſpecies, contro-

uerſorum : quod & antea in Laodicena Synodo actum fuerat, in cuius *can. vlt.* omnes libri diuiduntur in Canonicos, & non Canonicos, ſiue ἀκανονιστοὶ ; ſicut in *dicta epiſtola* Innocentii I. & in Concilio Carthag. III. Quibus ita conſtitutis, ſatisfactum eſt dubitationibus veterum ; nec videntur amplius neceſſaria conſilia Hieronymi, & Auguſtini, de quibus ſupra dictum eſt, ad cognoſcendas, & diſcernendas Scripturas controuerſas; cùm ex lectione ſolius indicis Concilii Tridentini omnis ſcrupulus eximatur. Ne tamen quod antiquitas ea de re ſenſerit, ignoretur; vtile duximus progreſſum iuris indicare. Et hæc de illa parte Iuris ſcripti, quæ ad ſacras Scripturas pertinet

Expoſuimus primam & nobiliſſimam Iuris Canonici ſcripti ſpeciem, quæ ad canonicas Scripturas pertinet, in quibus conſtantiſſimè hæc regula ſeruari debet; vt omnibus poſterioribus Epiſcoporum & Tractatorum literis & ſcriptis præponantur, & pleniſſima fides eis adhibeatur : imò ſi quid in illis inuenitur, quod ſenſui noſtro repugnet; hunc honorem & timorem deferre debemus, vt contra ſentire non liceat. Et hæc regula, ſiue præceptum ex Auguſtini ſcriptis refertur in *can.* 3. 5. 8 9. *&* 10. *Diſt.* IX.

Sequitur ſecunda ſpecies Iuris ſcripti, quam ad Canones pertinere diximus ; & hanc ſpeciem rectè tripertitam dixerimus eadem forma, & figura loquendi, qua ius priuatum à Iuſtiniano dicitur tripertitum; quia collectum eſt ex naturalibus præceptis, aut gentium, aut ciuilibus. Tripertita igitur eſt iſta ſpecies : Canones enim omnes collecti ſunt ex Conciliis, aut ex Conſtitutionibus Pontificum, aut ex dictis Patrum; quæ partitio confirmatur à Gelaſio in *canone tertio Diſt.* XVI. & à Leone IV. in *can.* 1. *Diſt.* XX. qui & hunc ordinem obſeruant, vt ſanctorum Conciliorum Canones præferant; deinde decretales epiſtolas ſubiiciant, vel decretalium regulas, id eſt, quæ habentur cum Canonibus apud nos, vt loquitur Leo IV. in *dicto can.* 1. quæ verba ſummè notanda ſunt, & alio loco commodiùs explicabuntur. Poſtremò ex Patrum ſcriptis, quædam dicta excerpta proponunt, quæ non modicam in iure Canonico obtinent autoritatem; de quibus iudicium Leonis IV. in *dicto can.* ſummè notandum eſt : *Si tale contigerit, vel emerſerit inuſitatum negotium, quod minime poſſit per iſtos definiri* (id eſt per Epiſcopos & Pontifices;) *tunc ſi illorum, quorum meminiſtis, dicta Hieronymi, Auguſtini, Iſidori, & cæterorum ſimiliter ſanctorum Doctorum ſimilium reperta fuerint, magnanimiter ſunt retinenda ac promulganda.* Quod ita tamen debet accipi, vt huiuſmodi autores & dicta eorum, vel per aliorum Patrum grauiorem autoritatem, doctiorémque prudentiam, vel per Concilia liceat reprehendere, ſi quid fortè in eis à veritate deuiatum eſt; quod Auguſtinus præcipit in *can.* 3. 4. 8. 9. *&* 10. *Diſt.* IX. & Auguſtini ſinceritas admiratione digna eſt, qui eo iure in ſuis ſcriptis vti poſtulat, quod in alios antè ſtatuerat.

Eundem ordinem ſecutus eſt Gratianus in Decreto : agit enim primò de Conciliorum origine, autoritate, differentia, & numero, in *Diſt.* XV. XVI. XVII. *&* XVIII. deinde in *Diſtinct.* XIX. de epiſtolis decretalibus Pontificum, & earum vi & poteſtate : poſtremò in *Diſt.* XX. tractat de dictis & ſcriptis Patrum. Et primò quærit an eandem vim

& robur obtineant, atque decreta & Conſtitutiones Pontificum. Rationem dubitandi adfert, quod plurimi Tractatorum & Patrum Eccleſiæ ſcientia præcellant Pontificibus; vnde nonnullorum Ponrificum conſtitutis Auguſtini, Hieronymi, atque aliorum dicta videntur præferenda: quam dubitationem hac diſtinctione ſoluit, aliud eſſe ſcripturas interpretari, aliud negotiis finem imponere. In negotiis definiendis, ad quæ Canones potiſſimùm pertinent, non tantùm neceſſaria eſt ſcientia; ſed poteſtas, dignitas, & autoritas requiritur, quæ iuriſdictionis eſt, quam ſoli Epiſcopi & Pontifices habent; Tractatores & Patres Eccleſiæ non habent. Itaque non mirum eſt, ſi in ſacrarum Scripturarum expoſitionibus eis aliquando præponantur; in cauſis verò definiendis ſecundum tantùm poſt eos locum mereantur. Conciliorum autem decreta ſcriptis & dictis Patrum præferenda ſunt; imò per Concilia poſſunt reprehendi, vt nominatim dicitur in *can.* 8. *diſt.* IX. Ex quibus omnibus colligitur Concilia obtinere primum ordinem, ſecundum Pontificum conſtituta, tertium dicta, ſeu ſcripta Patrum.

Et quidem de dictis Patrum ſufficiunt quæ diximus. De Conſtitutis Pontificum & Decretalibus, earumque diuiſione multiplici & autoritate, alius erit dicendi locus; in preſenti tantùm quædam addemus de Conciliorum autoritate & differentia. Poſt ſacras Scripturas primam autoritatem obtinent in Eccleſia ſancta Concilia: imò partem Scripturarum conſtituunt. In Actis enim Apoſtolorum origo prima Conciliorum inuenitur, verbi gratia, in *cap.* 1. 4. 6. 8, *&* 15. quod & rectè nonnulli Collectores in fronte Conciliorum præmiſerunt. Eminet verò inter illa Concilium Hieroſolymitanum, ex vniuerſa, quæ tunc erat Eccleſia, collectum, vbi de legalibus ceremoniis; maximè verò de circumciſione controuerſia grauis apud Antiochiam nata diſſoluitur.

[Cæterum hæretici quidam, vt Eunomius, dixerunt ex hoc loco, in quo dicitur: *viſum eſt Spiritui Sancto & nobis*, *Actorum* ſcilicet *cap.* 15. Spiritum Sanctum non eſſe Deum, quia coniungitur Apoſtolis, qui non ſunt Dij. Quibus reſpondet D. Chryſoſt. *Serm. de lege & fide*, non eſſe nouum in ſcriptura coniungi Deum cum hominibus. Nam *Exodi* 14 videre eſt coniungi Deum Moyſi his verbis: *Credidit Populus in Deum & in Moyſem.* Et 1. *Regum* ſcriptum eſt; *& timuit omnis populus Deum & Samuelem.* Et alio loco dicitur: *Gladius Deo & Gedeoni.* Et concludit in hunc modum: *Vt enim coniungitur Moyſes Deo, non vt par honore, ſed vt miniſter Dei; & Samuel, non vt æqualis Deo dignitate, ſed vt Propheta; & Gedeon, non vt eiuſdem honoris, ſed vt belli dux: ita iuncti ſunt Apoſtoli Spiritui Sancto, non vt Dij, ſed vt Prædicatores Euangelii.* Et D. Baſilius idem reſpondet *lib.* 5. *aduerſus Eunomium*, vtiturque iiſdem exemplis, aitque *Apoſtolos dixiſſe: viſum eſt Spiritui Sancto, & nobis, non ſeipſos componentes Spiritui Sancto, ſed ſupponentes.* Apoſtoli ergo licet haberent Spiritum Sanctum, vt de ſe teſtatur D. Paulus 1. *ad Cor. cap.* 7. cum ait: *puto autem quod Spiritum Dei habeam*: (dicit autem puto vel credo, non quod dubitaret, ſed modeſtiæ tantùm cauſa;) & abundarent etiam eius gratia, vt non viderentur indigere conſilio ad ea, quæ agenda erant: non tamen voluerunt in *dicto cap.* 15. *Act.* definire, an gentes eſſent

circumcidendæ, quæ tranſire volebant ad Chriſtianam fidem, ante quam eſſent communiter congregati. Ibi enim orta dicitur contentio inter Iudæos factos Chriſtianos, & Gentiles, fidem quoque ſuſcipere volentes. Iudæi enim & Antiochiæ & Hieroſolymis contendebant non poſſe Gentiles admitti ad fidem Chriſtianam, niſi priùs circumciderentur, & alia legis Moſaïcæ præcepta ſeruarent. Quibus cum Paulus & Barnabas Antiochiæ reſiſterent, tandem conuenerunt inter ſe, vt Paulus & Barnabas mitterentur Hieroſolymam ad conſulendum ſuper ea quæſtione reliquos Apoſtolos, qui maturo conſilio habito cenſuerunt gentibus fidem recipientibus non eſſe imponendam hanc neceſſitatem, vt eſſent obnoxii in totum legi Moſaïcæ: eſſe tamen quædam in illa lege contenta, quæ gentilibus eſſent neceſſariò obſeruanda, & quæ illi apud gentes minimè obſeruabant; imò liberè exercebant: nimirùm 1. vt ab Idolothytis abſtinerent. 2. à ſanguine & ſuffocato. 3. à fornicatione, quatenus ſcilicet ea apud eos erat in vſu. Et hæc tria tantùm ex legibus Moſaïcis obſeruanda præſcribuntur gentilibus *cap.* 15. Nam Iudæi hæc tria obſeruabant. Singula exempla doctiſſimis notis explicauit Fronto Ducæus in *appendice ad Baſilium.*]

Ex illo itaque principio & fonte deriuata eſt in Eccleſiam Conciliorum frequens & neceſſaria conſuetudo; quorum ſaluberrimam eſſe autoritatem, ait Auguſtinus in *can. Illa autem. Diſt.* XII. Auguſtini tamen conſilium & ἐνθύμημα, quoties de Conciliis occurrit controuerſia, obſeruandum eſt in *lib. 3. cap. 14. contra Maximinum Arianum Epiſcopum*, qui Ariminenſe Concilium opponebat Nicæno: reſpondet ita Auguſtinus. *Sed nunc nec ego Nicænum, nec tu debes Ariminenſe, tanquam præiudicaturus, proferre Concilium: nec ego huius autoritate; nec tu illius detineris. Scripturarum autoritatibus, non quorumque propriis, ſed vtriſque communibus teſtibus, res cum re, cauſa cum cauſa, ratio cum ratione concurret.* Quod tamen prudenter & ſecundùm leges illius diſputationis intelligi debet, vt conſtat ex initio *lib. 1. contra Maximinum.* [Eodem ſpectat *epiſtola* Concilii Alexandrini ſcripta nomine Concilii ab Athanaſio *tomo 1.* apud Athanaſium pag 717. 718. & ſeq.]

Conciliorum verò duplex eſt diuiſio. Vel enim vniuerſalia ſunt & œcumenica, vel particularia. Vniuerſalia & œcumenica, quia fiunt ex vniuerſo orbe Chriſtiano, eadémque ratione plenaria etiam dicuntur; de quorum autoritate ita loquitur Auguſtinus *lib. 2. de Baptiſmo contra Donatiſtas cap. 3. Ipſa Concilia, quæ per ſingulas regiones vel prouincias fiunt, plenariorum Conciliorum autoritati, quæ fiunt ex vniuerſo orbe Chriſtiano, ſine vllis ambagibus cedunt.* Inter illa verò Concilia œcumenica quatuor ſunt celeberrima, Nicænum primum, Conſtantinopolitanum primum, Epheſinum & Chalcedonenſe; quæ ſicut ſancti Euangelii quatuor libros ſe ſuſcipere & venerari fatetur Gregorius I. in *can. ſicut Diſt.* xv. Hæ ſunt quatuor Synodi principales fidei doctrinam pleniſſimè prædicantes, *can. 1. Diſt.* xv. quamuis Concilia reliqua œcumenica, quæ poſteà legitimè ſunt conuocata, maximæ ſint etiam venerationis & autoritatis; vſque adeò vt & illa quatuor ſequentia vſque ad octauum, in confeſſionibus fidei contineantur, quas ſummi Pontifices & maiores Patriarchæ, & Epiſcopi ſolebant in ſuis promo-

tionibus ſcribere ad Epiſcopos primarum ſedium, vt conſtat ex *can.* 8. *Diſt.* XVI. & ex *regiſtro* Gregorii primi *epiſtola* 24. 25. & 26. *lib.* 1. *regiſtri*, vbi epiſtolæ huiuſmodi, ſicut & alibi, ſæpiùs vocantur Synodicæ; quia non ſoli, ſed habito frequenti conſilio eas ſcribebant, & ad Epiſcopos dirigebant.

Obſeruandum autem imprimis quod de Conciliis œcumenicis ſcribit Auguſtinus loco ſuprà dicto, *ſæpe Concilia vniuerſalia emendari à poſterioribus, cum aliquo experimento rerum aperitur, quod clauſum erat, & cognoſcitur, quod latebat, ſine vllo typho ſacrilegæ ſuperbiæ, ſine vlla inflata ceruice arrogantiæ.*

Quod ſi quæ ſunt Concilia à ſanctis Patribus inſtituta, præter œcumenicorum autoritatem, & cuſtodienda, & recipienda decernuntur *dicto can.* 1. *&* 3. *Diſt.* XV. Huiuſmodi autem particulares Synodi ſubdiuiduntur tripliciter. Primò ſunt vnius tantùm ciuitatis, quæ ab vno Epiſcopo, & ex Clero ſuæ ciuitatis conuocantur, quibus Epiſcopus præſidet. Secundò ſunt vnius prouinciæ, quas Metropolitani conuocare debent, eiſque præeſſe, *can.* 2. 4. *&* 7. *Diſt.* XVIII. quæ Concilia perfecta vocat Concilium Antiochenum *can.* 16. ad differentiam Synodorum vnius ciuitatis, quæ minus plenæ & perfectæ videntur. Tertiò Synodi ſunt plurium ſimul prouinciarum, quas Synodos vocant Diœceſeos: Diœceſis enim in iure & in canonibus plures ſimul continet prouincias. De his meminit *lex 23. Cod. Theodoſiano de Epiſcopis & Clericis, & canon penult.* Concilii Conſtantinopolit. in *Collectione Græca*, [τὲς τῆς Ποντικῆς, ϗ τῆς Ἀσιανῆς, ϗ τῆς Θρᾳκικῆς διοικήσεως Μητροπολίτας,] *& canon duodecimus* Concilii Antiocheni, vbi & appellantur maiores Synodi, quia conuocantur à Patriarchis, vel Primatibus ex vniuerſa diœceſi, pluribus metropolitanis in vnum conuenientibus [ἐπὶ μείζονα Ἐπισκόπων σύνοδον.] Tantæ verò ſunt autoritatis, vt aliquando vniuerſalia dicantur, & plenaria, quæ frequens appellatio eſt in Conciliis Africæ: imò & in Conciliis Gallicanis, & Hiſpanicis hæc eadem appellatio ſæpè reperitur; quando nempe ex vniuerſitate & ſoliditate Galliæ, Africæ, & Hiſpaniæ conuocantur, non tantùm ſeparatim ex vna prouincia.

In omnibus verò Conciliis tam œcumenicis, quàm particularibus, hæc regula non omittenda eſt; vbi *diſcors ſententia inuenitur in geſtis Conciliorum, illius Concilii magis teneri ſententia debet, cuius aut antiquior, aut potior extat autoritas;* quæ regula continetur in *can.* 28. *in fine Diſt.* L. *& can* 11. *Cauſa* XXIII. *Qu.* 2. quam iterum inculcat Innocentius III. in *celebri epiſtola* [124. *lib.* 2.] *ad Compoſtellanum Epiſcopum*, de controuerſia exorta inter Compoſtellanum & Bracarenſem Epiſcopum ſuper finibus metropoleos Galleciæ. [*Cum ſecundum Concilium Bracarenſe præceſſerit Emeritenſe Concilium, & celebrius habeatur, vt de quo plura ſunt aſſumpta capitula in corpore Decretorum, patet profectò, quod illud debet iſti præferri, ſicut cautum habetur in canone: quia quoties in geſtis Conciliorum diſcors ſententia inuenitur, illud eſt præferendum, cuius antiquior & potior extat autoritas.*]

Obſeruandum poſtremò, non eſſe temere credendum Gratiano *Diſt.* XVII. *&* XVIII. in quibus aſſerit Epiſcoporum Concilia eſſe inualida &

ad definiendum & conſtituendum; non autem ad corrigendum vel exequendum: quod aliter ſe habere ex locis ſupra citatis conſtabit. Verùm ea quæſtio indiget prolixiori diſputatione, quam aliquando accuratè inſtituemus.

PARS SECVNDA.

De variis Canonici iuris Collectionibus, & primò Orientalium, ſeu Græcorum.

EXPOSITIS duabus ſummis diuiſionibus iuris Canonici, earumque ſpeciebus ſigillatim & fusè ſatis; conſequens eſt vt ad nobiliores Canonum Collectiones indicandas veniamus, quia ex illis fontibus, quos aperuimus *cap. ſuperiori*, potiſſimùm deriuatæ ſunt. Collectiones enim omnes iuris Canonici, vel ad fidem, vel ad mores, ſeu Eccleſiaſticam diſciplinam pertinent; itémque collectæ ſunt ex iure ſcripto, vel non ſcripto: præcipuum tamen locum in Collectionibus antiquiſſimis Concilia ſibi vindicant; ideóque pauca generaliter ad ea ſpectantia delibauimus.

Obſeruandum Concilia ſiue vniuerſalia, ſive particularia duplici ratione, & methodo digeſta & compoſita ad nos perueniſſe: quorundam enim habemus acta integra; reliquorum canones tantùm ſeiunctos & ſeparatos ab actis.

Acta illa, quæ à Græcis appellantur vulgo πρακτικά, exactiſſimè & pleniſſimè continent ſingula, quæ in Conciliis agitabantur, ſiue ad mores, ſiue ad fidem, ſiue etiam ad ſolemnia, ordinem & formam iudicandi pertinerent: actoris & rei allegationes, diſceptationes omnes, ſingulorum Epiſcoporum ſententias, interlocutiones, & decreta Iudicum: ita vt nihil omnino in illis prætermitteretur. Huiuſmodi acta ſuperſunt Concilii Epheſini, Chalced. & aliorum; à quibus diuerſæ ſunt Conciliorum hiſtoriæ, velut hiſtoria Nicæni primi à Gelaſio Cyziceno redacta, & Sabini Heracleæ Epiſcopi, de qua Socrates *lib. 1. cap. 5. & lib. 2. cap. 11.* & ſæpius: quæ tamen cautione adhibitâ legenda ſunt.

Poſtremò Canones ſolos habemus plurium Synodorum, quarum acta interciderunt, veluti Niceni, Conſtantinop. primi, & omnium particularium Synodorum, quæ habentur in antiquiſſima Collectione Græcorum, de qua mox dicemus.

Sed vt aliquem ordinem in hac tractatione obſeruemus, Collectiones omnes iuris Canonici, quas potiſſimum ex Conciliis, tanquam ex puris & propriis fontibus fluxiſſe diximus, facilioris intellectus, & docendi gratia, diuidemus in duas ſpecies, in Collectiones Eccleſiæ Orientalis & Occidentalis, & ſingulis ſingula capita ſeparatim aſſignabimus; quod & habet rationem: licet enim Eccleſia ſit vna per totum orbem diffuſa, & in vnitate fidei conueniat; tamen in his, quæ ad diſciplinam pertinent, ſæpe variatum eſt, nec ſemper inter omnes Eccleſias conſtitit, vt oſtendimus *cap. ſuperiori in diuiſione 1. parte 2.* quæ ad mores & diſciplinam refertur. Sed quod ad rem proximè pertinet, quoſdam Canones & Concilia probauit & ſuſcepit Eccleſia

Orientalis, quæ vel omnino reiecit, vel pro parte tantùm admiſit Occidentalis & Romana Eccleſia, vt vel ex his, quæ diximus ſupra de ſexta Synodo licet colligere. Rectè verò, & ordine nos arbitremur facturos, ſi faciamus initium à Collectionibus Orientalis Eccleſiæ, tum quia fides ab Oriente ad Occidentales manauit; tum quia Concilia primò, & nobiliſſima ibi ſunt celebrata, vnde & ad nos peruenerunt. Quoniam tamen infinitum eſſet, & inſtituto noſtro contrarium omnes Collectiones percurrere; mentionem tantùm faciemus præcipuarum, in quibus tria inueſtigabimus, Originem, Artem & autoritatem cuiuſque Collectionis.

Antiquiſſima Orientalium Collectio continet Canones duarum tantùm Synodorum generalium, Nicenæ primæ, & Conſtantinop. primæ; quinque verò particularium, ſcilicet Ancyranæ, Neocæſarienſis, Gangrenſis, Antiochenæ, & Laodicenæ. Quis verò fuerit autor illius Collectionis, ignoratur: conjicere tamen poſſumus tempus, quo facta fuit; ſcilicet paulò poſt Concilium Conſtantinop. primum, & ita circa tempora Theodoſii magni. Coniectura noſtra nititur hoc fundamento, quòd Collector Epheſini, & Chalcedonenſis Concilij Canones prætermiſerit. Deſinit enim in canonibus Concilij Conſtantinop. primi, nec vltra progreditur; vt ait nominatim Dionyſius Exiguus ſub finem epiſtolæ, quam præfixit interpretationi Collectionis Græcæ. Verba Dionyſij notanda ſunt: *Regulas Nicenæ Synodi, & deinceps omnium Conciliorum, ſiue quæ ante erant, ſiue quæ poſtmodum facta ſunt, vſque ad Synodum centum quinquaginta Pontificum, qui apud Conſtantinopolim conuenerunt ſub ordine numerorum, id eſt à primo cap vſque ad 165. ſicut habetur in Græca autoritate digeſſimus.* Quæ verba ideò adſcripſimus, vt vitetur error illorum, qui in antiquam illam Collectionem Græcam aliquos Canones ex Concilio Conſtantinop. retulerunt, & Canones Epheſinos: ſunt enim ab alio Collectore poſtea inſerti, & adiuncti huic antiquæ Collectioni; ſicut & Chalcedonenſis Concilij canones Dionyſius Exiguus profitetur ſe addidiſſe in *dicta epiſtola.* Grauior eſt error illorum, qui Concilium Epheſinum deſiderari conqueruntur in editione Dionyſij Exigui, & eam imperitius ſupplere conati ſunt, ſubrogantes Concilium particulare Alexandrinum, à Cyrillo conuocatum contra Neſtorium, pro Concilio Epheſino œcumenico, ſeu vniuerſali, quod deinde contra eundem Neſtorium congregatum eſt. Et hæc de origine, & tempore illius Collectionis.

Ars verò & methodus duplex eſt. Primò ordo temporis, quo quæque Synodus habita eſt, obſeruatur; hac tamen prærogatiua Nicæno Concilio conceſſa, vt antiquioribus præponatur. Secundò, perpetua ſerie & arctiſſimo quodam vinculo omnes Canones coniunguntur; nec ſeparantur vnius Synodi Canones ab alterius Synodi canonibus, ſed coniunctim & ſub eadem conſequentia numerorum referuntur, quaſi forent omnes vnius & eiuſdem Concilij, vt ex loco ſuprà citato Dioniſij Exigui colligitur, & ex Concilio Chalcedonenſi *act.* 4. & 11. apertè confirmatur; in quibus Canones deſumpti ex illa Collectione ſub eadem numerorum & ordinis obſeruatione recitantur, & ſecundùm illos lites dirimuntur: quod ſummâ prudentia, & cautione effectum

tum eſt. Numerus enim Canonum continuus, & non interruptus ad hoc maximè confert, ne quis per fraudem & dolum, quod ſæpiſſimè contingit, falſos & ſuppoſititios Canones ſubiiceret; cuius ordinis & numeri autoritate iam olim in Gallia ſub Chilperico, in cauſa Prætextati Rhotomagenſis Epiſcopi, noſtri non tulerunt alios Canones ſibi obtrudi, vt conſtat ex Gregorio Turonenſi *lib.* 5. *cap.* 18. & multò poſt ea tempora ſub Carolo Caluo doctiſſimus Hincmarus Remenſis refellit illos, qui nouos Canones, & incognitos antiquis, in Concilium Nicænum infercire conabantur, vt conſtat ex *opere* 50. *Capitulorum cap.* 21. *aduerſus Hincmarum Laudunenſem*. Quæ difficultas circa numerum Canonum Nicæni Concilii non eſt noua, vt conſtat ex *canon.* 12. *&* 13. *Diſt.* XVI. ex Concilio Africano, & *epiſtolis* Cyrilli Alexandrini, & Attici Conſtantinop. ſuper ea controuerſia ad Africanos Patres in VI. Carthag. Concilio conuocatos. Ex quibus locis ſæpiùs Galli iura ſua & libertates tutati ſunt aduerſus innouatores. Præterea ex illa coniunctione numerorum diſcimus omnes diuerſarum Synodorum canones, qui in illa Collectione referuntur, eodem iure cenſeri, & quodammodo exæquari, vt infrà fuſiùs declarabimus.

Hactenus de origine & arte, ſeu methodo, Collectionis antiquiſſimæ; ſupereſt, vt illius autoritatem in iudiciis Eccleſiaſticis maximam ſemper fuiſſe oſtendamus. Et quidem illius autoritate perpetuo vtuntur Patres Chalcedonenſis Concilii: nam in *actione* 4. citant *canones* 4. *&* 5. Concilii Antiocheni, & in *act.* 11. eiuſdem Concilii *Canones* 16. & 17. Obſeruandum verò Canones illos allegari in Concilio Chalcedonenſi, ſuppreſſo nomine Concilii Antiocheni, & numero illo, quo in Antiocheno ſeparatim habentur; ſed tantùm generaliter recitantur ex Codice Canonum; nempè ſub eodem ordine, & conſequentia numerorum, quo in illo Codice digeſti erant: ſcilicet *Canon* 4 *&* 5. Concilii Antiocheni in *actione* 4. Concilii Chalcedonenſis recitantur *vt* 83. *&* 84. nec additur nomen Concilii, ex quo collecti ſunt. Itémque in *act.* 11. eiuſdem Chalcedonenſis Concilii *canon* 16 *&* 17. Concilii Antiocheni recitatur *vt* 95. *&* 96. quod & ſæpiùs occurrit in *actis* dicti Concilii Chalcedonenſis. Ex quibus conſtat Collectionem illam Eccleſiam vniuerſam plurimi feciſſe, cùm in decidendis controuerſiis ſolam ferè adhiberet. Et quidem Hincmarus Remenſis in illis locis citatis ex Concilio Chalcedonenſi, prudenter vim & vtilitatem Collectionis huius loco ſuprà citato primus oſtendit; cuius veſtigia ſecuti ſunt deinde noſtro ſeculo viri doctiſſimi, qui Collectionem illam ſub nomine Codicis Eccleſiæ vniuerſæ ediderunt. Annotandum tamen eos addidiſſe Canones quoſdam ex Concilio Conſtantinopolit. I. de quibus non conueniebat inter Eccleſiam Occidentalem & Orientalem: prætereà adiunxerunt Epheſinæ & Chalcedonenſis Synodi canones, qui, vt diximus, deſiderabantur in illa vetuſtiſſima Collectione.

Poſteà ad pleniſſimam huius Codicis confirmationem ſoluenda eſt difficultas maxima, quam attigimus ſuprà, ſed hoc loco accuratiùs erit diſcutienda; quia in varias ſententias noſtro ſeculo viri doctiſſimi abierunt: quæritur ſcilicet, quia Collectio illa conſtat ex Conciliis œcumenicis & particularibus, ſiue localibus, an canones omnes illius Col-

lectionis ſint eiuſdem roboris & autoritatis. Et quidem *capite ſuperiori* oſtendimus in Synodis œcumenicis nullam eſſe dubitationem, ſi de iure Canonico quæratur: idem licet affirmare de iure ciuili ex *lege 3. 5. 6. & 7. Cod. de ſumma Trinitate & fide Catholica, & ex Nou. 115. cap. 3. §. ſi quis de prædictis, & Nouella 131. cap. 1.* quibus in locis ſpecialiter tantùm fit mentio Synodorum quatuor œcumenicarum; particulares prætermittuntur: quin & in *can. 2 Diſt.* xv. *& in can. 8. 9. & 10. Diſt.* xvi. vniuerſalia tantùm Concilia videntur comprobari.

Huic dubitationi vt ſatisfaciamus, concedendum eſt quidem, quod generaliter diximus ſuprà, differentiam conſtituendam eſſe inter œcumenicas & particulares Synodos; in quibus ſeruandum quod præſcribit Gelaſius in *can. 3. ſancta Romana* initio *Diſt.* xv. *Sed & ſi qua ſunt Concilia à ſanctis Patribus hactenus inſtituta, poſt iſtorum quatuor autoritatem*, (id eſt œcumenicorum quatuor, quæ ſuprà retulerat in eodem *can.*) *& cuſtodienda & recipienda decernimus, & mandamus.* Et hæc in vniuerſum & generaliter de omnibus Conciliis particularibus intelligenda ſunt: ſed hoc ſingulare in illis quinque particularibus, quæ in noſtram Collectionem diximus eſſe collata; vt eandem vim & robur in iudiciis Eccleſiaſticis obtineant, atque ipſa œcumenica: idem quippè in illis contingit, quod Iuſtinianus in ſuarum legum compoſitione monet, excerpta ex cuiuſlibet Iuriſconſulti libris in Pandectas relata, perinde eſſe accipienda, atque ſi Imperiali ore diuinitùs eſſent profuſa; quia confirmationem accommodauit Iuſtinianus: ideóque quaſi vna & ſimplex eiuſdem Iuſtiniani legiſlatio, obtinent in iudiciis omnia, quæ in Pandectis & in Codice reperiuntur; quamuis alios autores inſcriptos habeant. Idem etiam de antiqua Collectione licet affirmare, non eſſe diſtinguendum inter œcumenicas & particulares illas Synodos, quæ vno & eodem Codice ſimul continentur; nempè quia Conciliis œcumenicis nominatim confirmatæ ſunt & comprobatæ: quod apertiùs oſtendere debemus ſtatim. In *can.* 1. Concilii Chalcedonenſis ſtatuitur: *Canones, qui à ſanctis Patribus huc vſque conſtituti ſunt, obſeruari æquum cenſuimus*; quæ verba, quia generaliter & indiſtinctè aſſeruntur de omnibus Synodis, rectè accipientur etiam de particularibus illis quinque, vt Zonaras & Balſamo notant ad *illum Canonem*: quod & veriſſimum eſſe oſtendemus, ſi Patres ipſos eiuſdem Concilii Chalcedonenſis adhibeamus ſui Canonis interpretes. Nam ſuprà retulimus, ex locali Synodo Antiochena, quæ eſt ex illis quinque, Patres Chalcedonenſes in pluribus controuerſiis decidendis Canones deſumpſiſſe; nullâ differentiæ notâ, an generalis, vel particularis foret. Poſt Calcedonenſis Synodi *dictum Canonem primum*, eodem ſenſu Iuſtinianus in *dicta Nouella* 131. *cap.* 1. *vicem legum obtinere ſtatuit Canones Eccleſiaſticos, à ſanctis Synodis quatuor tam editos & promulgatos, quam confirmatos*, ἐκτεθέντας, ἢ βεβαιωθέντας; confirmationem & approbationem, de qua ſuprà diximus, ſpectauit. Sed quia ſub generalibus verbis latere videbatur illa confirmatio, ne qua poſteà difficultas occurreret; in Synodis œcumenicis duabus in vi. *can.* 2. & in vii. *can.* 1. nomina Synodorum particularium, quæ confirmantur ſigillatim fuerunt expreſſa. Et huic confirmationi Eccleſiam Occi-

dentalem conſenſiſſe conſtat ex *can. de libellis*, *Diſt.* xx. in quo à Leone IV. ſummo Pontifice, quinque illæ Synodi particulares nominatim recenſentur eadem ſerie & ordine, quo apud Græcos; ſi rectè Canon ille intelligatur: nam vel in editione Romana laborat, vt oſtendemus infrà.

Supereſt difficultas alia maioris momenti: obſeruandum eſt enim, licet antiqua illa Collectio multis annis poſt Concilium Sardicenſe fuerit compoſita, nempe ſtatim poſt Concilium Conſtantinopolit. I. licet Sardicenſe Concilium in Orientis partibus habitum fuerit, vt loquitur Nicolaus Papa, ſcribens ad Clerum Conſtantinopolit. in *can. vlt. Diſt.* xvi. & illius Concilii Canones Græce & Latine conſcripti fuerint; in ea tamen collectione fuerunt omiſſi: imò quod magis; Sardicenſis loco Antiocheni Concilii Canones fuerunt inſerti, quamuis contra Concilium Antiochenum Sardicenſe poſteà conuocatum fuerit. Auget dubitationem, quod Sardicenſe Concilium in celeberrima cauſa Athanaſii fuerit habitum, qui damnatus fuerat Antiochiæ; in Sardicenſi inter Occidentales plerique Orientis Epiſcopi ſubſcripſerunt: denique tantæ fuit autoritatis Sardicenſe, vt appelletur œcumenicum ab Imp. Iuſtiniano in *edicto de fide*; quod edictum dictatum fuiſſe in quinta Synodo œcumenica ab Epiſcopis, refert Hincmarus in *opere 50. Capitulorum cap. 26.* & in nouiſſima editione Conciliorum Romanâ, inter œcumenica refertur ſtatim poſt Nicænum, & vt eius appendix: Antiochenum verò à Semiarrianis Epiſcopis in Oriente eſt habitum in necem magni Athanaſii, quem quidam Orientales in Synodo Antiochena per fraudem nitebantur opprimere: in quem Athanaſium Synodi Antiochenæ *Canones* 4. 11. 12. 14. *&* 15. oblique ſtatuti ſunt, vt ei appellationis ad ſedem Apoſtolicam remedium adimeretur.

Sed vt breuiter hunc difficilem nodum ſoluamus, obſeruandum in his, quæ ad diſciplinam Eccleſiaſticam pertinent, Canones Antiochenos fuiſſe admiſſos in Orientali Eccleſia, etiam illos, quibus Athanaſius oppreſſus eſt. Ad Rom. enim Epiſcopum appellari ægre ferebant Orientales. Vnde & multis annis poſt Athanaſii damnationem & reſtitutionem, poſt Sardicenſis Synodi Canones promulgatos, in cauſa Cyrilli Hieroſolymitani eodem iure vſi ſunt Orientis Epiſcopi, quod in canonibus ſupradictis Concilii Antiocheni continetur: adeo vt conuocata Synodo Conſtantinopolim contra Ioannem Chryſoſtomum, cui præerat Theophilus Alexandrinus, eóque condemnato, Theophilus & Epiſcopi reliqui Chryſoſtomi appellationem ad Sedem Rom neglexerint; qui ad Innocentium I. ſummum Pontificem confugerat. Nec defuit Innocentius I. Literis enim ad Chryſoſtomum, & ad Clerum Conſtantinop. datis, cauſam Chryſoſtomi ſuſcepit, in quibus literis reiicit canones illos Antiochenæ Synodi, quibus appellatio generaliter inhibetur, vt conſtat ex Sozomeno *lib.* 8. *cap.* 16. qui Chryſoſtomi & Innocentij epiſtolas refert. Occidentales nihilominus permanſerunt in eadem ſententia: vnde & diſſenſio maxima inter Eccleſias Orientales & Occidentales exarſit. Concilia ſcilicet Conciliis, & Canones Canonibus opponebant; Occidentales Sardicenſes, Orientales verò Antio-

De cauſa Cyrilli Hieroſol. vide Socratem *lib.* 2. *cap.* 32. pag. 602 in fine & 603. & *cap.* 33. Sozomenum *lib.* 4. *cap.* 21. initio ſtrictim *& cap.* 23. 24. *& vlt* Theodoretum *lib.* 2. *cap.* 27. Nicephorum *lib.* 9. *cap.*

43. ſub finem & *cap.* 46. Hiſt. Tripartitâ *lib.* 5. *cap.* 34. in fine, ibi: *ſicut in publicis indiciis, libellis vtetur ap pellatoriis*. Adde *cap.* 37. & 40. Socrates loco citato pag. 603. ἐκκλήτοις ὡς ἐν δημοσίῳ δικαστηρίῳ χρησάμενοι. Le Cardinal du Perron en ſa Replique, page 426. & 438. vbi tamen fallitur. Sed adde A Coſta ad *tit. de libelli oblatione*, & *ad tit. de Iudiciis*.

Adde argumẽtum ex *Epiſtola* Innocentii I. ad Clerum Conſtãtinopolitanũ iunctâ *epiſtola* 5. Concilii Italiæ à Sirmondo edita.

chenos: quæ controuerſia ſæpius renouata eſt, vt ex hiſtoria Eccleſiaſtica colligere licet; adeò vt Photius Nicolao I. ſcribens obiecerit Sardicenſes Canones in Orientis Eccleſiis non ſuſcipi, vt colligitur ex *epiſtola* Nicolai I. *ad Clerum Conſtantinop.* cuius pars habetur in *can. vlt. Diſt.* XVI. Vnde in *præfatione* antiquiſſima Sardicenſis Concilii adnotatur, Sardicenſes Canones non apud Græcos, ſed apud Latinos magis inueniri. Eandem præfationem repetit Hadrianus I. in Collectione Canonum, quam obtulit Romæ Carolo Magno: cui conuenit quod ait Dionyſius Exiguus in *epiſtola*, quam præfixit ſuæ Collectioni canonum, de qua *ſequenti cap.* agemus. *In Chalcedonenſis Concilii decretis finem eſſe* ait *Græcorum Canonum, quibus ſe ſubdere monet Sardicenſis & Africani Concilii decreta, quæ Latine ſunt edita.* Vnde in Concilio Conſtantinop. primo *can.* 5. appellatur nominatim, τόμος τῶν δυτικῶν, id eſt *tomus, ſiue liber Occidentalium.* Ex quibus efficimus Sardicenſes canones non admiſſos fuiſſe ſtatim ab initio in Oriente; maximè propter Canones de appellationibus ad Sedem Romanam, qui aduerſabantur Antiochenis, quos Epiſcopi Orientales, vt diximus, ediderant. Et hæc eſt ratio, cur Græca illa Collectio antiquiſſima canones Sardicenſes non habeat. Nam & eandem ob cauſam Africani Patres eos neglexerunt, quia eadem prærogatiua, qua Orientales, ſe tuebantur; nec appellationes tranſmarinas æquo animo admittebant, vt conſtat ex pluribus locis Conciliorum Africanorum. Et hæc primò ſufficiant, vt reſpondeamus quæſtioni propoſitæ, cur Sardicenſis Synodi canones in antiquiſſima Collectione Græcorum deſiderentur.

Ex deciſione verò huius difficultatis apparet non rectè à quibuſdam Collectionem illam antiquam decorari titulo ſpecioſo & generali nimis *Codicis Canonum Eccleſiæ vniuerſæ.* Cautiùs & prudentiùs multò ex his, quæ diximus, inſcribetur *Collectio Canonum Orientalium* tantùm: ita enim appellant Dionyſius Exiguus, Martinus Bracarenſis, & Hadrianus I. Si enim Collectio illa, tanquam Codex vniuerſæ Eccleſiæ ſuſcipiatur, quo ſolo ſcilicet Catholica Eccleſia per vniuerſum orbem diffuſa vtebatur; cur Sardicenſis Concilii (quod & aliquando œcumenicum vocari diximus) Canones omiſſi? cur Arelatenſis primi in cauſa Donati? quod Auguſtinus plenarium, & vniuerſale & vniuerſæ Eccleſiæ Concilium appellat *lib.* 2. *de Baptiſmo cap* 9. & *Epiſtola* 162. Cur Valentinum I. in Gallia? Cur Eliberinum in Hiſpania, & aliquot Africana fuerunt omiſſa? in quibus Canones editi, qui doctrina & pietate Græcis canonibus exæquari poſſunt. Sed ſibi & ſuis, id eſt Orientalibus, Autor ille, vt diximus, operam dabat. Itaque illi non eſt imputandum, ſi Synodorum Occidentalium Canones omiſerit, apud ſuos in vſu non receptos, vel omninò incognitos

Nondum abſoluimus: hæret adhuc ſcrupulus: demus enim iuſtam fuiſſe cauſam omittendi Sardicenſis & reliquorum Occidentalium, cur tamen Antiocheni inſerti fuerunt, ab hæreticis Epiſcopis, nempè Semiarrianis, vt diximus, compoſiti? Nam, vt ait Innocentius I in *epiſtola ad Clerum & populum Conſtantinopolitanum*, quam apud Sozomenum extare diximus *lib.* 8. de Canonibus Antiochenis loquens, &

eos cum Sardicenſibus comparans: *hæreticorum commenta Canonibus Catholicis aſſumere non licet, & addere al quid non eſt permiſſum.* Quod intelligendum eſſe de Canonibus Antiochenis indicant Georgius Patriarcha Alexandrinus in *vita* Ioannis Chryſoſtomi ſub finem, quæ extat apud Photium in *Biblioth ca*, [Palladius, vel potius ſcriptor vitæ, æqualis Chryſoſtomo, & ex eo Georgius,& eius abbreuiator Photius, vt & Anonymus in *vita* eiuſdem S. Chryſoſtomi.] Reſpondemus ſeparanda eſſe, quod toties inculcauimus, ea, quæ ſunt fidei, ab illis, quæ ſunt diſciplinæ: Antiochenam fidei formulam improbari; Canones verò, qui ad diſciplinam & politiam Eccleſiaſticam in ea Synodo promulgati fuerint, non damnari. Si enim Canones illos excipias, quos notauimus ſuprà, tacitè ius appellationum ad ſedem Romanam adimere; reliqui omnes ad mores componendos, & Eccleſiaſticam politiam conſtituendam ſunt vtiliſſimi; ideóque ſecundùm illos Canones multas lites oſtendimus eſſe deciſas in Concilio Chalcedonenſi. Quin & ab omnibus Collectoribus antiquis & nouis, Græcis & Latinis, pariter ſuſcepti ſunt, & ab aliquot ſummis Pontificibus comprobati, vt ex *can. de libellis Diſt.* xx. & locis ſuprà citatis in enumeratione Conciliorum confirmauimus: quibus addere licet Ioannis II. ſummi Pontificis autoritatem, in *epiſtola ad Cæſarium Arelatenſem*, nuper edita à clariſſimo Sirmondo, in qua inter Canones, quos epiſtolæ ſuæ ſubiicit, ſelectos ad examinandam cauſam contumelioſi Epiſcopi, qui depoſitus fuerat à Cæſario, *canones* 4. *&* 5. Antiochenæ Synodi retulit. Itaque, vt præcidamus, damnatur fides Synodi Antiochenæ, quia Nicænam impugnabat, non directè quidem, & apertis verbis, ſed obliquè tamen, vt ex ipſa formula colligit Sozomenus *lib.* 3. *c.* 5. Non diſſimili ratione ſæpiùs accidit, vt licet Eccleſia Romana & Occidentalis quorumdam Conciliorum etiam generalium fidem & ſymbola in illis edita ſuſceperit; geſta tamen reliqua & Canones omnino repudiauerit: ideóque Innocentius I. in *dicta epiſtola ad Clerum Conſtantinop. litanum*, ſolos Canones Nicænos ſe profitetur ſuſcipere: quamuis ante Innocentium I. Synodus Conſtantinop. I. Canones edidiſſet, ſed eos Rom. Eccleſia non ſuſcipiebat, vt ex *dicta* Innocentii *epiſtola* colligere licet, & ex Gregorii Magni *lib* 6. *epiſt.* 31. his verbis; *Romana Eccl ſia eoſdem Canones* (ſcilicet Conſtantinop.) *vel geſta Synodi illius, hactenus non habet, nec accipit; in hoc autem eandem Synodum accipit, quod eſt per eam contra Macedonium definitum.* Nihilominus tamen Pontifices Rom. aliquando illorum Canonum autoritate vtuntur. Nicolaus I. doctiſſimus Pontifex, in *epiſtola octaua ad Michaëlem Imp. Orientis* in cauſa Photij ita cenſet: *Quod proinde Conſtantinop Synodus Canonum ſuorum ſexto dignoſcitur perhibere capitulo, quod tamen non apud nos inuentum, ſed apud vos habere perhibetur.* Aliquid ſimile de aliquibus Canonibus Chalcedonenſis Synodi adnotat Gregorius *lib.* 5. *epiſtola* 14. *& lib.* 7 *epiſtola* 46. Quod & nos in ſexta Synodo contigiſſe oſtendimus ſupra. Ex quibus confirmatur euidentiſſimè circa ordinem & numerum Canonum Eccleſias Orientales & Occidentales variauiſſe; quamuis in rebus fidei optimè conuenirent. Quinimò, ne longiùs abeamus, rebus in-

Exciderant Cæſario.

Adde *Epiſtolā* 5. Concilij Italiæ à Sirmondo editam.

ſis dictantibus, & vſu comprobante, videmus in nouiſſima Gratiani Collectione plurimos Canones, & in ipſis Decretalibus plures Pontificum Conſtitutiones apud pleroſque Occidentis populos, præſertim apud Gallos, non obſeruari; nec tamen vllum ſchiſma, vel diuiſio Eccleſiarum propterea contigit.

V. Anaſtaſij Bibliothecarij *Præfationem* in Collectanea eiuſdem à Sirmondo nuper edita, & adde quę ſupraſcripſimus *par e* 1. §. *ſecunda regula.*

Et hæc ſufficiant de antiquiſſima Collectione canonum Orientalium, & de autoritate Conciliorum, quæ in ea continentur; in quibus explicandis & confirmandis ideò diutiùs ſumus immorati, quia reliqui omnibus Collectionibus materiam ſuppeditant. Supereſt modò, vt compendij & breuitatis cauſa celebriores tantùm ordine temporum perſequamur; & conuenienter inſtituto noſtro in ſingulis originem, artem, & autoritatem breuiter inueſtigemus.

V. Le Cardinal du Perron en ſa replique *l.* 53. *du Concile de Sardique* p. 432. & 433.

Doctiſſimus Marca *l b.*3. *de Concordia Sacerdo:i cap.* 3. §. 8.

Occurrit ſecunda, quæ Theodoreti Cyri Epiſcopi nomen præfert in Cod. MS. Regiæ bibliothecæ, nondum edita. Synagoge verò inſcribitur eadem forma, qua apud Socratem *l.b.* 1. *cap.* 5. *& lib.* 2. *cap.* 11. Sabini Epiſcopi Ariani Collectio nominatur. Eſt autem compoſita ex iiſdem Conciliorum Canonibus, quibus & ſuperior; ſed prætetea adiunxit Theodoretus Canones Apoſtolorum 85. & Synodi Sardicenſis *can.* 21. [quot ſunt omninò in Græco,] quos Canones prætulit Antiochenis, licet tempore poſteriores. Addidit præterea quatuor ex Conſtantinopolitana Synodo, qui in antiquiſſima Collectione deerant, Epheſinos 7. & Chalcedonenſes 27. Item ex duabus epiſtolis Baſilij *canones* 27. non plures. De origine & tempore Collectionis ex ipſa inſcriptione ſatis conſtat, quæ Theodoreti nomen præfert; ideóque paulò poſt Concilium Chalcedonenſe videtur edita, cui interfuit Theodoretus, & dignitati ſuæ reſtitutus eſt, vt conſtat ex *actione* 1. Concilij Chalcedonenſis, cuius Concilii canones retulit, vt diximus, in ſuam Collectionem. Turrianus tamen *l.b.* 1. *cap.* 28. *pro Canonibus Apoſtolorum*, eam tribuit Conſtantino cuidam Scholaſtico. Antonius verò Auguſtinus in *præfatione antiquarum Collectionum*, & Allemanus in *Notis ad* Procopij *Anecdota*, Ioannem Scholaſticum Patriarcham Conſtantinopolitanum autorem aſſerunt; qui ſcilicet Eutychio in exilium pulſo, à Iuſtiniano ſuffectus eſt, & vſque ad Iuſtini tempora ſedem obtinuit: quibus verò rationibus ita ſenſerint, mox inquiremus. Hæc de autore & tempore.

Hunc Ioannẽ deſignari exiſtimẽ apud Photium in *Bibliotheca* pag. 890. per Ioannem gẽte Cappadocem. Ἰωάννης ὁ Κωνσταντινουπόλεως (ſcilicet Epiſcopus) ὁ ἐκ Καππαδοκίας τὸ γένος, καὶ τὸ ἐπώνυμον, *ex Cappadocia gentem & cognomen trahens.*

Methodum & artem, quam obſeruauit, in præfatione Collectionis ſuæ declarat ipſe, ex qua neceſſaria quædam notatu digniſſima delibaui; & quia latet adhuc in Codicibus manuſcriptis, in fine huius libelli ex Cod. MS. Regiæ Bibliothecæ ſubiungemus. In illa Collectione canones integri non referuntur, nec vbique attenditur ordo temporis & ſeries, ſeu conſequentia numerorum, vt in antiqua, de qua ſuprà diximus, cuius tacitè in illa præfatione meminiſſe videtur. Sed ſub 50. tantùm *titulos* breuiter ius omne Canonicum comprehendit ea ratione, vt ſimiles canones ſub vnum & eundem titulum ſimul coniungat; licet in variis Synodis, pro temporum & negotiorum neceſſitate fuerint promulgati: nec Canones integros refert, ſed ſententiam tantùm, quam breuiſſimo verborum compendio certis titulis adſtringit & includit; quam formam, multis poſt annis Photius ſecutus

eſt in *Nomocanone*. Secundò, non temerè & fortuitò, ſed ordine certo, tituli ſinguli digeſti & diſpoſiti ſunt, qui eſt huiuſmodi; vt quia iura omnia perſonarum cauſa conſtituta ſunt, in enumeratione ſingularum, earumque diuiſione, & differentia ius omne Canonicum exponat. Incipit quippè ab Epiſcopis, & occaſione rapta omnes Canones ad Epiſcopos pertinentes refert; ſimiliter deinde de Preſbyteris, Diaconis, & Subdiaconis, Clericis, Monachis & Laïcis agit; ita vt ad vnum ſummum genus vniuerſa Collectio illa, ad perſonas ſcilicet, poſſit reuocari: quam methodum & figuram Græci deinde & Latini aliquot Collectores ſecuti ſunt.

Non omittendum quod in dicta præfatione Theodoretus ait *Canones Baſily in Collectionibus antiquioribus non fuiſſe adiunctos*. Vnde colligitur, quo tempore primùm Baſilij ſcripta quædam vim & autoritatem Canonum obtinuerunt. Itémque notandum ſolius Baſilij Canones relatos, nec ex pluribus, ſed ex duabus tantùm *epiſtolis canones* 27. quorum à poſterioribus non modò numerus eſt auctus, ſed etiam ex aliorum Patrum ſcriptis plures additi Canones, vt infrà dicemus.

Obſeruandum poſtremò in illis 50. *titulis* deſinere Collectionem Theodoreti; cui, quod nemo adhuc præſtiterat, primùm à Ioanne Scholaſtico Patriarcha Conſtantinopolitano, ex legibus ſimilibus ſtatutis Canonum, ſingulis titulis excerpta quædam adiuncta; nempè quia ſciebat confirmatos & comprobatos Canones à legibus, non tantùm generali aliqua lege, vt *Nouella* 131. *cap.* 2. ſed etiam ſpecialibus, & in ſingulis articulis. Itaque Collectionum, quæ poſteà Nomocanones appellari cœperunt, originem ad Ioannem Scholaſticum referre debemus. Floruit autem ſub Iuſtiniano, vt diximus, poſtremus ex quatuor Patriarchis, qui ſub eodem Imp. fuerunt, & ſub Tiberio mortuus eſt, ortus ex Sirimi pago Anthiochiæ, antè ex numero Aduocatorum; vnde & Scholaſtici nomen retinuit. Procopius in *ἀνεκδότοις*, Euagrius *lib.* 4. *cap.* 37. ſub finem, & *lib.* 5. *cap.* 16. Nicephorus in *Chronologia*, & varij *Catalogi* Patriarcharum Conſtantinop. Quædam etiam illius ſcripta à ſe lecta commemorat Photius in *Bibliotheca*. Ioannes autem ille Scholaſticus multis annis poſt Theodoretum autorem Collectionis canonum, adiecit excerpta ex legibus, vt ex duabus diuerſis præfationibus colligitur, quæ initio Collectionis habentur in Codicibus manuſcriptis; in quibus ſub finem expreſsè notatur Ioannem Scholaſticum leges ſubiunxiſſe: & initio Collectionis autor canonum inſcribitur Theodoretus Epiſc. Cyri. Quod & illo argumento euidentiſſimè probatur, autorem Collectionis decem tantùm Synodos à temporibus Apoſtolorum, ad ſua vſque tempora celebratas referre, quas enumerat; nec tamen vllam mentionem facit V. Synodi, quæ ſub Iuſtiniano eſt habita; quod profectò Ioannes Scholaſticus non feciſſet, qui ſcripſit poſt mortem Iuſtiniani. Et hæc de methodo. De autoritate autem præter nomen & famam autoris nihil occurrit dicendum: priuata enim opera videtur collecta, vt aliæ plures, nec vlla autoritate publica confirmata, vel in iudiciis vſu recepta; quæ omnia tamen in antiquiſſima Collectione obtinuerunt, vt diximus. Meminiſſe verò videtur iſtius collectionis Balſamo ad *can.* 2. Synodi VI.

De Autoritate legum publicarum, etiam in Eccleſia vide Hincmarum *Tractatu de diuortio Lothary & Thetberga*, pag. 595. & ſeq. *tom.* 1. eius operum editionis Pariſienſis.

loco ſingulari in Latina verſione Gentiani Herueti, vbi ſe multos ſimiles libros vidiſſe teſtatur.

Procedente tempore, cùm ſæpiùs de autoritate Canonum & Conciliorum graues contentiones inciderent, tandem finis impoſitus eſt in Synodo VI. *can.* 2. in quo non tantùm, qui vulgò dicuntur Canones Apoſtolorum, & Sardicenſes, ſed etiam Africani, Carthaginenſes, & quarundam aliarum Synodorum admittuntur. Præterea plures ex Baſilio, & ex antiquioribus & recentioribus Baſilio deſumpti ſunt, qui enumerantur in *dicto can.* 2. ad quem referri debet *can.* 1. ſeptimæ Synodi. Nec tamen in illis Canonibus, & Synodis vllius Pontificis Rom. vel alterius ex Occidentalibus, fit mentio; quod mirum videri debet, eaque de re conqueritur Nicolaus I. *can. vlt. Diſt.* XVI. *& can.* 2. *Diſt.* XX

Iuxta VI. & VII. Synodi canones citatos Collectiones omnes Græcorum recentiorum compoſitæ ſunt ex iiſdem Conciliorum & Patrum canonibus tantùm, de quibus in illis canonibus ſpecialis fit mentio. Inter omnes verò celebratur Photij Conſtantinop. Patriarchæ Nomocanon. Ex Photij nomine facilè tempus deprehenditur, quo editus eſt; vixit enim Hadriano II. & Nicolao I. Pontific. Romanis, cum quibus ei graves diſcordiæ interceſſerunt; Baſilio Macedone in Oriente, & Carolo Caluo in Occidente imperantibus.

Methodum in ea ſeruauit Collectione, quam & Theodoretus, & ad perſonas ius omne Canonicum retulit: totum autem opus in *quatuordecim titulos* partitus eſt, & ſingulos titulos iterum in capita ſubdiuidit; itémque vna & eadem opera Canonibus Eccleſiaſticis excerpta ex legibus ſubiicit: peritiſſimus enim fuit Iuris ciuilis, & ex Senatore Patriarcha factus.

Autoritas verò Nomocanonis Photij tanta fuit, vt Græcorum Canonum Collectionibus præponatur, quia totius Canonicæ ſcientiæ elementa continet, vt Balſamo notat in *præfatione Nomocanonis*; qui quidem Balſamo iuſſu Emanuelis Comneni Imp. & Michaëlis Anchiali Conſtant. Patriarchæ Nomocanonem Photij diligenter interpretatus, ad vſum ſui temporis accommodauit; quia, vt ait, plurimæ leges, quæ tempore Photij obtinebant, longo illo temporis interuallo fuerant abrogatæ, & aliæ nouæ promulgatæ; ſicut & in Iure canonico aliqua ſimiliter poſtremis Synodis innouata. Præterea ſi quid in illo Nomocanone deerat emendare & repurgare iuſſus eſt Balſamo imperatoriâ & Patriarchicâ autoritate.

Plures aliæ Græcorum Collectiones extant poſt Photium, veluti Conſtantini Harmenopuli, quæ initio iuris Orientalis extat; qui ſatis explicat initio Collectionis ſuæ, quam artem adhibuerit; ideóque prætereo quæ de eo dici poſſunt. Extant & aliæ non adhuc editæ, Theodori Abbatis & Philoſophi, Simeonis Logothetæ, Ariſteni, Arſenij, Matthæi Blaſtaris; ſed iſtas attigiſſe ſufficiat.

Diuerſam methodum ſecuti ſunt quidam recentiores Græci. Collectionibus enim, quæ præceſſerant, contenti explicauerunt illas, & Interpretum munere functi ſunt; quæ forma tractandi eſt vtiliſſima. Canonibus enim receptis in dicta Synodo VII. *can.* 2. inſeruientes, quæ difficilia

difficilia occurrunt expoſuerunt, & ſi quid vſu innouatum, vel receptum fuerit, adnotant; relatis aliquando Patriarcharum, præcipuè Conſtantinop. Synodalibus decretis, & legibus etiam ſimilibus adiunctis, vt Zonaras, & Balſamo, quorum commentaria extant in eum modum compoſita: à quibus tamen cauere debemus; quia fuerunt ſchiſmatici, ideóque Romanæ Eccleſiæ, & reliquis Occidentalibus infenſi, in quarum odium non tantùm multa detorquent, & prauè interpretantur; ſed etiam falſa quædam proferunt, vt in donatione Conſtantini, Synodi ſextæ aliquot canonibus & locis; & octauæ in cauſa Photij, licet deprehendere.

Concludamus tandem ex ſuperioribus in canonica ſcientia pertractanda triplici præcipuè methodo vſos fuiſſe Græcos. Prima ſimpliciſſima eſt & antiquiſſima: diſponit enim tantùm Conciliorum Canones ordine temporum, & ſerie numerorum, cuius exemplum in antiquiſſima Collectione oſtendimus. Secunda plus habet laboris & induſtriæ, quia non verba Canonum integra, ſed ſententiam in pauca colligit, & ſub certis quibuſdam titulis diſponit; ita vt habita ratione materiæ, ius omne Canonicum comprehendatur, & in artem paulatim redigatur, vt in Theodoreti, Photij, & Harmenopuli Collectionibus obſeruatur. Præterea huiuſmodi breuiationibus Canonum ex legibus excerpta quædam cœperunt ſubiici; ita vt in vnam quaſi conſonantiam ius Canonicum & Ciuile coniungatur; quod in Theodoreti & Photij collectionibus notauimus. Tertia & poſtrema ſpecies eorum eſt, qui Canonibus integris, & diſpoſitis eo ordine, de quo in *dicto Canone 2.* Synodi VI. actum eſt, perpetuas interpretationes & commentaria ſubiecerunt, vt Zonaras, & poſt eum Balſamo, quorum ſcripta in omnium manibus habentur. Sunt & alij nondum editi, ſed intra compendij modum conſiſtendum eſt.

PARS TERTIA.

De Collectionibus Occidentalium antiquis & nouis.

SVPERIORI capite rationes expoſuimus, cur Collectiones Canonum à Græcis editas ſeparauerimus ab illis, quæ in Occidente, & à Latinis; itémque cur à Græcis principium fecerimus, enumeratis & expenſis inſignioribus Orientalium Collectionibus: ſequitur vt ad noſtras, id eſt, Latinas, veniamus, in quibus eadem via & methodo procedemus; nec omnes, ſed celebriores tantùm recenſebimus, & in ſingulis ex propoſito noſtro tria inueſtigabimus, originem, methodum, & autoritatem. Scopus autem, & finis totius tractationis hic erit, vt referemus fontes, vnde Gratianus hauſit ſuam, quam vocat, Concordantiam Canonum, vulgus Decretum Gratiani; itémque ex quot & quibus Decretalium Collectionibus Gregorius IX compilauerit Decretales, quæ in ſcholis autoritate publica prælegi ſolent; priùs tamen quædam præmittenda ſunt. Quamuis initio capitis ſuperioris dixerimus fidem ab Oriente ad nos veniſſe, ibique celeberrima Concilia primùm habita & Canones editos, quibus conſtituitur Eccleſiæ

diſciplina : tamen tanta fuit Sedis Apoſtolicæ autoritas & priuilegium, vt & Conciliorum & Canonum confirmandorum ius, & autoritatem ſibi vindicauerit, *can. 1. 2. & ſequentibus, diſt.* XVII. cui iungi debet *can. 1. diſt.* XIX. vnde videtur deducta Decretalis Paſchalis II. *in capitulo 4. extra. de electionibus*; quod tamen Gallia noſtra nunquam probauit. Præterea per manus Rom. Pontificis ad reliquos Occidentis Epiſcopos Concilia & Canones vt plurimùm tranſmittebantur. Abſoluto enim Concilio œcumenico aliquo, in Oriente verbi gratia, ad eum mittebantur vniuerſa, quæ geſta erant, à Legatis, qui eius vices gerebant, vel etiam ab ipſis Patribus Concilij, vt conſtat ex *Synodicis* Concilij Conſtantinop. I. *ad Damaſum*, Epheſini *ad Caleſtinum*, & Chalcedonenſis *ad Leonem* I. quibus addere licet *epiſtolam* à Patribus Nicæni Concilij *ad Sylueſtrum Pontificem* miſſam, quæ nuper editionibus canonum acceſſit, etiam in editione Romana. Ex quibus locis, maximè ex *dicta epiſtola* Concilij Nicæni *ad Sylueſtrum* ſcripta (cuius fides valdè ſubleſta eſt) colligimus in eam rem Occidentis Concilia conuocari ſolita à Romano Pontifice, maximè ex *epiſtola Synodica* Concilij Conſtantinop. I. cujus inſcriptio dirigitur non tantùm ad *Damaſum Rom. Pontificem*, ſed etiam ad *Ambroſium Mediolanenſem, Aſcolium Theſſalonicenſem*, [de quo in *epiſt.* Concilij Italiæ à Sirmondo edita,] *& reliquos Epiſcopos in vrbe Roma conuocatos*: optima ratione, nempè vt communi conſenſu reciperetur & probaretur quod erat pariter ab omnibus ſeruandum. Soluta verò Synodo ſinguli Epiſcopi Græcorum canonum verſionem ad plebes ſuas referebant. Huiuſmodi fuiſſe videtur priſca tranſlatio Conciliorum, quæ etiam hodie extat, & frequentiſſima fuit in omnibus Occidentis Eccleſiis; ita vt communis & vulgaris interpretationis nomine meritò cenſeri poſſe videatur. Expreſſa verò fuit ad inſtar antiquiſſimæ Collectionis Græcorum, à qua ſimiliter incœpimus cap ſuperiori : in vtraque enim iidem omnino Canones continentur, & iidem deſiderantur. Sicut enim in Græca, ita in Latina Canones, qui vulgò dicuntur Apoſtolorum deſunt, & poſtremi Canones, Conſtantinop. & Chalcedonenſes omnes. Confirmatur etiam ex eo quod in antiquis Conciliis Occidentis ex illa interpretatione Canones allegentur; & Ferrandus Carthaginenſis Latinorum Collectorum, qui extant, antiquiſſimus, perpetuò illam ſequitur; & Dionyſius Exiguus illius meminit in præfatione interpretationis nouæ Canonum, quam fecit, *offenſus*, vt ait, *priſcæ tranſlationis confuſione*; qua tamen Epiſcopi Galliæ & plerique alij Occidentis non ſunt offenſi : eam enim diutiſſimè retinuerunt; & Hiſpani quidem nullam aliam adhibent in ſuis Conciliis, ſicut & noſtri Epiſcopi, vſque ad Carolum Magnum; poſt cuius ætatem veteri & noua Dionyſij Exigui, de qua dicemus, promiſcuè ſunt vſi. Ex quibus cognoſcimus quantæ fuerit autoritatis apud Occidentis Eccleſias; in Gallicana præſertim religioſè adeò ſeruata eſt, vt qui poſteà addebantur Canones, noſtris Epiſcopis haberentur ſuſpecti; quod in celebri cauſa Prætextati Epiſcopi Rothomagenſis ſibi contigiſſe Gregorius Turonenſis refert *lib. 5. cap. 18. Ipſe verò* (Rex Chilpericus) *ad metatum diſceſſit, tranſmittens librum Canonum, in quo erat quaternio nouus adnexus habens*

Canones quaſi Apoſtolicos. Quod ſi præterea ſuboriretur grauior aliqua contentio de Canonum numero & authoritate, ad Orientis Sacerdotes ſcribebant, hoc eſt ad Eccleſiarum Antiochenæ, Alexandriuæ, & Conſtantinop. Epiſcopos; in quarum ſcriniis authentica & veriſſima exemplaria diligenter cuſtodiebantur; cuius rei inſigne habemus exemplum in Concilio VII. Carthag. & apud Gregorium in *Regiſtro lib. 7. epiſtola 47.*

Et hæc de origine & autoritate antiquiſſimæ interpretationis Canonum, quæ in omnibus ſimilis eſt Collectioni antiquiſſimæ Græcorum. De arte & methodo nihil opus fuit dicere: Canones enim tantùm integri referuntur ordine temporum ſeruato, præterquam in Nicæno.

Ex illa interpretatione antiquiſſima, vt diximus, Ferrandus Eccleſia Carthag. Diaconus Breuiationem Canonum confecit; qua hodie nulla reperitur antiquior apud Latinos. Ferrandus enim floruit ſub Iuſtino & Inſtiniano, vt ex Victoris Tununenſis Chronico colligitur; cuius vt iam vita functi meminit Facundus Hermianenſis Epiſcopus Africanus *lib. 4. cap. 3.* vbi & eius fit perhonorifica mentio. Illa autem breuiatio Canonum Ferrandi hanc methodum retinet, pluribus Canonibus ex diuerſis Conciliis collatis in vnum, quibus eadem de re agitur, breuem titulum & ſummam proponit: & quod de Græcis diximus, ius omne Canonicum, paucis exceptis ad perſonas reuocat; quas diſtinguit eodem ferè modo in Epiſcopos, Preſbyteros, Diaconos, &c. Præterea non tantùm ex antiqua interpretatione deſumpta eſt illa breuiatio, ſed etiam ex variis Africæ conciliis, quorum pleraque alibi non reperiuntur; quod notandum maximè. Vnde Creſconius, etiam Africanus, doctis & peritis Canonum tantùm ſcripſiſſe ait, Ferrandum. *Indoctorum verò*, ait, *quorum eſt maxima multitudo, in eodem opere ſtudium probatur, vt ita dixerim, ſequeſtraſſe, dum eos ad inquiſitionem earum rerum præmiſit, quæ nec ab omnibus reperiuntur, nec repertæ ſine eorum faſtidio perleguntur.* Epiſtolas verò & conſtitutiones Rom. Pontificum nullas retulit, præter vnicam Sirici, quam non allegat ſimpliciter, ſed cum hac additione & notâ *ex epiſtola Siricij in Concilio Cellenſi*, & aliquando abſolutè *ex Concilio Cellenſi.* Fortè ad conſultationem Epiſcoporum Africæ in Cellenſi Concilio conuocatorum Siricius reſponderat; vel ad illud Concilium per Legatos Rom. Pontificum, qui Concilio aderant, epiſtola miſſa fuerat; quod nouum non erat in Africa. In reliquis, vt diximus, antiquiſſimam verſionem ſequitur. Itaque nihil ex Epheſino & Chalcedonenſi Concilio retulit; quia in antiquiſſimis Collectionibus Græcis & Latinis deerant: Sardicenſis præterea Synodi Canones adhibuit; illos præſertim, de quibus recipiendis tandiu certatum fuit in Africa inter Zozimum, Bonifacium, & Celeſtinum Pontifices Romanos, & Aurelium Carthaginenſem, & reliquos Africanos: nec ideò tamen omiſſi fuerunt à Ferrando Antiocheni Canones, qui cum Sardicenſibus manifeſtè pugnant, vt ſuperiùs diximus; & de quibus in Africa certatum fuit tanta contentione.

Authoritas huius collectionis non leuis fuiſſe videtur, maximè in

Africa, ſi officium, quo fungebatur Ferrandus, attendamus; Diaconi ſcilicet ſub reuerendiſſ. Eccleſiæ Carthag. Epiſcopo: quod olim in Eccleſia erat huiuſmodi, vt eorum opera vterentur Epiſcopi in reſponſis & epiſtolis, quæ ad conſultationes Epiſcoporum ſcribi ſolebant, ſiue ad mores pertinerent, vt ex dicto loco Facundi Hermianenſis colligitur, & ex epiſtolis & ſcriptis Ferrandi, quæ ſuperſunt. Eandémque Collectionem Creſconius in *præfatione* Breuiarij ſui laudat. Quin tamen aliqui næui in illa Ferrandi breuiatione ſuperſint, nemo inficiabitur, qui attentiùs inſpexerit Ferrandum *numeris* 103. 105. 109. 110. 111. 112. 113. 114. 115 185. 188. 216. & 221. Sed de his alius erit dicendi locus in editione noua Ferrandi.

Tertia Collectio eſt Dionyſij Exigui, quam, vt ipſe ait in *epiſtola ad Stephanum Epiſc. Salonitanum, confuſione priſca tranſlationis incitatus digeſſit iterum, & de Græco tranſtulit.* Floruit autem Iuſtiniani temporibus, vt colligitur ex *eiuſdem Ep.ſt. Paſchali ad Petronium Epiſc.* edita in *appendice operis de Doctrina temporum*, & ex *alia eiuſdem* ſcripta *ad Iulianum Preſbyterum tituli ſanctæ Anaſtaſiæ*, quam initio Collectionis Decretalium Pont. Rom. præmiſerat; eámque à doctiſſ. Sirmondo erutam ex MS. Codic. in fine huius libelli ſubiicimus; & ex Caſſiodori *lib. diuinarum lectionum cap. 23.* Conſtat autem Dionyſij Collectio ex totidem Canonibus, quot in antiquiſſima Græcorum contineri diximus, id eſt, vſque ad Conſtantinop. I. ex quo tres tantùm Canones refert, ſicut in Græca autoritate, vt loquitur Dionyſius in *dicta epiſtola*, & deinde ſubiicit, *Tum ſancti Chalcedonenſis Concilij decreta ſubdentes, in his Græcorum Canonum finem eſſe declaramus.* Nec tamen, quod animaduerſione dignum, mentionem vllam facit Concilij Epheſini œcumenici, licet ante Concilium Chalcedonenſe celebratum fuerit. Vnde rectè apud Iuonem in *can. de libellis Diſt.* xx. Epheſinum Concilium omittitur; quod in editione Rom. Gratiani malè ſuppletur. Ex eadem cauſa grauior occurrit error in Moguntina & Pariſienſi editione Codicis Eccl. Rom. in quibus pro Concilio œcumenico ſuppoſitum eſt Concilium Alexandrinum particulare ex Ægypti diœceſi tantùm. Erroris cauſa fuit, quia vtrumque Concilium contra Neſtorium habitum eſt, & vtrique Cyrillus Alexandrinus præfuit, Alexandrino quidem Concilio, ſuo & proprio iure, id eſt Patriarchico; Epheſino autem nomine Celeſtini ſummi Pontif cuius Legatus fuit in dicto Concilio. Subiicit poſtremo Dionyſius ſtatuta Sardicenſis Concilij atque Africani, quæ Latinè edita fuiſſe ait; quo refellitur error illorum, qui verſa de Græcis exiſtimant, ita vt Dionyſij Codex, partim ex Græcorum, partim ex Occidentalium Conciliis compoſitus ſit

Methodum verò & artem eandem ſeruauit in Canonibus Orientalibus, quam in antiquiſſima Græcorum Collectione reperit, ſcilicet ſeriem & conſequentiam numerorum; deinde poſt Sardicenſe plura Concilia Africæ diuerſis habita temporibus, ſub vno tamen & eodem Epiſcopo Carthaginenſi Aurelio refert, ſicut in antiquis Codicibus inuenerat: de quorum autoritate & Collectione, an autoritate publica edita ſit, vel confirmata; an verò priuati alicuius Collectoris operâ, fuſiùs aliquando diſputabimus.

Ne quid verò videretur Dionyſius eorum omittere, quæ ad Eccleſiaſticam diſciplinam pertinent, poſt Conciliorum canones promulgatos, & eo, quo expoſuimus, ordine diſpoſitos, ad Pontif. Romanorum Conſtitutiones curam extendit, vt ipſe profitetur in *epiſtola M S.* ſuprà citata *ad Iulianum Preſbyterum tituli ſanctæ Anaſtaſiæ*, in qua iſtius ſecundæ Collectionis rationem & conſilium exponit his verbis; *Præteritorum Sedis Apoſtolicæ Præſulum conſtituta, quæ valui, cura diligentiâque collegi, & in quendam redigens ordinem, titulis diſtinxi compoſitis; ita dumtaxat vt ſingulorum Pontif. quotquot à me præcepta reperta ſunt, ſub vna ſerie numerorum terminarem, omnéſque titulos huic præfationi ſubnecterem eo modo, quo dudum de Græco ſermone Patrum Canones transferens ordinaram.* Quæ verba ideò deſcripſi, quia breuiùs & dilucidiùs autoris conſilium explicari non potuit. Nec omittendum Dionyſium hunc laborem ſuſcepiſſe primum: antiquiores enim Collectores Decretales Pontificum, vt diximus, omiſerant, Conciliorum canonibus contenti. Incepit autem à Siricio Pontifice, & [non in Hormiſda, ſed in Gelaſio deſinit, vel potiùs in Anaſtaſio II. qui ſucceſſit Gelaſio, ſi qua fides indici Pontificum :] reliquis Pontificibus, qui præceſſerunt Siricium omiſſis. Vnde quod de Syluestri decretalibus in *dicto can. de libellis*, dicitur, valdè ſuſpectum eſt, vt Hincmarus oſtendit *epiſtola 7. cap. 22. 23. & ſequentibus* [pag 145. 146. 147. & ſeq.] & *in opere 55. Capitulorum*, [*Capitulo* 24. pag. 118. & *cap.* 43. pag. 145. 146. & 4. ſeqq. editionis in 4.] Siricium I. nominat, non Syluestrum, ſicut & Creſconius in indice nullas Syluestri epiſtolas allegat. [Hormiſdæ verò,] Gregorij iunioris, [& reliquorum,] epiſtolæ additæ ſunt poſteà. Multis enim annis poſt Dionyſium vixerunt.

V. infrà §. *Martinum.*

[Notandum vero codicem hunc Canonum & regulam Paſtoralem Gregorij Epiſcopis in ipſa ordinatione tradi in manus à Metropolitano in more poſitum. Hincmarus *præfatione in opus 55. Capitulorum* pag. 4. & 5. vbi de Conſecratione Hincmari Laudunenſis.]

Poſtremò Collectionis Dionyſij ſumma fuit autoritas; adeo vt Caſſiodorus eius æqualis, eique ſuperſtes in *dicto lib. de diuinis lectionibus*, dicat vſu celeberrimo Eccleſiam Romanam eam fuiſſe complexam; cuius etiam vt paſſim receptæ indicem fecit Creſconius : & abſolutè corpus Canonum appellari meruit in *can. 1. Diſt.* XIX. eóque titulo citatur à poſteriobus Collectoribus, Burchardo, Iuone, Gratiano, & in omnibus Decretalium Collectionibus; quod probauerunt Correctores Romani in *præfatione* Gratiani. In Galliis verò notior eſſe cœpit tempore Caroli Magni; [quamuis non ante fuerit omninò ignota, Sirmondus in *præfatione* Conciliorum. Cui Carolo] ab Hadriano Pontifice oblata fuit, vt conſtat ex verſibus politicis ab Hadriano præfixis, quos [iam dudum quidem Laudauerat P. Pithœus *præfatione in Ferrandum* ;] nuper verò edidit in 2. *tomo* Conciliorum Galliæ doctiſſimus Sirmondus; ex quo tempore frequentiſſimus fuit vſus illius Collectionis in Conciliis & Scriptoribus Gallicanis.

Addendus Antonius Auguſtinus in *libello poſthumo de Collectoribus Canonum cap. 21.* Falſa tamen eſt inſcriptio *cap. 2. de præb.* vbi & deceptus eſt Cuiacius.

[Notandum, quod iam monuimus, Creſconium circa eadem ferè tempora accuratam methodum totius Collectionis Dionyſij contexuiſſe,

imitatum Fulgentium Ferrandum, quem & laudat, & ſequitur autorem, ſicut ipſe profitetur in *ſua præfatione*. Opus verò ſuum ita inſcripſit: *hic habetur Concordia Canonum Conciliorum infra ſcriptorum, & Præſulum Rom. id eſt Canonum Apoſtolorum*, & deinde refert Concilia ex quibus canones ſumpſit eodem planè ordine, quo habentur integri apud eundem Dionyſium; & poſteà Præſulum Rom. nomina ſubiicit Siricii, Innocentij I. Zozimi, Celeſtini, Leonis & Gelaſij.

Diximus Creſconium imitatum fuiſſe Ferrandum in Breuiatione ſua Canonum. Nam paulò ante Creſconium aliam Breuiationem Canonum confecerat Ferrandus; ad quam conficiendam vſus fuerat antiquiſſima verſione Canonum Orientalium, quæ ante Dionyſii Exigui verſionem tàm in Eccleſiis Occidentalibus, quàm Africanis recepta fuerat, & adhuc poſt Dionyſium remanſit. Addidit etiam Ferrandus ex pluribus Concil. Africanis excerpta quædam, quorum multa iniuriâ temporum exciderunt.]

Dionyſii & eius indici à Creſconio confecto rectè ſubiiciemus ordine temporum ſeruato, Martini Bracarenſis Epiſcopi, quæ vocat Capitula Orientalium Canonum; eos Canones intelligens tantùm, qui in antiquiſſima Collectione Græcorum, de qua diximus, continentur. [Nihil enim nequidem ex Concilio Conſtantinop. I. deſumpſit, nec ex reliquorum Conciliorum Canonibus & ſummorum Pontificum decretis, quæ Dionyſius exiguus ſuæ Collectioni addiderat. Quæ Collectio ideò in Hiſpaniam non perueniſſe videtur. Martinus enim poſt Dionyſium vixit & ſcripſit. Scripſit enim circa annum Chriſti 570. Græcus origine, & ex Abbate Dumienſi factus Metropolitanus Bracarenſis. Diuerſa autem methodo vſus eſt à reliquis: non enim integra verba Canonum, ſed vel breuiata, vel interpolata refert; non adſcripto vnde, nec ex quo Concilio deſumpta ſunt. In duas verò partes opus diſtinguit: nam quæ ad Epiſcopos & vniuerſum Clerum pertinent in prima parte ſimul; in ſecunda verò quæ ad Laïcos conſcripſit. Quin & ex Conciliis Hiſpaniæ adiecit quædam, etiam contra mentem veterum Canonum. Autoritatis verò non leuis fuiſſe videtur; nam totius Galleciæ primus fuit Metropolitanus, & in Concilio Lucenſi comprobata fuiſſe videtur illa breuiatio, ad quod ab autore miſſa fuerat. [De Martino Dumienſi videndus Fortunatus ſcribens ad eum *lib. 5. epiſt. 1.* & ibi notata ex Iſidoro & Gregorio Turonenſi, quibus æqualis fuit. Legenda & quæ de eo refert Antonius Auguſtinus initio *2. partis Epitomes Iuris Canonici*, & maxime *lib. 1. dialog. de Emendatione Graciani Dialogis 10. 11. & 12.* quibus addi poſſunt Sirmondi fragmenta & aliquot eiuſdem Fortunati carmina] Gratianus autem plurima ex eo retulit in decreto, ſub nomine Martini Papæ in Concilio, quaſi fuerit Pontifex Romanus: grauiorem etiam errorem in eo admiſit, quod ſæpe integros Canones inſerat, & deinde ſiue imperitiâ, ſiue incogitantiâ eorundem Canonum tanquam diuerſorum, excerpta ex Martino referat, quod adnotauerunt Antonius Auguſtinus Iuris Canonici peritiſſimus, & Correctores Romani.

Martinum Bracarenſem excipit Iſidorus, vel quiſquis eſt author

Collectionis Canonum, quæ nomen illius præfert, ſed falsò. Quid illa contineatur, & qua arte ſeu methodo vſus fuerit author, in præfatione & in indice quem ſubiecit, aperte ſatis declarat. In illa verò Collectione tria ſunt obſeruanda.

Nomine eiuſdem Iſidori citat illam Collectionem *tomo* 2. vlt. edit. pag. 793. & ſeq.

1. Eius autorem antiquiſſimam interpretationem Canonum Orientalium nobis conſeruauiſſe; quæ in pluribus locis difficilibus vſui eſſe poteſt.

2. Concilia quædam Galliæ & Hiſpaniæ, quæ in reliquis Collectionibus non habebantur, inſeruiſſe.

[3. Eundem primùm in Occidentem inuexiſſe veterum Pontificum Romanorum Epiſtolas quaſdam, ignotas anteà, & fidei ſuſpectæ; à Clemente nempe 1. vſque ad Syricium ſub Theodoſio Magno. Quam nouitatem impugnauit acerrimè Canonum & Conciliorum peritiſſimus Hincmarus Remenſis Archiepiſcopus, quoties nouæ illæ Epiſtolæ aduerſus antiquam Eccleſiæ diſciplinam, vel Epiſcoporum aut Metropolitanorum autoritatem ab illis allegabantur, qui Eccleſiæ Romanæ immenſam & infinitam poteſtatem primùm in Gallia aſtruere moliebantur. De eâ verò iuuabit quædam loca annotare ex eodem Hincmaro 1. quidem in *opere 50. Capitulorum cap. 24.* pag. 118. ait: *Plena eſt terra iſta de libro Collectarum Epiſtolarum ab Iſidoro, quem de Hiſpania allatum Riculphus Moguntinus Epiſcopus in hujuſmodi, ſicut & in Capitulis Regis ſtudioſus obtinuit, & iſtas regiones ex illo repleri fecit.* Poſteà de huiuſmodi Epiſtolarum autoritate loquens, ſententiam papæ Gelaſii, quam ipſe Iſidorus ſuæ præfationi indiderat, proponit; cuius Gelaſii verba extant in *canone 5. §. item Decretales Diſt. XIII. Item Decretales Epiſtolas, quas Beatiſſimi Papæ diuerſis temporibus ab vrbe Roma pro diuerſorum Patrum Conſultatione dederant, venerabiliter ſuſcipiendas.* Quæ Hincmarus in *capitulo 25.* Ita exponit: *Animaduertenda igitur eſt diſcretio ex verbis B. Gelaſij inter Synodalia Concilia, & Apoſtolicorum virorum Epiſtolas, quas ante Concilia celebrata diuerſis temporibus pro diuerſorum Patrum conſultatione dederunt* (malè ferè ſemper apud Hincmarum *conſolatione* pro *conſultatione.*) Et poſt pauca: *quantum enim differt inter illa,* ſcilicet Concilia, *quæ cuſtodienda & recipienda decreuit, & inconuulſa firmaque deinceps Patres Catholici manere voluerunt, & illas Epiſtolas, quæ diuerſis temporibus pro diuerſorum conſultatione data fuerunt,* nemo *in dogmatibus Eccleſiaſticis exercitatus ignorat.* Quod argumentum pleniſſime exequitur *cap.* 43. cuius hæc eſt ſententia: *Canones Conciliorum primùm inuiolatos debere permanere, vt pote communi conſenſu & conſuetudine Eccleſiarum receptos. 2. loco Decretalia conſtituta S. Pontificum, quorum decreta Eccleſia Catholica & Patres ac Prædeceſſores noſtri ſeruanda tenuerunt & venerati ſunt.* Quibus verbis intelligit illa tantum decreta Pontificum, quæ in Codice Canonum Eccleſiæ contineri diximus; eorum ſcilicet Pontificum, qui poſt Nicænum Concilium à Syricio vſque ad Gelaſium in dicto Codice inſerta fuiſſe diximus. *Antiquiorum verò Pontificum Epiſtolas,* de quibus loquuti ſumus, nempe à Clemente 1. vſque ad Syricium excluſiue *eſſe quidem venerandas; ſed in illis judicio & delectu opus eſſe: quaſdam enim ex illis inuicem pugnare, & etiam aduerſari ſæpe canoni-*

bus poſteà receptis Quibus caſibus rectè arbitratur *præferendos Canones ab omnibus Eccleſiis receptos. & probatos, nec prætextu hujuſmodi Epiſtolarum ab Eccleſiaſtico vſu illa, quæ generaliter tenebantur, eſſe remouenda.* Idem Hincmarus *Epiſtola 7. cap* 22. 23. *&* 24. acta & geſta Synodi Romanæ ſub Syluestro ſpuria & ſuppoſitia notat, vt & *tomo 2.* vlt. editionis pag. 795. quæ tamen dictum Iſidorum Collegiſſe conſtat vnà cum ſuſpectis Epiſtolis Pontificum à D. Clemente vſque ad Siricium.]

Frequentiſſima autem fuit poſtremis temporibus; & prodiiſſe videtur ætate Caroli Magni, vt obſeruauit primus doctiſſimus Pithœus in *Gloſſario Capitularium in dictione Riculphus;* quod & confirmatur *præfatione & fine lib. 5. Capitularium.* [Vbi Benedictus Leuita profitetur ipſe ſe in Capitularibus ex ea collectione multa inſeruiſſe; quod etiam teſtatur incertus Scriptor de vita Benedicti, quem initio Capitularium Pithæus præmiſit.] Ex quo factum eſt, vt in Conciliis Galliæ, quæ Caroli temporibus, & poſteà in Gallia vel alibi ſunt habita, itémque apud Scriptores illorum temporum ſæpiùs ex illo Codice plurima deſumantur: quorum exemplum Burchardus, Iuo, Gratianus, & recentiores omnes paſſim ſecuti ſunt quamuis, vt monuimus, multa commentitia ſint, & magno cum iudicio legenda. [Sed de Iſidoro Antonius Auguſtinus *libro poſthumo de Collectoribus Can. cap. 16. 17. &* 18. & alij plus ſatis. Addendum tamen ex eiuſdem *libelli cap.* 22. *& ſeq.* & ex *Dialogo* 14. *lib. poſterioris de emendatione Gratiani*, Antonium Auguſtinum meritò bonâ fide agnoſcere ante Caroli Magni tempora nullos Scriptores ſuppoſititiarum illarum Epiſtolarum meminiſſe. Videndæ & eiuſdem Auguſtini notæ *in capitula* Hadriani Papæ ad Epiſcopos miſſa.]

Non immeritò inter Collectiones Canonum, Regum noſtrorum Capitularia recenſebimus; quia in illis multa referuntur ex antiquis Conciliis in Oriente & in Occidente habitis: potiſſimùm verò ex Conciliis Gallicanis, quibus tunc temporis Germania & Italia vniuerſa continebatur. Quin etiam adhibebantur in Concilium Epiſcopi vnà cum Regni Proceribus in Conuentibus publicis, qui à Regibus noſtris indicebantur, in quibus Confirmabantur, res ad Eccleſiaſticam politiam ſpectantes ordinabantur, & ad omnium vtilitatem capitula, ſeu leges promulgabantur omnium Ordinum conſenſu. Quare Collectores recentiores inde multa deriuauerunt; aliquando ſuppreſſo, vel ſuppoſito nomine. Tantæ verò fuerunt autoritatis, non ſolùm in Gallia, ſed etiam in Italia, vt à ſummis Pontificibus probarentur & obſeruarentur, *can. de capitulis Diſt.* x. Plura de Capitularium autoritate & methodo, quæ eſt confuſiſſima, doctiſſimus Pithœus accuratiſſimè initio Capitularium in vnum congeſſit; quibus addere licet quæ in poſtrema editione Capitularium Caroli Calui doctiſſimus Sirmondus adiecit: integriora enim longè ſunt Capitularia Caroli Calui.

Capitularibus Regum noſtrorum varias Conciliorum Galliæ Collectiones licet adiungere. Gallicani enim Canones & eorum autoritas non tantùm in Gallia, ſed etiam in Germania, & in Italia, primis Regum noſtrorum temporibus obtinuerunt, quorum Collectiones antiquiſſimæ fuerunt, ad quas pertinet *can. Prima adnotatio Diſt.* XVI. qui alieno

loco

loco collocatur in Collectione, quæ vulgò Iſidori dicitur. Nec tamen conſtat, an publica autoritate Collectio aliqua apud omnes Eccleſias Galliæ recepta fuerit.

Inter poſtremos Collectores, qui nunc extant, [(multi enim alij Collectores in Manuſcriptis Codicibus reperiuntur, ſicut Correctores Romani in *Præfatione* Gratiani docuerunt, Anſelmus, Deus dedit, Polycarpus & alij)] Burchardum Vvormatienſem, & Iuonem Carnotenſem recenſebimus: quorum Collectiones ex ſuſpectis illis primorum Pontif. Rom. epiſtolis, de quibus diximus, plurimum auctæ ſunt & amplificatæ. Quin etiam acceſſerunt plurima ex dictis Patrum, vt loquuntur, præſertim Auguſtini, Hieronymi, Gregorij & Iſidori: quod ex omnibus Collectoribus primi videntur tentaſſe Burchardus & Iuo, exemplo petito à Gallicanis Conciliis & Scriptoribus Eccleſiaſticis, in quibus poſt Conciliorum Canones in litibus iudicandis ſcripta Patrum tertium locum obtinent, vt conſtat ex *dicto can. de libellis, Diſt. xx.* qui ad Epiſcopos Galliæ pertinet: ſicut & in Iure Ciuili prudentum opiniones & ſententiæ eam autoritatem tenent, ut iudicibus ab iis recedere [facile] non liceat §. *penult. Inſtitutionibus de iure naturali, gentium, & ciuili.* Poſtremò in Iuonis Collectione edita ante Iuris ciuilis publicationem in Italia Lotharij II. iuſſu, ex Pandectis, Codice & Nouellis excerpta plurima deſumuntur; ita vt quod in Oriente ſub Iuſtiniano Ioannes Patriarcha tentauit [primus], vt diximus, in Occidente Iuo Carnotenſis Epiſcopus aggreſſus fuerit, nempè vt Ius Ciuile cum Canonico coniungeretur. Ab his initiis Iure Ciuili poſteà in Italia promulgato, qui Iuri Canonico dederunt operam, ſtatim adiecerunt animum ad ius illud nouiſſimè promulgatum; adeò vt Bernardus, qui circa illa tempora vixit, aſperrimè nimium illud ſtudium in Rom. Curia increpet *primo de conſideratione ad Eugenium, cap. 30. Denique quando oramus, quando docemus populos, quando ædificamus Eccleſiam, quando meditamur in lege, & quidem quotidie, perſtrepunt in palatio leges, ſed Iuſtiniani, non Domini.*

Sub illa tempora Gratianus vixit, ſcilicet circa annum Chriſti 1152, qui ex omnibus illis antiquorum Collectionibus, quas hoc tractatu enumerauimus; & ex aliis, quæ non extant, Corpus Decretorum, vel, ut ipſe inſcripſiſſe videtur, Concordiam diſcordantium Canonum compilauit, nec vllas Pontificum poſt Innocentium II. Conſtitutiones inſeruit. Methodum & ordinem ipſe expoſuit, qui tamen ab omnibus non probatur. Autoritas verò Gratiani maxima fuiſſe videtur: nam ſpretis omnibus, elegerunt illum Interpretes Iuris Canonici, quem exponerent; ita vt ante Innocentium III. & poſteà Corpus canonum & Corpus decretorum appellaretur, vt ex *epiſtola* Innocentij III. *ad Compoſtellanum Epiſcopum* colligitur, quæ pertinet ad Gratiani decretum, non autem ad Dionyſium Exiguum, [ut malè Iuſtellus in *præfatione* Codicis Eccleſiæ vniuerſæ.]

Poſtremò de Gratiani Collectionis arte & autoritate exactiſſimum & veriſſimum iudicium Antonij Auguſtini aſcribemus, ex *epiſtola* quam Canonibus Pœnitentialibus præfixit. *Eſt etiam delectus habendus*

& ratio autoritatis conſtituentium; in quo video multos iuris Pontificij ſtudioſos vehementer decipi, qui Gratiani Collectionem parem vim cum Gregoriana habere putant: cùm tamen Gregorius IX. Pontificia autoritate vſus, omnibus in eo volumine Decretalium contentis vim legis ſtatuerit; Gratianus unius Magiſtri & Monachi perſonam gerens ea, quæ refert non maiori pollere potuit efficere autoritate, quàm anteà fuerint. Itaque ſi qua ſunt ab eodem relata ex Pontificiis epiſtolis, aut ex Conciliis generalibus ſumpta; ea ſupremâ illâ poteſtate, qua excellunt, apud omnes vim legis obtinent. At quæ ex Prouincialibus Conciliis, aut ex Epiſcoporum, aut aliorum Sanctorum libris, aut Epiſtolis accepta ſunt, ea generalem non habent autoritatem. Accidit autem ſæpè ut falſæ ſint apud Gratianum inſcriptiones ſingulorum capitum. Ita fit, ut ne illa quidem capita vim legis obtineant, quæ dicuntur eſſe ſumpta ex Romanorum Pontificum, aut ex generalium Conciliorum decretis: ſed neceſſe eſt adire fontes, vnde emanarunt, ut certa ab incertis diſtinguamus. Hactenus doctiſſimus Auguſtinus, qui poſteà ſigillatim in dialogis erudititiſſimis, de Gratiano demonſtrauit apertiſſimè, quæ generaliter & paucis, loco citato, antè comprehenderat. [In eamdem rem ſimilis obſeruanda vetus quædam cenſura Pariſienſis Epiſcopi, adhibito totius Sorbonæ conſilio, prolata in condemnatione poſitionis, ſiue Theſis cuiuſdam Dominicani, qui poſuerat, *nihil reperiri apud D. Thomam, quod non eſſet credendum:* quæ quidem Theſis eſt damnata, & doctiſſimâ diſſertatione damnatio confirmata, eaque extat in fine Librorum Magiſtri Sententiarum; cujus diſſertationis hæc eſt Summa: nec Magiſtri Sententiarum, nec Gratiani, nec S. Thomæ, imò nec ullius cujuſlibet alterius Doctoris adeò per omnia veram eſſe ſententiam, quin & Errare, & labi quandoque poſſit.]

Poſt Gratianum variæ Collectiones Decretalium promulgatæ ſunt: ſola tamen Gregorij IX. in ſcholis prælegitur, de qua ita ipſe Gregorius loquitur in Præfatione. *Sanè diuerſas Conſtitutiones & Decretales epiſtolas Prædeceſſorum noſtrorum in diuerſa diſperſas volumina* (ſcilicet collegimus), *quarum aliqua propter nimiam ſimilitudinem, & quædam propter contrarietatem, etiam propter ſui prolixitatem, confuſionem inducere videbantur; aliqua verò vagabantur extra volumina ſuprà dicta.* Quo loco per (*diverſa volumina*) intelligit quinque antiquas Collectiones, quæ præceſſerant: quarum duæ priores priuata opera & ſtudio collectæ ſunt: ideòque non aliter in iudiciis fides illis habebatur, quàm ſi à ſcriniariis Eccleſiæ Romanæ recognitæ & comprobatæ forent: [ut conſtat ex Tancredi *fragmento*, edito à doctiſſimo Boſqueto in *notis ad epiſt. 71. lib. 13. Regiſtri* Innocentiij III. & ex *cap. 40. Extra de ſent. excom.* ibi: *quam Scholaſtici ab Alexandro Papa emanaſſe proponunt.* Quo loco intelligitur *cap. 2. Collectionis 1. tit. de offic. & poteſtate Prælati & Iud. Ordin.*] Tertia verò primùm autoritate publica, id eſt, iuſſu Innocentij III. promulgata eſt & confirmata, vt conſtat ex *epiſtola prima* Innocentij III initio Collectionis tertiæ: [& à Gloſſa in *cap. 18. de Præbend.* in verbo *confirmationem*, & in verbo *Eccleſiam*, appellatur abſolutè Compilatio Innocentij: & ex ea citatur vtroque loco *cap. 1. de re*

Iudicata, quod & eodem ordine in 3. *Collectione* reperitur.] Quarta etiam poſt aliquot annos ab eodem Innocentio III. compoſita; ſicut & quinta ab Honotio III. nondum edita: [ex qua tamen quædam à Contio excerpta fuerunt, in editione Plantini, quæ falsò Pariſinæ nomen habet expreſſum in Decretalibus; quamuis Antuerpiæ ſit edita: quam & Panotmitanus vidit, & Dominus Cujacius, ut probant notata ab eo ad *cap. 63. de appellat. & ad tit. de frigidis & malefic.* in fine.] Tres autem iſtæ poſtremæ, quæ publicæ fuerunt, ſolius Innocentij & Honorij Conſtitutiones habent. Poſtremò Gregorius IX. vt diximus, quæ prælegitur hodie, pleniſſimam Collectionem Decretalium confici mandauit ex illis antiquis Collectionibus, & ex aliis Conſtitutionibus, quæ extra illas vagabantur [quarum exempla refert Gloſſa in *præfationem* Decretalium in verbo *Vagabantur.*] quibus addidit ſuas, [proprio motu, & nullo petente editas.] De qua Collectione ita Matthæus Paris in *Henrico III. His quoque temporibus*, inquit, *Gregorius IX. videns tædioſam Decretalium prolixitatem, ſub quadam compendio eas eleganter abbreviatas & collectas, ſolemniter & authenticè per totius mundi latitudinem legi præcepit & promulgari.* [*Illas autem ab Autore ipſarum Gregorianas appellamus*, *ſic incipientes*, Rex pacificus, &c. *In quibus quædam Innouauit, ne ſcilicet illegitimi Prælati vel Eccleſiaſtica beneficia, niſi adeptâ à Sede Romanâ legitimationis diſpenſatione, obtineant: ſciens inde Curiæ Romanæ pro impetratione tali multa emolumenta prouenire; ſicut ex Statuto Innocentij pro diſpenſatione plurium beneficiorum obtinendorum.*] Gregorij exemplum ſecuti ſunt Bonifacius in Sexto, Clemens in Clementinis, Ioannes in Extrauagantibus, & poſtremo autor Collectionis extrauagantium communium. Quas omnes Collectiones veteres & nouas extravagantium communi & generali nomine vocare poſſumus; quia ſcilicet extra Decretum Gratiani vagantur, cuius appendix & continuatio poſſunt dici, [Cuiacius ad *cap. 4. de ſponſal. & matrim.*] Idcóque rectè Bernardus Papienſis autor primæ Collectionis *Breviarium Extravagantium* opus ſuum inſcripſit, quaſi ex veteri & nouo iure, quæ à Gratiano omiſſa fuerant, ſuppleret, vt conſtat ex *præfatione Collectionis primæ* eiuſdem Bernardi, qui ſæpè ad Gratianum nos remittit: vnde factum eſt, vt paſſim citentur *Extr.*; integro nomine, extravagantes.

Nuper Toloſæ ed ta eſt ab Innoc. Cironio.

Vide tamen querelas Contij initio Decretalium.

De his omnibus vide *ſeq. præfationem* ſub finem

De autoritate Decretalium Gregorij IX. & reliquorum ſatis conſtat eam eſſe publicam ex confirmationibus, quæ ſingulis præfixæ ſunt. Hoc tantùm notandum propter graves inimicitias inter Bonifacium VIII. & Regem noſtrum Philippum, Sextum Decretalium, qui Bonifacij autoritate editus eſt, in judiciis apud nos eandem non obtinere vim & poteſtatem, ac reliquas Collectiones. Et generaliter tam in ſtudiis Iuris Canonici, quàm Civilis obſervare debemus, quod Philippus Pulcher præcepit in litteris quibuſdam MS, quibus multa priuilegia conceſſit Vniverſitati Aurelianenſi, anno Chriſti milleſimo trecenteſimo duodecimo. *Non poteſt igitur aliquis nos recipere, vel Progenitores noſtros recepiſſe conſuetudines quaſlibet, ſine leges ex eo quod eas in diverſis locis & ſtudiis Regni noſtri per ſcholaſticos legi ſinantur. Multa*

namque eruditioni & doctrinæ proſiciunt, licet recepta non fuerint : nec Eccleſia recipit quam plures Canones, qui per deſuetudinem abierunt, vel ab initio non fuere recepti ; licet in ſcholis à ſtudioſis propter eruditionem legantur. Scire namque ſenſus, ritus & mores hominum diverſorum, locorum & temporum valdè proficit ad cuiuſcunque doctrinam.

Digitized by Google

ΣΥΝΑΓΩΓΗ ΚΑΝΟΝΩΝ ΕΙΣ ν. τίτλους διῃρημένων παρὰ Θεοδωρήτου Ἐπισκόπου τοῦ Κύρρου.

Οἱ τοῦ μεγάλου θεοῦ καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ μαθηταὶ καὶ ἀπόστολοι, καὶ μὴν [illegible] τῆς Ἐκκλησίας αὐτοῦ τῆς ἁγίας οἱ μετ' ἐκείνους καὶ κατ' ἐκείνους ἀρχιερεῖς καὶ διδάσκαλοι, τὴν δὲ ἐθνῶν ἅμα καὶ Ἰουδαίων πληθὺν, τῆς διαβολικῆς ἀπάτης καὶ τυραννίδος ἀποφοιτήσασαν ὀρθῇ τε διανοίᾳ καὶ πίστει πρὸς τὸν βασιλέα καὶ Κύριον τῆς δόξης αὐτομολήσασαν, ὁσίως ποιμαίνειν ἐγχειρισθέντες ὑπὸ τῆς χάριτος· οὐκ ᾤοντο δεῖν ὥσπερ οἱ πολιτικοὶ νόμοι τοὺς πλημμελοῦντας αἰκίζεσθαι, τοῦτο γὰρ εὔηθες αὐτοῖς κομιδῇ καὶ λίαν ἀτημελὲς κατεφαίνετο, προσκινδυνεύειν δὲ μᾶλλον αὐτῶν ἐπιμόταζα, καὶ τοὺς αἰόπιν ἰόντας ἐπιστρέφειν ἐσπούδαζον, ὅτι τοὺς πλανωμένους ἔτι καὶ τῆς εὐθείας ἐκκλίνοντας ὡς ποιμὴν ὁ καλὸς ἀμελλητὶ καταθέοντες, τοὺς δὲ πρηνῶς ἤδη κατενεχθέντας ἐπὶ τὸ βάραθρον ἀνασπᾶσαι παντοίαις ἐπινοίαις ἀγωνιζόμενοι· καὶ τὸ μὲν ἤδη * σεσηπὸς καὶ λίαν ἠρράσηκῶς, τῇ μαχαίρᾳ τοῦ πνεύματος εὖ μάλα * σαφῶς καὶ τεχνικῶς ἀποξέοντες· τὸ δὲ συντριβὲν δὲ αὐτῶν καὶ λυόμενον φαρμακοῖς τισὶν ἁπαλοῖς καὶ δεσμοῖς λογικοῖς ἐπισφίγγοντες, οὕτω τῇ χάριτι καὶ συνεργείᾳ τοῦ πνεύματος ἐπὶ τὴν προτέραν ὑγείαν ἐπανήγαγον τοὺς κάμνοντας. ἵνα τοίνυν αὖθις οἱ μετ' ἐκείνους ἐσόμενοι τοὺς ὑπ' αὐτῶν ἀρχομένους ἀβλαβεῖς διασώζωσι, τύπον ἕκαστοι κατὰ καιροὺς ἰδίους εἰς ταυτὸν συνιόντες οἱ τρισμακάριοι, τῆς θείας χάριτος οἰκονομούσης τοῦτο καὶ συναθροιζούσης ἑκάστης αὐτῶν Συνόδου τὸν σύλλογον, νόμους τινὰς καὶ Κανόνας οὐ πολιτικοὺς, ἀλλὰ θείους περὶ τῶν πρακτέων ἐξέθεντο τὸν ἑκάστου βίον καὶ τρόπον ἐπανορθοῦντες τοὺς μὲν ὁδῷ βασιλικῇ πορευομένους ὑποστηρίζοντας, ἐπιτιμῶντες δὲ αὐτοὺς πλάγια. Ἐπεὶ οὖν πάλαι κατὰ καιροὺς ὑπὸ διαφόρων πρὸς διαφόρους καὶ διαφόρως ἁρμόζοντες οἱ

Notauit doctiſſimus Marca *lib. 8. de Concordia Sacerdotij cap. 16. §. 7.* Diſcrimen inter Ciuilem & Eccleſiaſticum Magiſtratum. Vide S. Chryſoſtomum *tomo* 3. editionis Pariſienſis *homilia 4. & 5. de Ozia; lib. 2. de Sacerdotio cap. 3. & 4. homil. 5. in Paulum*, & maximè *hom. 15.* in fine *ad epiſt. 2. ad Corinth.* Vbi pleniſſima cóparatio vtriuſque tribunalis inſtituitur.

* καὶ τὸ μὲν ἤδη σεσηπὸς καὶ λίαν ἠρρωστηκός.

* τορῶς.

νόμοι καὶ Κανόνες τῆς Ἐκκλησίας ἐτέθησαν· δέκα γὰρ μετὰ τοὺς ἀποστόλους αἱ μεγάλαι τῶν πατέρων γεγόνασι σύνοδοι. περὶ τούτους δὲ αὖ καὶ Βασίλειος ὁ μὲν περὶ πολλῶν ἐκανόνιζεν. Εἰκότως καὶ διὰ τοῦτο προειρημένα ὑπ' αὐτῶν ὡς ἅπαντα τὰ κατὰ χρόνον ἀναφυόμενα, καὶ οὐ τάξει τινὶ πραγμάτων, ὡς ἐν Κεφαλαίοις διῃρημένοι οἱ Κανόνες ἐγράφησαν, ὡς ἐκ τούτου δυσεύρετον εἶναι κομιδῇ καὶ δυσπόριστον τὸ πρός τινων ἀθρόως περὶ Κανόνας ἐπιζητούμενον. Διὰ τοῦτο χάριτι τοῦ Κυρίου καὶ Θεοῦ καὶ Σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ τὰ προειρημένα ὑπ' αὐτῶν ὁρισθέντα κατὰ καιρούς, εἰς ἓν ἡμεῖς ἀθροῖσαι σπουδάσαντες καὶ ταῦτα διελόντες εἰς τίτλους πεντήκοντα, οὐ τάξιν τινὰ καὶ ἀκολουθίαν ἀριθμῶν ἐφυλάξαμεν, πρῶτον ὡς εἰπεῖν καὶ δεύτερον, καὶ τρίτον, καὶ τέταρτον, καὶ πέμπτον αὖθις Κανόνας συνάψαντες, ἀλλ' ὅμοια τοῖς ὁμοίοις ὡς οἷόν τε συναρμόσαντες καὶ ἴσον ἴσῳ κεφαλαίῳ συμπλέξαντες, ῥᾳδίαν ἐποιησάμεθα ἅμα καὶ ἄπονον τοῖς πᾶσιν ὡς οἶμαι τῶν ζητουμένων εὕρεσιν. οὐκ αὐτὸ τοῦτο μόνον καὶ πρῶτοι τῶν ἄλλων ποιῆσαι ὁρμήσαντες, ἀλλ' ἑτέρους εὑρόντες ταῦτα διελόντας εἰς τίτλους ἑξήκοντα, καὶ μήτε τοὺς Βασιλείου Κανόνας τοῖς ἄλλοις ἐπισυνάψαντας, μήτε καὶ ὅμοια τοῖς ὁμοίοις ὡς ἔδει πράγματα συναρμόσαντας, ὡς ἐν τίτλοις διὰ τὸ πολλοὺς περὶ ἑνὸς κεφαλαίου κανόνας εὑρίσκεσθαι, καὶ δυσάλωτα γίνεσθαι τὰ περὶ τοῦ πράγματος ἑνὸς παρὰ τῶν ὅλων κανονιζόμενα σαφέστερον, ὡς οἷόν τε δὴ ἡμεῖς τῇ παραθέσει τῶν ὁμοίων ποιῆσαι τῶν Κανόνων τὴν διαίρεσιν ἐσπουδάσαμεν. τῆς ἑκάστου πρὸς τούτοις τῶν τίτλων ἐπιγραφῆς προσσημαινούσης εὖ μάλα τῶν ἐμφερομένων τὴν δύναμιν. ἡ δὲ τάξις αὕτη τῶν συνόδων μετὰ τοὺς ἀποστόλους, καὶ πόσους ἑκάστη Κανόνας ἐξέθετο, πόσους δὲ καὶ Βασίλειος ὁ θαυμαστὸς συνε-
ἀσύμφωνος. γράψατο διὰ τῶν ὑποκειμένων ἀπονητὶ τοῖς ζητοῦσι γνωσθήσεται. ἔστι γὰρ οὐδέ πως ἔχουσα καὶ οὐκ ἀσυμφωνίας, ἀλλὰ καὶ λίαν εὐσύνοπτος τοῖς ἐντυγχάνειν ἐθέλουσιν.

DOMINO VENERABILI

MIHI IVLIANO PRESBYTERO
tituli Sanctæ Anaſtaſiæ.

DIONYSIVS EXIGVVS.

*SANCTITATIS veſtræ piis excitatus ſtudiis, quibus nihil prorſus eorum, quæ ad Eccleſiaſticam diſciplinam pertinent, omittit inquirere, præteritorum Sedis Apoſtolicæ Præſulum conſtituta, qua valui, cura diligentiáque collegi, & in quemdam redigens ordinem, titulis diſtinxi compoſitis: ita dumtaxat ut ſingulorum Pontificum quotquot à me præcepta reperta ſunt, ſub vna numerorum ſerie terminarem, omnéſque titulos huic præfationi ſubnecterem; eo modo quo dudum de Græco ſermone Patrum transferens Canones ordinaram, quod vobis nimium placuiſſe cognoueram. Qui verò ſinceriſſimo affectu Deum diligitis, & idcirco famulos eius laudanda ſollicitudine continetis. Quis enim peregrinantium ſeruiens Chriſto, veſtro non fouetur hoſpitio? Iuſtum credidi vobis in hac parte famulari, quatenus induſtriam veſtram, quam cæleſtibus impenditis regulis, & præſens imitetur ætas, & poſteritas * commiretur. Nam pro virtutis amore cuncta, quæ ſunt vtilia, deſideratis agnoſcere; licet omnem venerandi Iuris obſeruantiam moribus impleatis. Quantique ſit apud Deum meriti beatus Papa Gelaſius, & nos qui eum præſentia corporali non vidimus, per vos alumnos eius faciliùs æſtimamus. Cuius eruditione formati gradum Presbyterij ſancta conuerſatione decoratis, vt in veſtrorum morum perſpicuo munere eius quodammodo videatur actio perlucere. Quem, ſicuti veſtra relatione comperimus, in tantum bonæ voluntatis extitiſſe gratulamur, ut, annuente Domino, principatum in Eccleſia pro multorum ſalute ſuſcipiens, cum ſeruiendo potiùs, quàm dominando ſuſtolleret, vitæque caſtimoniam doctrinæ meritis ampliaret. Denique omne opus eius aut oratio fuiſſe memoratur, aut lectio. Interdum quoque ſcribendi curam ſumebat, prout cauſa vel ratio popoſciſſet, ſeruorúmque Dei maximè conſortio atque ſocietate gaudebat. Quorum ſpirituali conlatione, tanto diuini amoris ſtudio, tanto verbi Dei meditatione * frue-*

* comitetur.

Vnde uſque ad Gelaſium incluſiuè inſeruit decreta Patrum.

* foucbatur.

batur, ut huic etiam illud, quod Pſalmiſta cecinit, aptaretur: Beatus homo quem tu erudieris, Domine, & de lege tua docueris eum, vt mitiges eum à diebus malis. *Huius enim ſæculi malos dies, ita Domino mitigante atque gubernante tranſegit, vt vniuerſas tentationes mira prudentia & longanimitate ſufferret, delicias ieiuniis ſuſtineret, ſuperbiam humilitate calcaret, tanta miſericordia animi alacritate clareſceret, vt omnes ferè pauperes ſatians, inops ipſe moreretur. Profectò beatus hac inopia, per quam diuinis ſemper laudibus inhærebat, ſicut Propheta dicit ad Dominum,* Pauper & inops laudabunt nomen tuum. *Fuit enim vir ingenio luculentus, vita præcipuus, aucteritate reuerendus. Et ideò tot virtutum ornatus inſignibus, ad tam celſum officium non acceſſiſſet indignus; honorem ſummæ dignitatis graue nimis onus æſtimans, parúmque negligentiam Pontificis ingens animarum diſcrimen eſſe conteſtans. Idcirco nullo ſe deſidioſo otio tradidit, nec luxurioſo conuiuio effuſóque ſeruiuit, ex quibus rebus & animarum morbi naſcuntur & corporum. Hic itaque pater ſummi atque Paſtoris imitator exiſtens, egregius Præſul Sedis Apòſtolicæ fuit, qui diuina præcepta fecit & docuit. Vnde eum magnum inter Sanctos eſſe confidimus, iuxta promiſſionem Chriſti Domini dicentis:* Qui fecerit & docuerit, maximus vocabitur in regno cœlorum.

PRÆFATIO,

IN QVA PLENISSIME DISSERITVR, TAM de Methodo, & Autoritate Collectionis Gratiani, quàm reliquarum omnium Collectionum Decretalium poſt Gratianum; ab Autore Nouem Tractatibus in IX. Priores titulos Lib. I. Decretalium præfixa, & edita anno 1641: poſtea quibuſdam paſſim Inſertis, & notis adiectis aucta.

IVRIS Canonici ſummam quandam cognitionem habere deſiderantibus, nihil vtilius viſum eſt, quàm generales Tractatus quoſdam in Decretales tradere. Inſtitutiones enim interpretari, à Lanceloto, Cucco Mediolanenſi, Caniſio, vel aliis, priuato ſtudio confectas, vel novas ſcribere, periculoſum eſt: quia ſtudioſorum aures ea tantùm ab initio debent accipere, quæ certa ſint, & autoritate publica confirmata; vt rectè in *Confirmatione Inſtitutionum.* Nam quæ priuatim quilibet, quamuis doctus & ingenioſus ſcribit, in promptu eſt non admittere; nec in iudiciis ullam vim & robur obtinent. Adde quod huiuſmodi Inſtitutionum Autores, aliam viam & methodum inſtituentes, quàm Pontifices, & Iuris Canonici Conditores, à lectione Decretalium, vel omnino auertunt, vel ſaltem ad eas legendas, animos non præparant. In Paratitlis vel longioribus Tractatibus aliter eueniet: nam in his ordinem & methodum Decretalium ſequimur; imò & Librorum, & Titulorum connexionem & ſeriem inveſtigamus, Rubricas interpretamur, & quantùm operis modus ſinit, origines Iuris Canonici veteris & noui indicamus. Quinetiam, ſi quid vſus Galliæ non admittat, ex Capitularibus, Pragmaticis, Concordatis, & [Iuribus, ſeu] quas vulgò vocant, Libertatibus Eccleſiæ Gallicanæ, [vel etiam privilegiis] adnotamus. Qui enim hactenus Inſtitutiones, aut Paratitla Iuris Canonici ſcripſerunt; vel Iuris antiqui Canonici valdè periti non fuerunt, vel locis & temporibus inſervierunt, in quibus libros ſuos promulgarunt, inſuperhabitis & neglectis, tàm communis veteris, quàm Gallicanæ Eccleſiæ Iuribus, vel priuilegiis; quæ rectè Gallicanorum Tribunalium Conſultiſſimi quique, ab antiquo iure communi vniuerſæ Eccleſiæ, ferè omnia repetita eſſe veriſſimè contendunt. Reliqui ferè omnes populi, qui in Patria obedientiæ, quàm vocant, morantur, immutationes & innouationes poſteriorum Conſtitutionum, quæ frequenter occurrunt in Decretalibus, ſæpiùs ultrò amplectuntur & recipiunt.

Inſtitutum Auctoris.

Libertates à priuilegiis ſeparandæ, Coquillius in *præfatione hiſt. Niuernenſis pag. 18*

Antequam verò materiam aggrediamur, *Primò* neceſſarium eſt præmittere duas ſummas, & totius Iuris Canonici præcipuas diviſiones,

Argumentum Tractatus.

ad quas ſæpiùs in progreſſu recurrendum erit. *Secundò* de Collectione Decretorum Gratiani tractabimus pleniùs, & deſinemus in variis Collectionibus Decretalium, earum Autoribus, tempore, & methodo, explanandis; quia ex illis Collectionibus tandem Gregorius IX. poſtremam hanc noſtram, opera Raymundi à Penna forti compoſuit; Cuius gratiâ, aliquos Tractatus conſcribere inſtituimus, maioris operis ſpecimen & δεῖγμα.

Duæ totius Iuris Canonici partitiones.

Vt à diviſionibus incipiamus; *Ius Canonicum dupliciter diuidimus*, vel ratione materiæ, argumenti, ſiue ſubiecti; vel ratione formæ.

** Prima.*

Ratione materiæ Ius Canonicum, vel ad fidem, vel ad mores, ſeu diſciplinam Eccleſiaſticam formandam vel componendam pertinet. Quæ ad fidem pertinent, continentur ſymbolis, ſiue formulis fidei, Synodicis Epiſtolis, vel etiam Decretis, ſeu Anathematiſmis contra hæreſim & hæreticos factis. Huiuſmodi ſunt Nicænæ διατυπώσεις apud Gelaſium Cyzicenum; duodecim Anathematiſmi Cyrilli contra Neſtorium in Synodo Alexandrina editi, qui malè vulgò in pleriſque Codicib. tribuuntur Concilio generali Epheſino: itemque decreta in Synodo V. ſub Iuſtiniano edita. Illæ omnes ſpecies, generali nomine, Dogmata appellantur.

διατυπώσεις illas quidam cenſent eſſe figmenta Gelaſij, Blondetus & ſimiles.

Quæ ad mores ſpectant, Canonum nomine ſpecialiter deſignantur. Vnde frequens in Conciliis & Patribus, Dogmatum, & Politiæ diſtinctio.

Ex hac diuiſione, duæ regulæ certiſſimæ eliciuntur. *Prima*, In his quæ ſunt fidei, Eccleſias omnes debere convenire: fidem vnam integram apud omnes eſſe oportere: & vt loquitur Tertullianus initio *de Virginib. velandis*, *Regula fidei vna omninò eſt, ſola immobilis & irreformabilis; huic nihil addi, vel detrahi poteſt.* Quare propter eius dignitatem in Concilis ſemper de fide primò tractatur, antequam de moribus & politia quæratur. *Secunda Regula:* Quæ ad diſciplinam & converſationem, ſeu politiam Eccleſiaſticam ſpectant, vel in totum immutare licet, vel pro parte; vel in gratiam, Regni, Provinciæ, Loci, vel Temporis, ſingulari privilegio diſpenſare: non tamen priuata autoritate, ſed publica; eorum nempe, qui Eccleſiæ præſunt; præterea accuratiſſimâ cauſæ cognitione præcedente, *can. 14, & 15. & 16. Cauſa 1. Quæſt. 7.* Prudentiſſimè veteres ſecutus Iuo Carnotenſis, in *doctiſſima præfatione ſuæ Collectionis*; *In his quæ propter rigorem diſciplinæ, vel muniendam ſalutem, poſterorum ſanxit diligentia, ſi honeſta, vel vtilis conſequatur compenſatio, poteſt præcedere autoritate præſidentium diligenter deliberata diſpenſatio.* Idemque ſentit Eulogius Alexandrinus Patriarcha in *fragmentis libri de Diſpenſatione, ſeu Oeconomia Eccleſiaſtica*, apud Photium in *Bibliotheca:* vbi notandum, falli Interpretem, qui vbique *Oeconomiam* interpretatur, *Incarnationem*. Quibus accedat Bernardus in *libro de Præcepto & Diſpenſatione, cap. 3. 4. & 5.* [In his duobus, fide & politia, verum laborem & ſtudium vtile Theologiæ conſtituit S. Chryſoſtomus *lib. 4. de Sacerdotio cap. 4.* & reiicit ac damnat reliquas inutiles & curioſas tractationes, ſuo tempore, ſicut & noſtro frequentes nimis ἀδολεσχίας, pag. 73. *& tomo 4.* editionis Pariſienſis pag. 77. Et quidem in his, quæ ad fidem & dogmata; nulli

parcendum aſperrimè agunt Apoſtoli: in his, quæ ad mores; benigniùs & mitiùs: idem S. Chryſoſtomus in 1. *ad Corinth. cap.* 11. *tomo* 5. prædictæ editionis, pag. 291. & 292. & in *præfatione Canonum* Theodoretus in *epiſtola præl minari.*]

Secunda diuiſio ratione formæ: Ius omne Canonicum, vel venit ex ſcripto, vel ſine ſcripto, & vt ait Iſidorus in *Canone 3. Diſt.* 1 *omne ius legibus, & moribus conſtat*, Legis nomine latiſſimè ſumpto; ita vt omnes ſpecies iuris ſcripti comprehendat: cuius duæ ſunt partes ſummæ, & generaliſſimæ; *Sacra Scriptura, & Canones.* Sacræ Scripturæ veteri & nouo Teſtamento continentur. Canonum triplex eſt ſubdiuiſio: ſumuntur enim vel ex Conciliis, aut Conſtitutionibus Pontificum, aut ex dictis Patrum, *Leo IV. in can.* 1. *Diſt. xx.* vbi hunc ordinem ſeruat Præferuntur ſacrorum *Conciliorum Canones.* Sequuntur *Decretales Epiſtolæ, ſeu Decretalium regulæ*, quæ, vt ait, *cum Canonibus apud nos habentur.* Poſtremò *ex Patrum ſcriptis excerpta* ſubijciuntur; quæ non parem habent vim, qualem Canones Conciliorum, vel Conſtitutiones Pontificum. Idem ordo & in veteri Codice Canonum Eccleſiæ vniuerſæ ſeruatur, quem *Leo IV.* in *dicto Can.* ſignificat: eundémque Gratianus ſequitur, vt conſtat ex *Diſt. xv. xvi. xvii. xviii. xix. & xx.* *Secunda diuiſio.*

Primò enim agit Gratianus de Conciliis. Secundò De Conſtitutionibus Pontificum. Tertiò In *Diſt. xx.* de dictis Patrum

Primus apud Græcos *Theodoretus* in *Collectione Canonum*, quædam ex *Epiſtolis* Baſilij retulit. Theodoretum Collectores Græci ſecuti, ex aliis Patribus Græcis multa deſumpſerunt, Dionyſio Alexandrino, Petro Alexandrino, Gregorio Thaumaturgo, & aliis, qui enumerantur in *Can. 2. Synodi VI. in Trullo.* Apud Latinos pariter, in Collectionibus poſtremis, Burchardi, Iuonis, Gratiani, & aliorum, quæ nondum ſunt editæ, multa deſumuntur, non tantùm ex dictis Patrum; ſed etiam ex Iure Ciuili, *Pandectis, Codice & Nouellis Iuſtiniani, Cod. Theodoſiano*, imò & ex *Capitularibus* Regum noſtrorum.

Hactenus hæc de variis ſpeciebus Iuris Canonici, quod venit ex ſcripto. Iuris non ſcripti vnica eſt ſpecies, Conſuetudo, ſiue Traditio. Traditio verò, aut vniuerſalis & totius Eccleſiæ; vel particularis, & propria eſt vnius Eccleſiæ. Nec obſtat eas traditiones poſtea in ſcripta redactas fuiſſe, & per conſequens Iuri ſcripto videri tribuendas. Origo eſt inſpicienda, quâ hoc ius tacito & illiterato conſenſu, [ab initio] paulatim receptum eſt vſu: ſicut in Iure Ciuili Ius non ſcriptum, & moribus introductum dicitur; poſtea tamen à Iuriſconſultis ſcriptis comprehenſum. De quo iure non ſcripto vide *Diſt.* 1. *& xii.* Vnde colligimus male Gratianum in *can.* 5. *Diſt.* 1. diſtinguere: Conſuetudinem in ſcriptis redactam, vocari Ius; quæ vero in ſcriptis non eſt redacta, generali nomine Conſuetudinis cenſeri.

Nunc de Gratiani Collectione agendum, quæ videtur abſoluta tempore Eugenij III. circa annum 1150. vel 1151. vt ait gloſſa Hugutionis veteris Interpretis Decreti, ad *can. poſt appellationem, verſ. ego Ancelinus* [Cauſa 11 Q. 7.] ibi, *dicit Huguti, quod hic eſt falſa litera.* Forſtetus etiam in *vitis Iuriſconſultorum*, ex ipſius Gratiani tumulo Bono-

niæ, & Correctores Rom. in *præfatione Gratiani*: quibus adde omnino Antonium Auguſtinum *Dialogorum de Emendat. Gratiani, lib.* 1. *cap.* 1. *& fuſius lib.* 2. *cap.* 9. Obſeruandum verò, falſum eſſe, quod Trithemius ſcribit in *vita Gratiani*, & in *Chronico Hirſaugienſi* pag. 184: quem & alij deinde multi poſtea ſecuti ſunt, Collectionem Gratiani Eugenio III. oblatam fuiſſe, & ab eo confirmatam. Non extat huiuſmodi confirmatio. Quare rectè nihil de huiuſmodi confirmatione Gratiani, in Editione Romana, ſub Gregorio XIII. editâ, qui inchoatam Gratiani emendationem ſub Pio IV. & V. feliciter conſummauit, diuinâ quadam prouidentiâ, vt qui primò Anteceſſor Bononienſis Ius Canonicum erat interpretatus; Cardinalis poſtea, à Pio IV. fuerat delectus inter eos, qui primi Gratiani emendationi vacarunt; tandem factus Pontifex, operi vtiliſsimo vltimam manum imponeret. Prodiit itaque & emendatior & melior longè Gratiani Collectio ſub Gregorio XIII. nec ideò tamen ab eo publica autoritate confirmata eſt; ita ut robur haberet in iudiciis, ſicut Collectio Decretalium Gregorij IX, quam in ſcholis prælegimus, de qua deinde dicetur. Ex his colligimus, canones qui citantur ex Gratiano, non omnes habere eandem vim & poteſtatem; recurrendum eſſe ad originem & fontes, vnde manarunt. Alio enim iure cenſentur ea, quæ ex Conciliis, alio quæ ex Conſtitutionibus Pontificum, alio quæ ex dictis Patrum, *can. 1. Diſt. xx.* Quam in rem vide Iudicium accuratiſſimum Antonij Auguſtini, in *Præfat. ad Canones pœnitentiales.* Quin, ut ſuprà notauimus, multa ex Iure Ciuili Gratianus retulit, quod primùm in iudicia & ſcholas circa ea tempora reſtitutum erat in Italia, à Lothario Saxone Imperatore, ſuaſione Mathildis Comitiſſæ; *Chronicon* Abbatis Vſpergenſis *in fine vita Lotharij.* Poſtremò obſeruandum, multa ex incertis, & ſuppoſititiis ſcriptis inſeruiſſe Gratianum in ſuam Collectionem, quæ occaſionem dederunt emendandi, vt diximus; & doctiſſimo Auguſtino ſcribendi *duos libros de Emendatione Gratiani.* Ante Auguſtinum, & Romanos Correctores, id Ant. Demochares viderat; fusè verò Ant. Contius, in *Præfatione ſua* ſignificaverat; quam ideò mutilauit Antuerpienſis librorum Cenſor; qui ex ea breue tantùm nobis fragmentum reliquit; qua de re meritò conqueritur Contius *lib. 1. Lection. ſubſeciu. cap. 10. in fi.* Veſtigia tamen fraudis ſuperſunt in fine *Præfationis Secundæ* Contij, in qua apertè profitetur apocrypha & commentitia plurima Gratianum ſuæ Collectioni admiſcuiſſe: quod & repetit in *notis ad can. Septuaginta. Diſt. xvi.* & ad *inſcriptionem canonis 2. Diſt. xxi.* ibi: *Item Anacletus.* Vbi quod inducitur Contius, *Maiorem ſe requirere probationem* [(quod fortè Demochares dixit, vel Antuerpienſis Corrector)]; ipſe præſtiterat in *ſua Præfat.* mutilatâ poſtea, vt diximus, ſicut oſtendunt notata ab eodem, *ad d. can. Septuaginta, ad. can.* 1. *& can. iudicantem xxx. Quæſt.* 5. Quibus ex locis illuſtrantur valdè, quæ ſcribit doctiſſimus Auguſtinus, *lib.* 1. *de Emendat. Gratiani, cap. 20.* in fine. Conſtat tamen eum falli, cum ait, *ea verba mihi videntur Molinæi eſſe, non Contij.* Sunt enim revera Contij, & ipſe Contius ea ſibi aſſerit, ſi loca omnia, quæ citauimus ſupra ex editione Antuerpiana diligenter comparentur. Romani Correctores, notas Contij ad dictos canones

omiſerunt: cautiùs ſanè, quàm Antuerpienſis Cenſor, qui Præfationem quidem mutilauit; notas verò ſuprà citatas imperitè reliquit, quibus idem dicebatur, quod in Præfatione. [Notandum Contij editioni notas ex editione Democharis plures admixtas fuiſſe in editione Antuerpienſi abſque delectu; ita vt non rarò inter ſe pugnantia inſerantur. Nec enim eadem ſemper fuit ſententia Democharis, quæ Contij; qui Contius & longe eruditior, & ingenioſior erat.] Obſeruandùm prætereà, quod certè etiam notauit Azo *ad tit. ne ſideiuſſ. dot. dentur. Cod. in decretis non licere argumentari ex rubricis; quia ſunt ipſius Gratiani, aliter quàm in Decretalibus, Dig. & Codice.* Imò adde; nec Conciliationes, quas vocat Gratianus, diſcordantium Canonum, & adnotauit de ſuo, ampliorem vim habere, quàm alicuius Doctoris atque Magiſtri, non autem Legiſlatoris. Poſtremò meritò Gratiani methodus improbatur à viris doctis: permixtim enim, & confusè multa tradit. Suam verò Collectionem inſcripſit *Concordiam diſcordantium Canonum*: componere enim ſolet, & conferre plures Canones, vel re vera, vel in ſpeciem pugnantes, & eos conciliare.

Vide infra §. *Durantes.*

Vniuerſum opus in tres ſummas partes diuiſit. Diſtinctiones, Cauſas, & Tractatum de Conſecratione. Quæ prima diuiſio plana eſt & facilis, ad exteriorem tantùm operis Formam, & ad citationum uſum potiſſimùm accommodata: nec habet opus longo ſermone.

Prima Diuiſio Collectionis Gratiani ratione Formæ.

Partitionem ſecundam, ratione Materiæ, pluribus declarabimus. Maioris eſt utilitatis & difficultatis: continet enim non tantùm conſilium, & inſtitutum Autoris; ſed etiam introductionem quandam ſuppeditat ad opus vniuerſum, cuius per indicem nobis exhibet cognitionem. Verùm ne videamur nimis ingenioſi, & anxij in alieni operis enucleandâ methodo, Gratiani mentem, ex ipſius verbis, variis ex locis Decreti collectis; itemque ex annotationibus vetuſtiorum Interpretum, ita breuiter indagabimus, ut pauciſſima de noſtro intermiſceamus.

Secunda, ratione materia.

Diſtinctionibus viginti primis quid Gratianus tractauerit, & quid ſequentibus, uſque ad centeſimam & ultimam tractaturus ſit, apertè explicat initio *Diſt. xx. Decretis ergo Romanorum Pontificum, & ſacris Canonibus Conciliorum, Eccleſiaſtica negotia, ut ſuprà monſtratum eſt, terminantur.* Viginti diſtinctiones illas explicuimus ferè, Libro ſingulari in eam rem edito, *De Origine, Arte, & Autoritate Iuris Canonici.* Subiicit Gratianus loco eodem. *Miniſtri verò Sacrorum Canonum, & Decretorum Pontificum, ſunt ſummi Pontifices, & infrà Præſules, & reliqui Sacerdotes: quorum inſtitutio eſt in veteri Teſtamento inchoata; & in nouo pleniùs conſummata, &c.* Iterùm initio *Diſtinct. xxiii. Breuiter quæ inter Eccleſiaſtica officia ſit differentia, monſtrauimus. Nunc à ſummo Pontifice incipientes, & vſque ad vltimum gradum deſcendentes, qualiter quiſque eorum debeat ordinari, Sanctorum autoritatibus oſtendamus.* In *Can. ult. Diſt. c i. Hactenùs de electione & ordinatione Clericorum tractauimus. Nunc ad Simoniacorum ordinationes tranſeamus.* Rectè itaque Gratianus, & primæ Collectionis compilator Bernardus Circa, à Diſtinctione vigeſima primâ, incipere *Tractatum ordinandorum aſſerunt,*

Argumentum primæ partis Gratiani, in C. diſtinctiones: quæ pars vulgò tractatus Ordinandorum, ſiue de Ordinationibus vocatur. Tractat verò xx. primis Diſt. de Origine, autoritate, & variis Iuris Canonici ſpeciebus: Reliquis Diſt. de Clericis

& eorum variis & deſinere in *Diſt. centeſima prima.* Hæc de primæ partis in diſtinctio-
diſtinctionibus nes, diuiſione.
Dignitatibus,
Ordinationibus, Promotionibus, Honoribus, eorumque Officiis. Secunda Parte, quæ Cauſas xxxvi. habet, coniunctim & permixtim tractat de rebus & negotiis; criminalibus primùm, & deinde Ciuilibus, & de Iudiciorum ordine.

Argumentum ſecundæ partis in triginta ſex Cauſas.

Obſcuriùs & perplexiùs digeſſit Gratianus Secundam partem, quæ in Cauſas, & Quæſtiones reſoluitur. Gloſſa ſeu Interpres vetus ſuppleuit, quod omiſit Gratianus initio Cauſæ primæ, his verbis: *Expedito Tractatu de Ordinationibus, promotionibus, & officiis Clericorum; accedit Gratianus ad negotia, quorum quædam ſunt ciuilia, quædam criminalia, in quorum perſecutione, maiora minoribus præponit. Et quoniam omnia crimina reſpectu Simoniæ nihil reputantur, vt infrà ead Q. 7. patet; ideò de ea præmittit, quærens, An ſit peccatum ſpiritualia emere; &c.* In fine *Q. 7 Cauſæ primæ* ita Gratianus ipſe. *His breuiter præmiſſis, ad ea veniamus, quæ Eccleſia ſeueritate diſciplinæ parata eſt vlciſci, oſtendentes quibus accuſantibus, vel teſtificantibus, quilibet ſint conuincendi; quo iudice quiſque debeat condemnari, vel abſolui: ſi cauſa vitiata fuit, quo remedio poſſit ſubleuari: ſi accuſatores defecerint, an reus ſit cogendus ad purgationem. Et vt faciliùs pateat quod dicturi ſumus,* &c. Ita verò Gloſſa ad *d can. vlt. Tranſitu vtitur, ſcilicet colore Rhetorico, quo dicta dicendis continuat, & dicenda dictis, ſummatim dicenda perſtringens.*

Et iterum initio *Cauſæ ii. In ſuperiori Cauſa actum eſt de crimine Simoniæ: & priùs de eo, quod grauiſſimum eſt: ſed quia crimina ſine ordine iudiciario puniri non debent; ideò congruè hanc cauſam annectit. In qua de ordine iudiciario tractat, oſtendens quod nemo condemnandus eſt, niſi conuictus, vel confeſſus; & quòd ſpoliatus præter iuris ordinem, ſit reſtituendus; & qualiter puniantur, qui in accuſatione deficiunt, qualiter obiecta crimina non probata purgentur, & qualiter ſententia releuetur per appellationem; & vtrùm Laici admittantur ad accuſationem Clericorum, & qualiter ſit accuſatio facienda, &c.*

Occaſione raptâ, interrumpit ordinem Gratianus vſque ad Cauſam vndecimam.

Initio *Cauſæ ſeptimæ*, ita Gloſſa. *Supra vi. Q. 3. cap. Denique, facta fuit mentio de Renunciatione Epiſcopatus: vnde Gratianus nactus occaſionem ſubiicit Cauſam iſtam, in qua tractat de Renunciatione, & an prælato viuente, alius ſit ei ſubſtituendus, & de mutatione ſedis, & quibuſdam aliis, nempe in Cauſa ſeptima & octaua, quæſtionibus variis exeuntiuntur prædicta materia.*

Initio *Cauſæ nonæ* ita Gloſſa. *Suprà in octaua Cauſa oſtenſum eſt de Epiſcopis, qui vſurpant ſibi eligere ſucceſſores. Nunc verò vult tractare de Epiſcopis excommunicatis, qui præſumunt Clericos ordinare, & de Archiepiſcopis, qui damnant Clericos ſui Suffraganei, inconſulto illo.*

Initio *Cauſæ decimæ* ita Gloſſa. *In ſuperiori Cauſa dictum eſt quòd iuris habet Archiepiſcopus ſuper ſuffraganeis ſuis. Nunc verò ſupponit decimam Cauſam, in qua oſtendit Gratianus, quid iuris habeat Epiſcopus in Eccleſiis ſui Epiſcopatus.*

Initio *auſæ vndecimæ*, Gloſſa. *In ſuperiori Cauſa oſtenſum eſt, quod Eccleſia cum omnibus ſuis poſſeſſionibus ad diſpoſitionem pertinent Epiſcoporum: ſed quia poſſet aliquis dubitare, ſub quo iudice Clerici debeant conueniri; ſub Eccleſiaſtico ſcilicet, an ſub ſæculari; ideò Gratianus hanc vndecimam Cauſam ſubnectit, in qua,* [primùm, id eſt in Quæſtione prima] *oſtendit, Clericos ſub Eccleſiaſtico iudice eſſe conueniendos.* [In 2. verò & 3. pleniſſimè de ſententia excommunicationis & cenſuris agit; cum quibus Cauſam XXIV. iungere præſtabit, vt & Cauſam XXVI. in qua de reconciliatione excommunicatorum & pœnis morientium.]

Ab *vndecima* itaque *Causâ* redire videtur ad ordinem & formam iudiciorum, quem *à Cauſa ſecunda* inchoaverat, & intermiſerat, inſertis Cauſis quatuor aliò pertinentibus, *ſeptimâ, octauâ, nonâ, decimâ.* *Ad cœptum, & interruptum ordinem redit.*

Argumentum verò, & ſubiectum *Cauſæ duodecimæ* ita Gloſſa proponit. *In undecima Cauſa, Q. 1. can. Inclita, & ca. Placuit (41. ſcilicet & 42.) Introduxit Magiſter Gratianus Clericos litigantes de rebus propriis. Sed quia poſſet dubitari, an Clerici debeant habere propria, quia prædeceſſores eorum omnia habebant communia; de quibus dicitur: Multitudinis credentium erat cor vnum & anima vna, nec quiſquam eorum aliquid ſuum eſſe dicebat, ſed erant eis omnia communia: ideò ſupponit hanc duodecimam Cauſam, in qua oſtendit, An Clerici propria poſſint habere? & annectit, De alienatione rerum Eccleſiæ, & vtrùm liceat condere teſtamenta.*

Initio *Cauſæ decimæ tertiæ*, Gloſſa. *Supradictum fuit in duodecima Cauſa, quòd quidam Clerici non debent habere propria: ſed aliquis quæreret, unde viuere debent? Oſtendit Gratianus, quòd de decimis & oblationibus viuere debent. Sed quia de decimis, & oblationibus, & ſepulturis, ſæpè oritur contentio inter Clericos, & etiam Laicos: ideò ſubnectit Gratianus hanc decimam tertiam Cauſam, in qua oſtendit, quid de decimis & oblationibus, & ſepulturis obſeruandum.*

Initio *Cauſæ decimæ quartæ*, Gloſſa. *Suprà in proxima Cauſa Clerici introducuntur litigantes de Spiritualibus. Nunc autem ſubnectit Gratianus hanc decimam quartam Cauſam, in qua introducuntur litigantes de Temporalibus, oſtendens, qualiter Clericis liceat repetere ſua, & an domeſtici teſtes ſint admittendi, vel aſſumendi. Addit etiam de vſuris, & de turpi quæſtu Clericis interdicto; & vtrum eleemoſynæ fieri poſſunt de malè acquiſitis.*

Initio *Cauſæ decimæ quintæ. Suprà in proxima Cauſa tractatum eſt de Auaritia, quæ obumbrat mentem Clericorum: ſed quia Incontinentia idem facit, ideò ſubnectit decimam quintam Cauſam, in qua de Incontinentia tractat, & de his, quæ fiunt mente alienata: & de aliis multis.*

Initio *Cauſæ decimæ ſextæ*, Gloſſa. *Magiſter hactenus de ſtatu Eccleſiarum egit, & ſæcularium Clericorum: ſed quia religione Monachorum multùm decoratur ſtatus Eccleſiarum; ideò in ſex ſequentibus Cauſis tractat de ſtatu Monaſteriorum, & Monachorum. In hac ergo prima Cauſa agit, de officio Monachorum, oſtendens, an valeant officia celebrare,* *Inſerit tractatum De ſtatu Monachorum, & ſeriem interrumpit.*

& eorum Capellæ debeant per eos inſtitui. Annectit etiam generali *præſcriptione tam Eccleſiarum, quàm Monaſteriorum; & quòd nullus* *toritate ſuâ rem, quam ad ſe credit pertinere, valeat vſurpare.* *etiam, quòd Laici nullam habent in Eccleſiis poteſtatem.* Omittim breuitatis cauſa, quæ in ſequentibus Cauſis, ad ſtatum Monacho pertinentia ſpecialiter, initio ſingularum, adnotauit Gloſſa.

Redit ad Clericos. Initio *Cauſæ vigeſimæ primæ*, Gloſſa. *Supra facta interpoſitione, quinque Cauſis de ſtatu Monachorum, reuertitur Gratianus ad tractat de ſtatu Clericorum; continuans ſuum tractatum, ex fine vltimi capi Cauſæ vigeſimæ, vbi dictum eſt, quòd Abbas non debet habere plures E cleſias, ſiue plura Monaſteria. Sed quia idem ſeruandum in Clericis, ſci- licet quod non debent habere plures Eccleſias; ideò hanc vigeſimam primam Cauſam ſubnectit, in qua oſtendit, quòd Clerici non debent haber plures Eccleſias, niſi in caſibus exceptis.*

Initio *Cauſæ vigeſimæ ſecundæ. In ſuperiori Cauſa tractatum eſt de obedientia Clericorum erga ſuos Epiſcopos: ſed quia quandoque quis iurat, ſe ſuo Prælato non obedire; ideò Gratianus hanc vigeſimam ſecundam Cauſam ſubnectit; in qua de iuramento tractat, & de mendacio; & quot comites iuramentum habeat.*

De Hæreticis aberrat paululùm à materia. Initio *Cauſæ vigeſimæ tertiæ. Suprà tractatum eſt de Catholicis, & dictum eſt, quod non ſunt cogendi ad malum. Nunc verò ſubnectit Gratianus vigeſimam tertiam Cauſ m, in qua de Hæreticis tractat, quærens an Epiſcopi Officio ſint cogendi ad bonum? Item quæritur, an militare ſit peccatum; & quod bellum debeat dici iuſtum, & quod iniuſtum, & an vindicta ſit inferenda, & an peccatum ſit iudici malos offendere, condemnando ſcilicet.*

Initio *vigeſimæ quartæ*, Gloſſa. *Suprà in vigeſima tertia Cauſa tractatum eſt de hæreticis: ſed quia Hæreticorum quidam ſunt m·nifeſti, quidam occulti, & quandoque excommunicat Eccleſia hæreticos; ideò Gra-ei.inus ſubnectit hanc Cauſam vigeſimam quartam, in qua tractat de omnibus iſtis.*

Nouus tractatus de Priuilegiis Romanæ, & aliarum Eccleſiarum. Initio *vigeſimæ quintæ*, Gloſſa. *Expeditò tractatu Hæreticorum, ſubiicit Gratianus vigeſimam quintam Cauſam, in qua tractat de Priuilegiis Romanæ Eccleſiæ. Tractatur etiam ſæpius in eadem Cauſa de Iuribus & Priuilegiis aliarum Eccleſiarum.*

Nouus Tractatus de diuinationibus, reconciliatione excommunicatorū, &c. Initio *vigeſimæ ſextæ*, Gloſſa. *Expedito tractatu de Priuilegiis, ſupponitur Cauſa vigeſima ſexta: in qua tractatur de diuinationibus, & reconciliatione excommunicatorum, & de pœna morientium.*

De Sacramentis, & primùm de matrimonio. Initio *vigeſimæ ſ·ptimæ. Gratianus primò tractauit de Officiis Clericorum; ſecundò de cauſis & negotiis eorum; tertiò transfert ſe ad Sacramenta: ſed quia Matrimonium cæteris Sacramentis eſt tempore antiquius, & vſu communius; ideò de illo præmittit.* Sequitur deinde interpretatio Ioannis prolixior, quæ continet breuem & elegantem ſynopſin totius materiæ de Matrimonio: *Et quia de matrimonio ſæpè quæritur in iudicio, ideò aſſignando multiplicia eius impedimenta, tract ·tus de eo, continuat decem Cauſas.*

Quis fuerit Ioannes Teutonicus? Eidem Ant. Au- Hæc Ioannes: de quo nota lectu digna reperitur, in *Paraleipomenis ſeu Auctario, ad Conradum à Liechtenau*, vulgò dictum Abbatem Vrſpergenſem ordinis Præmonſtratenſis, ad

annum

Digitized by Google

annum Domini 1256. *Hoc tempore floruit Ioannes Semeca Teutonicus Iuris Doctor, qui Herculeâ audaciâ primus aggreſſus eſt gloſſare Decretum, quod ante eum nemo; & poſt eum, nullus excellentiùs fecit.* Qui ſecutus eſt aliquot annis poſteà, circa annum Chriſti 1266. Bartholomæus Brixienſis, Collector Gloſſæ Decreti, ex eo plurima ingenuè profitetur ſe deſumpſiſſe, & in Notis *Ioannem* abſolutè aſcribit. Celſi verò animi, & ingenij acuti fuiſſe, ejus Notæ fidem faciunt, & quæ de eo ſubiiciuntur, in *dictis Paralipomenis. Hic Clementi IV. Summo Pontifici, tùm per Germaniam, ſicut Galliam, decimas à Clero in redemptionem terræ ſanctæ exigenti, appellationem oppoſuit: ſed Papa excommunicauit, & Præpoſitura Halberſtatenſi priuauit. Sed erant magni in Germania viri, qui Ioannem deſerendum non putabant. Mors verò, æquo pulſans pede pauperum tabernas, Regumque turres, hanc litem diremit, & Pontificem ac Præpoſitum è medio ſuſtulit.* Ioannes Andreæ eum reliquis, qui ejuſdem nominis plures ſcripſerunt in jus Canonicum, cenſet præferendum, non ex ordine, ſed ex fructu, in *Præfat. Clementinarum* in verbo *Ioannes.*

gustinus tribuit doctiſſima ſcholia quædam in quartam Collectionem.

Initio *Cauſæ trigeſimæ tertiæ Gloſſa. Poſt Matrimonij impedimenta expedita ſuperiùs, ſupponit Gratianus Cauſam trigeſimam tertiam, in qua tractat de impotentia coëundi, & de enormitate delicti, & de tempore Feriarum, & alia quædam annectit.* Et iterùm: *Tractavit Gratianus ſuprà de impedimento Matrimonij, quod procedit ex animo, & etiam de eo, quod procedit, tam ex animo, quàm ex corpore coniunctim. Nunc tractat in Cauſa iſta, de eo, quod procedit tantùm ex corpore. Tractat etiam de quibuſdam aliis impedimentis, vt de frigidis, & maleficiatis can. 1. & 3. & enormitate delicti, ut infrà, Quæſtione ſecunda Can. de his & ſequentibus; & de tempore Feriarum, vt infrà Quæſt. 4. per totum.*

Ordinis & tractationis interruptæ, ſi quis alius in Gratiano locus, hic maximè eſt obſervandus. A Cauſa vigeſima ſeptima cœperat agere de Matrimonio, cui decem Cauſas, propter materiæ vtilitatem & vbertatem deſtinaverat: tamen in *Cauſa trigeſima tertia Quæſt. ſecunda, Parte 6. can. 12.* deſultat. Ita enim Gratianuus ante *d. can.* præfatur. *De pœnitentibus quoque quæritur, an eis generaliter poſt pœnitentiam peractam, coniugia concedantur? Generaliter enim Canonica autoritate, prohibentur pœnitentes ad ſæcularem militiam redire, vel Matrimonia contrahere.*

Aberrat Gratianus.

D. Pœnitentia.

In ſequenti *Quæſtione 3.* primæ digreſſionis occaſione leuiſſimâ raptâ, alienum planè à propoſita materia de Pœnitentia Tractatum interſerit; cuius licèt nimiùm longæ intercalationis, monitos voluit Gratianus. Ita enim initio *d. Quæſt. His breuiter decurſis, in quibus extra negotij finem, aliquantulùm evagati ſumus,* (nempe in 2 *Quæſt. d. Cauſæ xxxiij.* incidentes tantùm quæſtiones, & propoſito non planè cohærentes, tractauerat; maximè verò *à capite 12. d. Q. 2. vbi 6 pars de Pœnitentibus) ad propoſita Cauſæ tertiam Quæſtionem pertractandam, qua quæritur, Vtrùm ſola cordis contritione, & ſecreta ſatisfactione, abſque oris confeſſione, quiſque poſſit Deo facere, redeamus.* Ita enim vno ductu in MSS. Gratiani exemplaribus, remotâ diſtinctionum notâ, legi, aſſeruit Contius, & poſt Contium, Romani Correctores, his

verbis : *Initio d. Q. 3. Gratianus , ad explicandam hanc tertiam Quæſtionem , multa attulit ; quam per longam tractationem , qui eam ſecuti ſunt , in ſeptem Diſtinctiones diuiſerunt. In antiquioribus enim exemplaribus , nulla eſt Diſtinctionum ſeparatio : in aliquibus verò in margine tantùm eſt , Diſtinctio prima , ſecunda , &c.* & iterùm ad hæc verba : *Vtrùm ſola. Hæc coniungenda ſunt cum ſuperioribus , quemadmodum in peruetuſtis ſunt coniuncta : ab illis enim pendent.*

Gratianus non tanquam erro , ſed planè fugitiuus , poſt longas moras & euagationes *de Pœnitentia* , iocò , an ſeriò inſertas , quia Matrimonium aliquando comes ſequitur Pœnitentia ; redit ad materiam *de Matrimonio* , in *Quæſt. 4. d. Cauſæ xxxiij.* vſque ad *Cauſam xxxvj.* in qua deſinit ſecunda Pars Collectionis Gratiani.

Tertia Pars & vltima ſupereſt , quæ breuiſſima : huic titulus , *De Conſecratione*. In cuius initio , Gloſſa. *Expleto tractatu Matrimonij , quod eſt commune omnium Nationum , explicitis etiam varijs Cauſarum conflictibus ; agitur de Sacramentis , quæ neceſſaria ſunt ad ſalutem , & hoc ordine. Primò , De Eccleſiarum conſecratione. Secundò , De Sacramento Euchariſtiæ. Tertiò , De ſolemnitatibus Feſtiuitatum. Quartò , De Sacramentò Baptiſmi. Quintò , De Confirmatione , & diuinis Officiis , & Ieiuniis ; & in fine , De Spiritu ſancto : & ſic Tractatus iſte in quinque Diſtinctiones eſt diſtinctus. Et notandum quod cùm in aliis Tractatibus Magiſter interſeruit ſuos §§. & ſolutiones , in hoc Tractatu non niſi duos poſuit §§ vnum , in prima (* nempe in fine *can. 50.) , alium in quarta Diſtinctione ,* nempe in fine *can. 19. & 20. Hoc ideò , quia de Sacramentis ſobriè eſt loquendum , in quibus etiam vera loqui , periculoſum eſt.*

Ordinem ſuprà expoſitum ratione materiæ , ipſe Gratianus , & primæ Collectionis , qui floruit paulo poſt Gratianum , Collector ; itemque vetuſtiſſimi Gratiani ſequuntur Interpretes. Ipſe Gratianus , ad *can. 6. Neceſſaria Cauſa 1. Q. 7. §. Priſcis igitur. Require ſuprà in Tractatu Ordinandorum* , intelligit *can. 1. Diſt. lv.* & poſt *can. 48. vij. Q. 1. Tu bonus tolera malum , &c. Infrà de tolerandis malis in prima Cauſa hæreticorum , indicat can. 2. Cauſa xxiij. Q. 4.* Gratianus ad *can. 19. de Conſecrat. Diſt. iv. Diaconos quoque propriam , ut ſuprà , in Tractatu Ordinandorum ,* indicat *can. 13. Diſt. xix.* Iterùm ad *cap. 20. de Conſecrat Diſt. iv.* Gratianus. *Vnde Vrbanus Papa II. ſuper quibus conſuluit , &c. vt ſuprà in Tractatu coniugij , vbi de Compatribus agitur ,* indicat *can. ſuper quibus 4. Cauſa xxx. Q. 3.* In *prima Collect. Decretal. in fine cap. 9. de electione. Illud autem , quod de Epiſcopi conſecratione ,* indicat *can. 1. Diſt. lxvj.* quod & præſtantiſſimus Antonius Auguſtinus ad eum locum adnotavit. Plura quiſque per ſe poterit exempla perquirere , digitum ad fontem intendiſſe ſufficit.

Quæ de perplexà & ſæpiùs interruptâ Gratiani methodo , prolixiùs & accuratiùs diſſeruimus , deprompta ſunt ex variis obſervationibus , quas diverſis temporibus , in vſus priuatos ſedulò adnotaueramus ; in præſenti publici iuris facimus , in commodum ſtudioſorum. Iuuabit tamen meminiſſe Gratianum , Magiſtri , Doctoris , & Interpretis tantùm , nomen & dignitatem , & apud veteres , & apud recentiores ob-

tinere. Stephanus Epiſcopus Tornacenſis, qui ſub Alexandro III. floruit, *Magnum Canonum Interpretem appellat, in Epiſtola* 1. Gloſſa, & veteres Interpretes, Magiſtrum, & tanquam in Magiſtri verba non addicti iurare, nonnunquam ab eo recedunt, & eius ſolutiones improbant; quas Canonibus, tanquam emblemata quædam interſerit: negant verò alicuius ſummi Pontificis autoritate, Collectionem Gratiani fuiſſe confirmatam, ſicut monuimus ſuprà. Præſtabit trium, ſummæ dignationis & eruditionis Interpretum Iuris Canonici, Durantis, vulgò Speculatoris, Ioannis Andreæ, & Panormitani, de Gratiano ſententias, ex ipſorum ore, & verbis referre.

Durandus propriè dictus non eſt Speculator, ſed Guilelmus Durantes.

Durantes *lib. 2. Speculi, partic. 2. de diſputat. & allegat.* in fine, ait Rubricas Iuris Ciuilis, & Decretalium, eſſe authenticas, & ius facere. *Secus autem eſt in Rubricis Decretorum: tum quia alius fuit Conditor Decretorum, & alius earum; tum quia illæ quandoque falſa reperiuntur*, &c. Idem, ante Durantem, Azonem adnotaſſe, ſuprà notauimus. *Ioannes Andrea* etiam ad citatum Durantis locum obſeruauit, & plenius explicat ad *cap. 2. de Reſcriptis extra*, in hæc verba vltima Gloſſæ pen. *Et in predictis iuribus contraria loquuntur ſecundùm leges, ſecus ſecundùm canones.* Et ibi, *ſecundùm leges. Ergo Canonizatio, non facit eam*, legem, *valere in foro Canonico, ex quo canoni contraria reperitur, & eſt ſimile, &c. Sit ratio, quia Gratianus, ponendo legem in volumine Decretorum, canonem illi contrarium tollere, vel corrigere non potuit. Non obſtat, ſi dicis Librum Decretorum fuiſſe per Papam approbatum, quia nec hoc conſtat. Et dato quòd conſtaret; approbatio fuit, quoad Compilationem, non quoad dicta Gratiani, quæ quotidie reprobamus. Et idem in Libros Sententiarum, de quo vide quid dicam, De Bigamis, Debitum, ſuper verbo, Cognitam. Non obſtat quod notatur Secunda Q. 1. In primis verbis, De Perſona Ianuarij, in Gloſſa ſecunda: quia ibi lex canonizata eſt, id eſt, in Corpore Canonis per Papam inſerta, non per Gratianum ſimpliciter, in volumine Decretorum. Item illa non eſt contraria canoni, ſed legi. Eſt ſimile quod dicam de Libro vſus Feudorum: infrà De Feudis, cap. 2.* Hactenus Ioannes Andreæ doctiſſimè. Panormitanus eum ſequitur in Proemio Decretalium. *Et Concluſio eſt, quòd, aut quæritur de Rubricis Decretorum: & in illis non eſt licita argumentatio, quia non ſunt authentica; tum quia non fuerunt edita à Magiſtro Gratiano,* (in quo tamen fallitur: nam pleraſque edidit Gratianus; imò & illas tanquam ſuas allegat aliquando, vt ſuprà probanimus) *ſed à quodam alio* (quod in aliquibus tantùm locis verum eſſe ſuprà probauimus); *tum quia aliqua reperiuntur falſa, & corrupta, vt dicit Gloſſa, in can. Charta iii. Q. 9. quam nota. Et ſic excepta prima Rubrica, quæ eſt authentica, ſecundum Speculatorem, & Ioannem Andream, ibidem. Sed non video, vnde ſumant autoritatem: quia non apparet quod etiam ipſum volumen Decreti fuerit approbatum, vt notat Ioannes Andrea in cap. 2. De Reſcript. & patet etiam ex ipſius inſpectione Decreti, vbi nec in principio, nec in fine dicitur, quod fuerit approbatum. Item Rubrica prima Decreti non loquitur diſpoſitiuè, ſed tantùm fuit poſita ad Declarationem Libri. Fateor benè, quòd illa Rubrica declarat finalem intentionem illius Compilationis: vnde potiùs debet dici*

Digitized by Google

vera, quàm authentica. Et rectè Panormitanus. Quare æquum eſt benignos Lectores cognoſcere, atque ignoſcere, quæ veteres factitarunt, ſi faciunt novi; & nobis condonare, vbi cum ratione à Gratiano recedimus. Poſtremò, nec adhuc pœnitet, ſummi viri Antonij Auguſtini judicium de Gratiano nos eſſe ſecutos: in qua ſententia pertendimus, quam pleniùs explicauimus aliàs; potiſſimùm in oratione habitâ publicè, *De recta Iuris Canonici docendi & diſcendi ratione.* Breuiter in eam coniecimus, quæ maximè in Gratiani Collectione cauenda exiſtimamus: ideoque ne quid deſit, in fine Tractatuum noſtrorum iterum curauimus excudi.

Ad Collectionem Decretalium Gregorij IX. deuenimus. Sicut enim Iuſtinianus à Triboniano Codicem componi curauit ex tribus Codd. antiquis, Gregoriano, Hermogeniano, Theodoſiano, & ex aliorum Imperatorum Novellis Conſtitutionibus, quæ poſt tres illos Codd. fuerunt editæ, & ex propriis prætereà, quas plurimas poſteà promulgârat: Ita etiam Gregorius IX. ex Collectionibus quinque præcedentibus, de quibus ſigillatim dicemus, hanc poſtremam abſolui curauit à Raymundo à Penna forti. Cui Collectioni multas Conſtitutiones addidit ipſe Gregorius, vel emergentibus nouis negotiis, vel proprio motu, pleraſque ex Iure Ciuili petitas. *Sanè diuerſas Conſtitutiones, & Decretales Epiſtolas noſtrorum Prædeceſſorum, &c.* Quæ ut intelligantur, obſeruandus ordo Antiquarum Collectionum Decretalium.

Decretales Gregorij IX. ex quot & quibus Collectionibus, & Conſtitutionibus ſint compoſitæ. Gregorius circa an. 1227. floruit. Decretales autem edebantur olim Cardinalium aſſenſu; ſed hodie eorum aſſenſus non cenſetur neceſſarius. Marca *lib. 1. de Concordia, cap. 9. §. 7. & 8.* Nicolaus de Cuſa, *lib. 2. cap. 18. & 21.* Imò de maioribus Cauſis ſententiam proferre S. Pontifex non debet, niſi adhibitis Cardinalibus, Oſtienſis ad *cap. ſicut vnire. de exceſ. Prælat. & ad cap. 2. de Cler. non reſid.* & Ioa. Monachi ad *cap. ſuper eum 4. de hæret. in 6.*

De primâ Collectione. Prima paulò poſt Decretum Gratiani compoſita eſt à Bernardo Papienſi Præpoſito, quam ipſe *Breuiarium extrauagantium* appellat; *quod de veteri Iure & nouo Compilaſſe*, in *Præfatione* profitetur, ordinem ferè Iuſtin. Codicis ſecutus. Supplementum itaque quoddam Gratiani videtur hæc Collectio; ideoque ad Gratianum Collector aliquando nos remittit, vt *in cap. 9. de Elect. & Elect. poteſt. in fin. in prima Collect.* ad quem locum vide Notas doctiſſimi Auguſtini, & ad verba Præfationis, *De veteri nouoque Iure.* Vel enim ex antiquis Conciliis & Patribus addidit quædam Bernardus, à Gratiano omiſſa; vel nouas Pontificum Conſtitutiones, nempe poſt Gratianum editas, inſeruit. Quare *Extrauagantium* Liber appellatur; quia extra Decretum Gratiani huiuſmodi ſcripta, & Conſtitutiones vagabantur. Eademque forma reſpectu Gratiani, poſſunt vocari Extrauagantes, reliquæ omnes Collectiones, tam antiquæ; quas vulgò appellamus, quàm noſtræ: imò & Sextus Bonifacij, & Clementinæ, & reliquæ, vt rectè notauit *Cuiacius ad cap. 4. extrà de Sponſalibus.* Et quidem rectè. Nam omnes illæ Collectiones, ſunt quædam Supplementa, & Continuationes Gratiani.

III. Primæ autem Collectionis Decretales nouiſſimæ Alexandrum, &

Lucium III. Autores præcipuos habent [& alios uſque ad Cæleſtinum III.], Antiquiores pauciſſimæ. Verùm primæ huius Collectionis propoſitum, & Methodus, apertiùs explicari non poteſt, quàm ex *Nota* veteris Interpretis *Collectionis primæ*, cuius partem tantùm doctiſſimus Auguſtinus exſcripſit, & Vincentio Hiſpano tribuit. Integram repræſentamus ex Tancredi *Gloſſis in Collectionem primam*, MS. exemplar nacti, beneficio doctiſſimi viri *Claudij Menardi Iuliomagi Andium Proprætoris. Quia non omnia poterant in Decretorum corpore comprehendi, vt Diſt. xix. Si Romanorum; ideò Magiſter B. Papienſis Præpoſitus hoc opus compilauit; cuius intentio eſt, diuerſa extragantia Romanorum Pontificum, & autoritates Noui & Veteris Teſtamenti compilare ſub titulis. Materia ſunt ipſæ Conſtitutiones, ſeu Decretales. Vtilitas, vt ſciamus diſcernere inter æquum & iniquum. Modus agendi talis eſt. Diuiditur opus in quinque partes. In prima, Tractat de Conſtitutionibus, & Reſcriptis, & Iudicibus, & eorum Officiis. In ſecunda de Iudiciis, & cooperantibus ad iudicia, ſcilicet teſtibus, inſtrumentis. In tertia, de vita & honeſtate Clericorum, & rebus eorum. In quarta, de ſponſalibus, & Matrimonio, & impedimentis eorum. In quinta, de accuſationibus Clericorum, & criminibus & pœnis eorum.*

Sedit annis 22. Lucius III. annis 4. tantùm, obiit an. 1185. menſe Nouembri.

De Secundâ, Quæ 12. an. poſt primam facta eſt. In ea quædam ſolent admiſceri ex Conciliis, & Patribus, de veteri Iure; ſicut & in primâ Collectione ad Supplem. Gratiani.

Secunda Collectio ter à tribus confecta eſt Gilberto, Alano, & Ioanne Vallenſi. Præualuit tamen ea, quam ex duabus Prioribus Vallenſis compoſuit, ex ruinis, vt ait Tancredus, duarum Collectionum Gilberti & Alani, quæ interciderunt. Suſpicatur doctiſſimus Auguſtinus eam eſſe Alani, quæ in Conciliorum editionibus vulgò ſubiicitur, ſine nomine Autoris, poſt Concilium Lateranenſe ſub Alexandro III. Hæc itaque [ipſa eſt] quæ ſecundæ Collectionis nomen obtinuit; quamuis aliquando vetuſtiſſimi Interpretes meminerint Extrauagantium Alani, vt notat Auguſtinus, in *Notis primæ Collectionis ad cap. 13. tit. 1. lib. 3.* quia vel aliquid diuerſum, vel plenius in ea continebatur. Continet itaque Conſtitutiones Alexandri III. & ſeqq. Pontificum, potiſſimum verò Cæleſtini III. qui anno 1198. obiit menſe Ianuario

De Tertiâ.

Tertiam Collectionem ex Regiſtris Innocentij III. Bernardus Compoſtellanus fecerat, quæ non recepta. Itaque tres illæ priuatâ autoritate, à priuatis Magiſtris compoſitæ fuerunt. Primus Innocentius III. aliam, *quam vocamus Tertiam*, confici iuſſit, & autoritate publicâ muniuit: quæ ſine ſcrupulo, tam in iudiciis, quàm in Scholis reciperetur. Compoſita eſt ex Libris duodecim Regiſtrorum Innocentij III. in qua conficienda, operâ Petri Beneuentani Diaconi & Notarij ſui vſus eſt [anno 12. Pontificatus ſui,] vt conſtat ex *Præfatione dictæ tertiæ Collectionis*, quæ Confirmationem continet. Meminit etiam huius Collectionis *Chronicon Vſpergenſe*, & Tancredus in optimo fragmento, edito à doctiſſimo Boſqueto in *Notis ad Regiſtrum Innocentij III.* pag. 48. Hanc tertiam Collectionem Gloſſa *in cap. 18. De Præbendis & Dig.* in verbo, *Confirmationem*, vocat abſolutè, *Innocentij Compilationem*; ex qua citat *cap. 1. de re indic.* quod reperitur eodem ordine *in tertia Collectione*. Notandum prætereà, dubiæ & incertæ eſſe fidei primam & ſecundam Col-

lectionem. Hoc amplius Tancredus notat quaſdam falſas eſſe inſertas Decretales, quæ in Regiſtris non extant. Iunge Tancredi notam, quam ſubiecit Auguſtinus, in fine *Notarum primæ Collectionis*. Idipſum *Præfatio* tertiæ Collectionis ſubindicat. Quaſdam tamen ex his, quæ falſæ dicuntur à Tancredo, in Decretales Gregorij IX. irrepſiſſe aliquando probabimus; ſicut & præpoſterè *cap.* 14. *De Renunciat.* tribuitur Honorio, cùm ſit Gregorij IX. & contra *cap.* 15. *De tempor. ordinat.* tribuitur Honorio, cùm ſit *Innocentij III.* Extat integrum *in Lib.* 13. *Regiſtri Innoc. III. Epiſtola* 194. Habet enim ſuos nævos poſtrema Collectio Decretalium. Aliquos in ſequentibus Tractatibus indicabimus; ſed facilè vtilium multitudine compenſabuntur.

De Quartâ Collectione.

Quartam Collectionem idem *Innocentius III.* ex Concilij Generalis Lateranenſis Canonibus, & ſequentibus Libris Regiſtri poſt duodecimum colligi curauit; cuius opera, non liquet: nec enim Tancredus, in *frag. ſuprà citato*, ait, *ſe confeciſſe Collectionem quartam, ſed tantùm in Gloſſis tertia Collectionis, quas ſcribere parabat, promittit ſe adnotaturum, ſi quid poſt annum duodecimum Innocentij III.* id eſt, poſt Collectionem tertiam, *immutatum fuit, vel ab ipſo Innocentio, vel à Concilio Generali Lateranenſi.* Tertia verò, & quarta Collectio Innocentij ſolius Conſtitutiones continent. Hæ quatuor Collectiones antiquæ, editæ ſunt ab Auguſtino; quibus manuſcriptis ante Auguſtinum Contius vſus fuerat.

De Quintâ Collectione.
Sedit Honorius x. annis & VIII. menſibus, & mortuus eſt anno 1227. menſe Aprili.
Nuper Toloſæ edita eſt ab Innocentio Cironio.

Quinta Collectio promulgata eſt autoritate *Honorij III. & de ipſius Conſtitutionibus tantum*, vt ipſe loquitur in *Epiſtola ad Tancredum in quinta Collectionis principio*, autore Contio in *Decretalium Præfatione*. Confirmatur autoritate *Ioannis Andreæ*, initio *Commentarij ad Decretales Gregorij IX.* Collectio quinta nondum eſt edita, quam tamen manuſcriptam Contius habuit; ex qua quædam adſcripſit ad Decretales Honorij, quæ repetita ſunt, in nouiſſima Pariſienſi editione Decretalium. [Bernardum ea etiam vſum fuiſſe conſtat ex ſpecie, quam proponit ad *cap. penult. de ord. cognit. & cap. vlt. de Cauſa poſſ. ſſ. & propriet.*] Panormitanus quoque, eam habuit, & Dominus Cuiacius, vt conſtat ex Notatis ab eo ad *cap.* 63. *de Appelat. & ad tit. de frigid. & malefic.*

Nec obſtat quòd Oſtienſis in *Summa Decretalium*, numeret octo Collectiones, quæ Gregorianam præceſſerunt. Si enim Gilberti, & Alani, & Bernardi Compoſtellani, tres, quæ non obtinuerunt, quinque reliquis addiderimus; Octo Collectionum numerus colligetur.

De Collectione Gregorij IX. quam ſolemus in Scholis prælegere.
Sedit an. 14. obiit verò an. 1241.

Ex Conſtitutionibus, quæ in illis quinque Collectionibus continebantur, vel ex aliis, quæ omiſſæ erant à Collectoribus, & extra eas vagabantur, vel quæ poſteà editæ fuerunt, ab ipſo Gregorio IX. Succeſſore Honorij III. hæc noſtra Collectio Decretalium compoſita eſt. Quod in Præfatione ſatis explicatur, cui tantùm Matthæi Paridis autoritatem, in Henrico III. addemus. *His quoque temporibus, Gregorius Papa IX. videns Decretalium tædioſam prolixitatem, ſub quodam compendio eas eleganter abbreviatas, & collectas ſolenniter, & authenticè; per totius mundi latitudinem legi præcepit, & diuulgauit.* [*Illas au-*

tem ab autore ipſarum Gregorianas appellamus, ſic incipientes, Rex pacificus, &c. *In quibus quadam innouauit, ne ſcilicet illegitimi in Prælatias vel Eccleſiaſtica beneficia, niſi adepta à Sede Romana legitimationis diſpenſatione obtineant: ſciens inde Curia Romana pro impetratione tali multa emolumenta prouenire, ſicut ex ſtatuto Innocentij pro diſpenſatione plurium Beneficiorum obtinendorum.* Intelligit vero *cap. ult. Extra d filiis Presbyterorum & cap. de multa de Præbendis.*] Vſus eſt autem operâ Raymundi à Penna forti ſui Cappellani, vt ex *Præfatione* conſtat, ſcripta anno Chriſti 1230. Martinus Polonus, qui & Innocentij III. & Honorij compilationem meminit, ita de Gregoriana loquitur. *Hic Papa, per Fratrem Raymundum Ordinis Prædicatorum, Pœnitentiarium, & Capellanum, ex pluribus Voluminibus Decretalium compilauit vnum volumen, mandans vbique Doctoribus illo vti.* Quæritur tamen, cur Raymundus retinuerit plerumque principia & prima verba ſingulorum capitum antiquarum Collectionum; quamuis ſenſum non perficiant: & ipſe Raymundus in Præfatione ſignificauerat ſe ſuperflua & inutilia reſecaſſe. Ioannes Andreæ ad *cap. Nobis fuit De Iure Patronat.* aptè reſpondet. *Quare non incepit Compilator hic Decretalium, deciſo verbo, Nobis fuit, ſicut ſuprà de appellat. infrà de ſentent. excomm. Inquiſitioni Dic ad hoc & ſimile: illud principium reſeruatum propter contemporaneos huius Compilationis, qui priùs ſtuduerant, & propter Gloſſas antiquas, allegantes hæc principia. Vnde ſi, quod abſit, hodie mutaretur Gregoriana Compilatio, magna eſſet noſtra confuſio, mutare principia Decretalium. Factum ergo, vt remaneret in his notitia, nec turbaretur memoria: & ſic non obſtat Prœmium, ibi, reſecatis ſuperfluis.* Hodie verò editis quatuor Collectionibus, vtilitas Principiorum magis apparet.

Antiquarum iatque Collectionum enumerationem facere neceſſarium viſum eſt. Conſtitutiones enim integriores reperiuntur in illis. Nam licèt Raymundus dicat, *Ex his ſuperflua ſe reſecaſſe* tantùm; rectè *tamen* Gloſſa & reliqui accurati Interpretes veteres ac noui, conqueruntur vtilia multa reſecuiſſe: imò aliquot vtiles Conſtitutiones prætermiſiſſe. Origines itaque, & fontes Decretalium ſingularum iuuabit inquirere ex antiquis Collectionibus; quod Contius inchoavit primùm in editione Antuerpienſi; adnotatis etiam quibuſdam, vt diximus, ex quinta Collectione manuſcripta. In Romana verò editione idem, Franciſcus Pegna vir doctiſſimus, vnus ex ſelectis Correctoribus Romanis præſtitit accuratiùs, & adnotauit initio cuiuſque Decretalis: de quo ſic Antonius Auguſtinus in *Indice ſelectorum Virorum*, qui Gratiani emendationi præfecti ſunt à Pio IV. & V. *In Notis ad cap. 20. lib. 1. Dialogorum, de emendat. Gratiani in fine. Franciſcus Pegna Hiſpanus, cuius ſunt Additiones Decretalium, ſine nomine; quia Templum Dianæ incendiſſe viſus eſt.* Doleo tamen & moneo, nec abs re, vnicum Gallum Arnaldum Pontacum, & ſerò adhibitum. Reliqui omnes fuerunt, aut Itali, aut Hiſpani. Quinta tamen Collectione Honorij non eſt vſus Pegna. Quare ſingularia ſunt, quæ ex ea Contius adnotauit. Neque tamen, vel Contius, vel Pegna, omnes origines indicauerunt Decretalium editarum ante Gregorium IX. Suppleri poſſunt ex *Libris*

Vtilitas, quæ ex veteribus Collectionibus percipitur.

Regiſtrorum Innocentij poſteà editis, & aliis Scriptoribus. Nam ad Regiſtrorum literam recurrere debemus, vt vel emendetur Decretalis, vel eius autoritas probetur, vt ex Tancredo notauimus ſuprà. Quam viam etiam monſtrat Innocentius IV. *in Præfatione Apparatus ſui in Decretales.*

De Sexta Collectione.

Collectioni Gregorij IX. quæ quinque Libris conſtat, addidit ſuam Bonifacius VIII. quam ideò ſextum Librum nuncupavit. Continet ſelectas Conſtitutiones tam ipſius Gregorij IX. [de cuius extravagantibus videndus Cuiacius ad *cap. penult & vlt. de teſtibus*,] quàm aliorum ſequentium. In qua Collectione præualent Conſtitutiones Innocentij IV. & Gregorij X. & ipſius Bonifacij: [quia ſub eorum Pontificatu duo generalia Lugdunenſia Concilia habita ſunt. Ante tamen Bonifacium VIII. Innocentius IV. Collectionem Decretalium ediderat & promulgaverat, in quam ſcripſit Oſtienſis: quæ appellabatur *extrauagantes* Innocentij IV. cuius omnes ferè Decretales Bonifacius VIII. in Sextum retulit.]

Poſt Gregorium IX. Sedit Celeſtinus IV. anno uno & 8. menſibus. Poſt Celeſtinum ſedit Innocentius IV. Genuenſis annis 11. & 6. menſibus, qui in Synodo Lugdunenſi excommunicauit Fridericum II. Obiit anno 1254. Bonifacius verò VIII. ſedit annos 8, obiit anno 1294.

Sic de Sexto Martinus Polonus. *Anno Domini* 1297. *Bonifacius Sextum Librum Decretalium, quem fieri iuſſerat, publicauit.* Adde omninò, quæ Ioannes Andreæ in fine *Commentarij Regularum Sexti*, ad hæc verba *Datum Romæ.*

De Collectione Clementinarum.

Sequuntur Clementinæ, quas Clemens partim ex Canonibus Concilij Viennenſis; partim ex propriis Conſtitutionibus confici curauerat, tamen morte præventus non publicauit. De qua Collectione ita Martinus Polonus in *eius vita*, & Auctor *eius vita* nuper editus. *Anno* 1312. *die* 12. *Kalend. Aprilis, in Caſtro de Montiliis*, (Monteoux,) *iuxta Carpentoractum, vbi Curia tunc morabatur, Papa fecit publicari coram ſe in Conſiſtorio Conſtitutiones, quas prius fecerat ordinari, ex quibus decreuerat Septimum Librum Decretalium fieri: & exinde cœpit ægrotare. Et ſic Conſtitutiones illæ per quadriennium remanſerunt ſuſpenſa, nec expoſita ad communiter habendum, nec ad ſtudia generalia, vt moris eſt, deſtinata; donec poſtmodum anno Domini* 1317. *menſe Nouembri, per Succeſſorem eius Ioannem fuerunt publicata, & ſub Bulla ad Studia Generalia directa.* Pleniſſimè ea de re Gloſſa Clementinarum, in *illa Præfationis verba:* Vſuri de cætero in iudiciis & Scholis. Placuit ex illa Gloſſa, quædam verbatim referre, pertinentia ad Canones, quos ex Viennenſi Concilio, in Clementinas retulit Clemens V. ſub quo Viennenſe Concilium fuit celebratum. *Circa hoc ſciendum, quod Conſtitutiones Concilij licèt non omnes fuerint in Concilio publicatæ, tamen poſteà de facto fuerunt publicatæ, & ipſarum habita copia, & iam habebatur, quòd ligarent. Et quia patuit aliquas ex illis ineptè, aliquas prolixè, aliquas defectiuè compoſitas, aliquas etiam non expedire: voluit Clemens, quod compoſitio illa procederet; ſed vt fertur, ſub excommunicationis pœna mandavit, quòd iſtas habentes, infra certos dies, reſtituerent Cameræ, vel incenderent, vel dilacerarent etiam eaſdem. Lenūm per* peritiores

peritiores fecit illas recenſeri, qui aliquas & paucas in totum reſeruauerunt, aliquas in totum reſecarunt, aliquas mutauerunt quoad verba, mente ſeruatâ; in aliquibus menti & verbis detraxerunt, & addiderunt. Et has, licèt non ſub his verbis in Concilio publicatæ fuiſſent, voluit ſub nomine Concilij reſervari, & multas Conſtitutiones vtiles addens, de quibus non fuerat in Concilio tractatum, &c. Vide omninò locum integrum. Autor huius Notæ Ioannes Andreæ, qui in *Clementinas* ſcripſit ex profeſſo. Adi eundem in prima verba *Præfationis Clement. Quoniam nulla*: & iunge quæ idem accuratè ſcripſit ad *Præfationem Sexti*; potiſſimum ad ea verba: *Earumque Autoribus dubitatur*; & ſequentia: *Abbreuiatis, In toto, Mutatis, Correctionibus, Detractionibus, Additionibus, Vidimus.* Ex quibus colligere poſſumus, quantùm ſibi Summi Pontifices vindicent, non tantùm in ſuorum Deceſſorum Conſtitutionibus, ſed etiam in Conciliorum Canonibus, Collectionibus Decretalium inſerendis: idem nempe Ius, quod Iuſtinianus, in veterum Iuriſconſultorum Libris, & Anteriorum Imperatorum Conſtitutionibus. Hoc feliciores Iuris canonici ſtudioſi, quòd fontes & origines Iuris canonici veteris & noui, ferè omnes, cum cura & ſolertia, non ſine ſumptu & labore tamen, deprehendere & ſcrutari valeant. Iuris Ciuilis ſtudioſis, tam beatis eſſe non licet.

De Extrauagantibus Ioannis, & de Extrauagantibus communibus.

Collectæ poſteà fuerunt à priuatis Collectoribus, Conſtitutiones xx. à Ioanne Papa editæ; & Extrauagantes quædam communes, nempe à diuerſis Pontificibus, qui vel ante Ioannem XXII. vel poſteà vixerunt, compoſitæ. Extravagantes verò, tam Ioannis, quàm communes, ſicut & reliquæ Conſtitutiones Pontificum ſequentium, licèt à priuatis Collectoribus collectæ; tamen habent vim & robur in iudiciis, ſi fides eis adſtruatur, vel ex Regiſtris, vel ex Plumbo, & ſigilli forma: qua de re vide [*cap.* 8. *Extra de fide inſtrum.* & ibi Interpretes, vbi nota ex *antiqua* hæc verba: *De quibus nec per Bullam conſtitit, nec ipſæ per Metropoles fuerunt inſinuatæ.*] Adde *Præfationem Extrauagantium Ioannis*, ſcriptam à Franciſco de Pauinis; vbi de *Regulis Cancellariæ, & Deciſionibus Rotæ*: Quibus iunge doctiſſimum *Tractatum* Franciſci Pegnæ, *de Extragantibus, in fine Directorij Inquiſitorum.*

Obſeruatio tam ad Sextum Bonifacij, quàm ad omnes Decretales.

In Gallia notandum, Sextum Bonifacij non habere eandem vim, atque reliquas Compilationes, propter graves inimicitias, quæ inter Bonifacium & Philippum interceſſerunt: quod & obſeruauit Gloſſa ad *cap.* 16. *de Electione in* VI. Ita ſecundùm aliquos, Conſtitutiones iſtius Compilationis non ſunt receptæ in hoc Regno. Quæ verba Gloſſæ & alia quædam ad Regum noſtrorum Regalia pertinentia, Romanos Correctores deleuiſſe, quidam viri docti fruſtrà ſuſpicantur. Nam & in editione Molinæi deſiderantur; quæ profectò non omiſiſſet. Veroſimilius eſt ab aliquo Gallo Doctore, Gloſſis fuiſſe inſerta. Quinimò Decretalium nullæ Collectiones publicâ autoritate, in Galliâ receptæ fuerunt: & notandum quod ait Molinæus, in *Commentario ad Edictum Henrici II. contra paruas datas, Gloſſa* 15. *num.* 1209. extare in Regiſtris Regiis [ſub Philippo Auguſto] conſilium, ab Eudone Burgundiæ Duce Regi datum, *ne novas permitteret illas Conſtitutiones Paparum, in Regno ſuo admitti.* Et certum eſt nullomodò admitti, in his, quæ ad

Cur ergo, inquies, leguntur in Scholis? Solue ex iis, quæ diximus ex Philippo Pulchro in fine *Diſſertationis*

præcedentis. De huiuſmodi Conſilio plenius Illuſt. Marca *lib. 4. de Concordia, cap. 15.* Extat *tomo 2. libertatum Eccleſiæ Gallicanæ.*

Iuriſdictionem ſæcularem pertinent. Imò nec per omnia in ſpiritualibus, ſi aduerſentur Libertatibus & Iuribus Eccleſiæ Gallicanæ. Quod mirum non eſt, cùm & Curia Romana non recipiat omnes Decretales, quamuis publicis Collectionibus contineantur. Quæ verò extra Collectiones publicas vagantur, & ab anterioribus Pontificibus ſunt editæ, nullam vim & robur habent in Iudiciis, Bonifacius in *Præfatione ſua in VI.* ſub finem. Editæ tantùm Conſtitutiones poſt publicas Collectiones valent, dummodò de earum fide & publicatione conſtet, Ioannes Andreas in *Notis ad dictam Præfationem.* Quò pertinent quæ ſuprà de Extrauagantibus diximus: [quibus adde *cap. 8. de fide Inſtrumentorum.*] Nec apud nos valent, niſi publicâ autoritate, vel vſu receptæ fuerint; ſicut de quibuſdam Regulis Cancellariæ notum, [quæ uſu & moribus noſtris comprobatæ ſunt.]

Decretalium Methodus.

In Decretalibus autem componendis eam methodum eſt ſecutus Raymundus, quam in antiquis Collectionibus ſeruatam deprehenderat. Nempe Decretalium Collectores Codicis Iuſtinianæi artem ſecuti ſunt. Statim enim, poſt *tit. De Summa Trinitate*, qui eſt Primus, partes & ſpecies Iuris canonici, ſcripti & non ſcripti, tribus titulis explicantur, de *Conſtitutionibus*, de *Reſcriptis*, & de *Conſuetudine.* A quinto verò titulo, vſque ad *tit. de Pactis*, de Conditione, Qualitate Clericorum, Ordinationibus, Electionibus, & Dignitatibus tractatur: & pars illa prima, de Perſonis appellari poteſt. A *tit. de Pactis*, vſque ad finem Libri Secundi, tractatur pleniſſimè de Iudiciis Ciuilibus inſtituendis, inſtruendis, & perficiendis: ex qua parte, rectè viri docti obſeruant, praxim ferè omnem fluxiſſe. In Tertio, & Quarto Libro, de Rebus Eccleſiaſticis agitur, tam Spiritualibus, qualia ſunt Sacramenta, quàm de Temporalibus, verbi gratia, de bonis Eccleſiaſticis, Contractibus, Teſtamentis. Itemque de mixtis, de Præbendis, atque Dignitatibus, Iure Patronatus, & reliquis. Quia tamen Beneficia Eccleſiaſtica, & bona, non in perſonæ gratiam conferuntur, ſed propter officium confertur beneficium, vt vulgò dicitur; Clerici enim, Diuino cultui, miniſteria Religionis debent impendere, *lege 2. Cod. Theodoſ. de Epiſcop. & Clericis:* breuiter, antequam de Præbendis, & bonis Eccleſiaſticis tractetur, in *quatuor primis titulis Libri Tertij* traditur, quid deſideretur in Clericis, vt rectè munus ſuum peragant, & officij ſui admoneantur. Poſtremò in Libro Quinto, de criminibus Eccleſiaſticis agitur, de Accuſatione, de Perſecutione, Inſtructione, & Forma Iudiciorum criminalium; vltimò, de Pœnis, ſeu Cenſuris Eccleſiaſticis. Ex quibus colligitur expreſſum eſſe ordinem Codicis Iuſtinianæi.

ORATIO,

IN APERIENDIS SCHOLIS IVRIS Habita VI. Non. Octob. Anno M.DC.XXXII. ad IX. Tractatuum Calcem edita anno 1641.

De recta Iuris Canonici diſcendi ratione.

PRVDENTISSIME vetus & elegans Poëta in electione arborum, quas in tutelam ſuam ſingula Numina ſuſceperunt, Mineruæ iudicium cæteris prætuliſſe videtur. Ioui ſiquidem Quercus, Veneri Myrtus, Phœbo Laurus, Pinus Cybelæ, Populus Herculi placuiſſe fertur: omnes quidem pulchritudine, proceritate, vel amœnitate gratiſſimæ, ſteriles tamen, & infecundæ. Mineruæ autem propter fructus, quos fert, vberrimos & humano generi longè vtiliſſimos Olea gratior & acceptior fuit. Ideóque Sapientis nomen meruit. Stulta eſt enim & inanis gloria, niſi quod facimus, vtilitate commendetur. Eadem planè ratione legitimæ ſcientiæ Profeſſori conveniens, ac neceſſarium eſſe arbitror, in aperiendis Scholis, non vmbratiles declamationes aucupari; quibus ineſcantur homines, & auribus tantùm parantur inſidiæ, animus autem vacuus dimittitur: ſed eam orationem habere, ex quâ prætet animi delectationem & voluptatem, ad auditores aliquis fructus & vtilitas redeat.

Operæ igitur pretium duxi, Studioſis Iuris Canonici, cuius interpretatio nobis, ex veteri huius Academiæ Conſuetudine obtigit, quantùm equidem potero prodeſſe. Quod ut re ipsâ præſtemus, hac oratione, quæ nobis videatur breuiſſima ac certiſſima Iuris Canonici diſcendi methodus, exponemus. Nec ita tamen, vt omnia argumenta ſigillatim, & per partes excutiamus; ſed ſumma tantùm capita, & in eâ materiâ dominantia perſtringamus. Nam ſi quæcumque eâ de re dici poſſunt, curioſiùs inueſtigaremus, nullus propè dicendi finis reperiretur.

Sicut in reliquis ſcientiis ediſcendis, ita & Iure Canonico perdiſcendo, non admittimus rudem, & imparatum auditorem. In primis edicimus, nihil præcepta, atque artes profuturas, vana, & inutilia fore omnia, quæ deinde præcipiemus, niſi natura & indoles auditoris faueat, ſenſus communis adſit, & recta ratio, quam neceſſariò in Iuriſconſulto deſideramus. Qui ſenſu communi caret, pro-

cul à Scholis Iuris eijciendus eſt: neque enim magis illi præcepta proderunt, quàm cultura ſterilibus agris & arenæ. Non ideo tamen ſtudioſi ſtatim abiicere debent animos: pauciſſimos enim reperies quibus non inſit vis & facultas quædam, ac naturalis potentia percipiendi ea, quæ traduntur à peritis Doctoribus. Id enim hominibus naturale eſt: & quemadmodum aves ad volatum, equi ad curſum, ad ſæuitiam feræ genitali motu feruntur; ita propria eſt hominis mentis agitatio & ſolertia. Hebetes verò & indociles, non magis ſecundùm naturam hominis eduntur, quàm prodigioſi partus & monſtra. Ex ipſis quippe rerum argumentis diſcimus, ſæpiſſimè non ingenium & naturam, ſed laborem & curam defeciſſe. Liberaliſſimam naturam omnes experimur. Quod ab eâ poſtulamus, vltrò & ſponte ſuppeditat. Verùm ei viciſſim nos aliquid largiri debemus, nempe Inſtitutionem, & eam quidem non feram, ſed maturam & accuratam. Excolenda ſunt enim à puero & mitiganda ingenia, ſtudio & culturâ humanioris literaturæ, quæ Hiſtoriæ & Philoſophiæ, Dialecticæ præſertim mediocri cognitione, ſummopere adiuuatur. Mediocrem cognitionem dicimus: ſi quis enim exactiſſimam & perfectiſſimam quæſierit, vix iam grandæui ſenes, ac ætate defecti in Scholas Iuris mitterentur.

Ab his initiis ad Iuris Canonici ſtudium licebit accedere. Cuius ſtudij, duas partes conſtituimus; *vetus*, & *nouum*. Veteris principia & fontes in præſenti, non longiùs arceſſemus, quàm à Gratiani Decreto, cuius Collectio, ſicut opus Pandectarum, ex veterum Prudentum libris; ita ex variis Conciliorum, Pontificum, & Patrum ſcriptis, euentu quamuis & arte multum diſpari, compoſita eſt. Ius Canonicum nouum, Decretalibus continetur, in quibus Pontificum potiſſimùm, ſicut in Codice Imperatorum, Conſtitutiones & Decreta referuntur.

In vtroque, tam veteri, quam nouo, quædam ſtudioſis obſeruanda proponemus; non tantùm ab antiquis, ſed etiam à pleriſque recentioribus Interpretibus, vel prætermiſſa, vel non ſatis explicata.

In iure nouo Decretalium, hoc eſt in *Collectione* Gregorij IX. quam ſolemus in Scholis interpretari publicè, antiquorum Interpretum, ex quorum ſcriptis Bernardus Bononienſis Gloſſas excerpſit, diligentia vel induſtria ſatis commendari non poteſt. Haud enim contenti Collectione illâ, quam interpretandam ſuſcipiebant, ad alias etiam antiquiores animum adiecerunt; ſine quibus nouas intelligi non poſſe veriſſimè iudicabant. Hos Bernardus, Innocentius IV. Ioannes Andreas, & Panormitanus, optimi Iuris Canonici Interpretes interdùm imitantur: reliqui ferè omnes impetitè neglexerunt. Comparationem illam exactiſſimam Collectionum antiquarum, cum nouâ Gregorij IX. quam neceſſariam eſſe toties inculcamus, ex antiquis Interpretibus, vt diximus, viderunt pauci; neglexerunt plures antiqui & noui uſque ad noſtra tempora; quibus feliciori genio præditi, Antonius Demochares, Ioannes Quintinus, Antonius Contius clariſſimum olim huius Scholæ lumen, & poſtremò Antonius Auguſtinus, hanc partem ſtrenuè adeò tractauerunt; ut Correctoribus Romanis, qui poſtremam manum operi impoſuerunt, tenuiſſimum ſpicilegium reliquerint. Diligentiorum

exemplo auditores noſtros commonemus, vt in Gregorij Collectione legendâ antiquas Collectiones ſemper adhibeant; in quibus Conſtitutiones Pontificum integriores reperient, quas Raymundus à Pennaforti Barcinonenſis, Gregorij IX. Tribunianus, paſſim interpolauit, reſcidit, & immutauit; ac ſæpè contra mentem Autorum. Quin & nonnunquam neceſſarias neglexit, & quod nobis Gallis obſeruandum eſt, quædam in Reſcriptis Pontificum, ad honorem & decus gentis noſtræ petinentia, ſupercilium & typhus Hiſpanicus cum ferre non poſſet, prætermiſit.

Sufficere fortè Studioſo Iuris Canonici comparationem illam antiquarum Collectionum cum nouâ Gregorij, Gloſſarum aſſiduam lectionem, & viuam vocem Doctorum meritò quis crediderit; ſtudioſo tamen & diſcipulo. Nam à Magiſtro, qui lumen præfert & antecedit, aliquid amplius requiritur; exacta nempe cognitio Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, præſertim à Gregorio VII. nec vnius quidem Eccleſiæ, ſed omnium, Occidentalium maximè; quæ non ex vulgatis & futilibus quibúſque, ſed ex æqualibus & coætaneis repetenda eſt. Quam cognitionem, quia propemodum infinita eſt, in Doctore tantùm deſideramus; qui niſi eam, ſi non ſummam, ſaltem idoneam & intra modum aſſecutus ſit, nihilo præſtantior erit Magiſter paulò diligentiore Diſcipulo. Hæc de Iure nouo Canonico, tanquam per indicem attingere viſum eſt; ne ſubtilior & curioſior diſciplinæ ratio retardet potiùs, quàm promoueat Studioſorum impetum.

A Iure nouo ſenſim ad Ius vetus peruenimus, ordine fortè docendi præpoſtero, non dicendi: Plura enim de Iure veteri præcipienda ſuperſunt. Veteres omnes Iuris Canonici Interpretes Latini cognitionem Iuris antiqui non aliunde, quàm à Gratiano acceperunt; in ſummâ reliquarum omnium Collectionum, tam Latinarum, quàm Græcarum ignoratione verſati; quarum autores, nec de nomine eis noti fuerunt: quod eorum ſcripta produnt nimis. Eam ob rem ſicut ex aquæ capite turbato, & ex fontibus limoſis, riui liquidi & illimes manare non poſſunt: ita doctrina, quam veteres Interpretes hauſerunt tantùm ex Collectione Gratiani, quæ ſpuria, falſa, ſuſpecta, & mendoſa plurima continet, certa, vera, plana, & aperta eſſe non poteſt. Ac ne videamur vagari cum diſcrimine alienæ exiſtimationis; deſignabimus, quid præcipuè in Collectione Gratiani cauendum exiſtimemus.

Opus ſuum Gratianus ex tribus Scriptorum ferè generibus compoſuit: ex Conciliis, tam generalibus, quàm particularibus, Orientis, & Occidentis; ex Epiſtolis & Conſtitutionibus Pontificum; & ex dictis Patrum, Græcorum ſimul, & Latinorum. In Conciliorum Latinorum Canonibus inſerendis, plerùmque non inſpectis Libris authenticis, aliorum Collectorum fidem nimium patienter amplectitur: vnde ſeges errorum fertiliſſima. Idem in Græcorum Synodis admiſit; in quibus præterea, non unâ & eâdem verſione, ſed pluribus vſus, aliquando ſupinè adeò & imperitè, vt vnum & eundem Canonem, velut diuerſum, bis & ter repetat, varietate verſionis, vel breuiationis deluſus. Quod verò periculoſius eſt, rationem componendorum Canonum, vel reuerà, vel in ſpeciem pugnantium, eam plerùmque inire ſolet, vt anti-

qua Concilia, etiam maiora & generalia, quibus Eccleſiarum, noſtrarum præſertim, iura & libertates continentur, quamuis æquitate ſummâ nitantur, cedant tamen minoribus: & de Conciliorum omnium autoritate ſecurus, dubia nonnumquam & falſa pro certis & veris credulis lectoribus obtrudit. Quinetiam, propter antiquæ diſciplinæ, rituum, & linguarum ignorationem, identidem cespitat, & labitur.

Huiuſmodi autem errores in Conciliis quidem Gratianus, parcâ manu, raro ſparſiſſe dici poterit, &, vt aiunt, χειρὶ, ἀλλὰ μὴ ὅλῳ θυλάκῳ. At in Epiſtolis decretalibus Pontificum, Clementis, Anacleti, Euariſti, Alexandri I. & aliorum, liberaliſſimè, & ὅλῳ θυλάκῳ: quarum quidem falſas plurimas, ſuppoſitas, & mendoſas eſſe, indicare Studioſis neceſſarium viſum eſt; quia non tantùm hæc à poſtremis Gratiani Correctoribus ſæpè fuerunt omiſſa; ſed etiam à doctiſſimo Anteceſſore pridem obſeruata, contra mentem Autoris, & in eius fraudem, ab imperitis & tagacibus Librariis contaminata partim, obelo partim iugulata ſunt: vt perſpicacibus oſtendent ſatis vulnerum cicatrices, quas incauti mutilatores obducere ſunt obliti. Hoc vnum equidem in eâ re miror, cur Antonius Auguſtinus Iuris Canonici periciſſimus, ex incertis huiuſmodi Epiſtolis, excerpta plurima, ſuæ Collectioni, tanquam viliſſimos pannos purpuræ aſſuerit.

Non maiore iudicio, & diligentiâ, ex dictis Patrum, & aliis Scriptoribus deſumpſit multa Gratianus. Quæ tamen in his peccauit, ferè omnia Romani Correctores accuratiſſimè emendarunt: ideóque ſuperſedemus. Singula enim perſequi, quæ virorum doctiſſimorum diligentiam effugerunt, breuis orationis modus non ſinit. Hactenus de Iure Canonico veteri, & nouo: quæ diligenter explorata, plurimas traditiones veterum, & recentium Interpretum profligabunt, & inanium Commentariorum onere leuabunt,

Cæterùm Natura & Inſtitutio à puero, de quâ initio dixi, παιδείαν vocant, & Iuris diſciplina, qualem modò expreſſimus, ſtudioſis parùm proderunt; niſi præterea labor perpetuus, nec interruptus, ſed certo & legitimo temporis ſpatio continuatus accedat.

Prudentia maiorum & communis Populorum conſenſus, qui ratione & legibus reguntur, Locum opportunum addidit: vt non vbique, ſed in certis tantùm Ciuitatibus Iuris ſcientia, publicâ autoritate doceretur; idque publicè, non furtim, in tenebris, & in priuatis auditoriis, in quibus pro arbitrio ſuo doctus, & indoctus quilibet, pariter, & ex æquo, docendi Iuris fiduciam, in perniciem iuuentutis aſſumit. Quin & euenit aliquando indoctiorum Magiſtrorum priuata Auditoria, maiori Diſcipulorum numero celebrari. Quidni? numquid quotidie videmus agyrtarum, & circulatorum theatra multitudine plebis imperitæ circumuallari, ſtupore vulgi, plerôſque ex illa fæce factos nobiles, & potius adiri, quàm ſapientiſſimos Medicos? Nimirum ſui ſimiles imperiti trahunt imperitos, qui nouam capturam, & nouum genus lucri inuenerunt, ipſam ignorantiam. ἀγνοοῦσι, οἱ πολλοὶ, καὶ κερδαίνουσι, ὅτι ἀγνοοῦσι. πείθει γὰρ τοὺς πολλούς. Incautos verò iuuenes, his fraudibus, & doloſis artibus circumueniunt. Catholica præ-

cepta, Tractatus generales, Compendia, quaſdam Species, quaſdam Antinomias, auidis Sectatoribus ſuis, quaſi manſa in os ingerunt: adeóque verendum eſt; ne quod olim picturæ contigiſſe dicitur, vt perierit, poſtquam Ægyptiorum audacia tam magnæ artis compendiariam inuenit; idem & Iuriſprudentiæ, longè maiori publicæ rei damno, eueniat, pernicioſiſſimo huiuſmodi Breuiatorum facto; qui admirabiles Iuriſconſultorum libros, & Imperatorum ſanctas Conſtitutiones, in fruſtra, & Epitomas ſacrilegè diſcerpunt & lacerant.

Nos verò, cruda, & præcocia ſtudia prorſus damnantes, laborum gradus ſtatuendos eſſe profitemur: & vt totam orationem in pauca coniiciamus, ſex in ſtudioſis, ſiue Iuris Canonici, ſiue Ciuilis requirimus; Naturam, & Indolem; Inſtitutionem à puero; rectam Iuris diſciplinam; Laborem indefeſſum; Tempus legitimum; & poſtremò locum ſtudiis aptum, & commodum. Scientiarum enim cognitionem, cum iis, quæ terra naſcuntur, non ineptè comparari poſſe puto. Natura noſtra velut ager eſt & ſolum: Doctorum præcepta ſunt ſemina: Inſtitutio à puero tempus opportunum deſignat, quo ſemina terræ commendanda ſunt: Studium & labor culturæ vicem obtinet: Tempus legitimum hæc omnia confirmat & roborat, vt perfectè enutriantur, & quaſi ingenerentur: poſtremò ſicut aër ambiens benignè fruges educat, eiſque colorem ac maturitatem inducit; ita & locus ipſe ad docendum publicè conſtitutus alit quodammodo, ac promouet ſtudia Iuris, eáque ſaniora ac vegetiora præſtat.

His igitur ſex, tum ad Iuris Ciuilis, tum ad Iuris Canonici diſciplinam collatis, nihil ad pleniſſimam, & perfectiſſimam cognitionem deerit: niſi vſus & experientia; quæ non in Scholis & ab Anteceſſoribus, ſed in Foro à quotidiano Iudiciorum ſtrepitu, exercitatione & triturâ eſt expectanda.

D I X I.

MONITVM LECTORI,

NOVEM TRACTATIBVS in Lib. I. Decretalium Priores titulos olim ab Autore præfixum.

PROPOSITI rationem & methodum aperire tibi, BENIGNE LECTOR, in ipſo limine neceſſarium duxi. Anno ſuperiori, per vices, ex inſtituto Scholæ, explicatio mihi Canonici Iuris obtigerat. Impellebar hûc illûc, incertus quam partem aggrederer Studioſis vtiliorem. Obverſabantur animo Compendia, Breuiationes; Catholica, ſeu generalia quædam: ſæculi genio obſequendum, quo per Indices & Epitomas nimiùm quantùm ſapere geſtiunt. Quin etiam operi me accinxeram. Deſultim progreſſi, vbertas & difficultas materiæ cohibuit impetum, & ſtatim remorata eſt: huiuſmodi nempè ſcriptorum plurima volitare & circumferri, quæ Decretis etiam publicis aliquando prohibita fuerint. Solidius aliquid ad informandos & imbuendos Studioſorum animos deſiderari, viam ſedulô muniendam, per quam deducti faciliùs ad enucleandas Quæſtiones difficiles, quæ quotidie veniunt in vſum præpararentur. Quare, pleniores potiùs Tractatus in exemplum conſcribendos mihi perſuaſi: nec parcè, doctrinæ caput & fontes tantum; ſed etiam ex fontibus plures riuulos deductos conſectandos. Quid eſt enim aliud Tractatus, quàm multarum Quæſtionum, quæ communi genere continentur, & latent, latiùs diffuſa, & ſubtiliùs explicata comprehenſio & expoſitio, διεξοδικὸς λόγος. Verûm, ne rudem & imparatam Iuuentutem ab initio deterrerem, Præfatione amplâ viam monſtraui, & aditus alioqui difficiles patefeci. In eâ quippe tam de Methodo & autoritate Gratiani, quàm de reliquis poſt Gratianum Decretalium Collectionibus antiquis & nouis, pleniſſimè diſputauimus, quæ ſingularum origo, quis ordo, quæ autoritas. Quod enim ad Ius Canonicum antiquiſsimum pertinet, aliquot ab annis, libro ſingulari comprehendimus: in preſenti, quæ ſpectant ad Ius Canonicum nouum, duntaxat perſequimur.

Poſt Præfationem, Tractatus nouem exhibemus, in nouem primos titulos Decretalium. Si primum excipias, in quo intima Theologiæ, *de Summâ Trinitate, & Fide Catholicâ* panduntur arcana, quibus me immiſcere ſacris Theologiæ myſteriis non imbutum, nec valui, nec debui; in reliquis octo, tentaui præſtare quod ſum pollicitus, & ipſum Tractatus nomen & titulus requirit: quamuis pro materiæ modo, aut quæſtionum difficultate, multitudine, vel varietate, aliquando prolixior,

xior, aliquando breuior fuerim. Præcipuam operam in iure veteri Canonico poſui, & Hiſtoriâ Eccleſiaſticâ veteri : quia cum verâ & ſinceriori diſciplinâ conuenit, ex quâ bene multa in mores noſtros, & Iura, deriuata paſſim, tranſlata, longáque Conſuetudine & Vſu comprobata & confirmata deprehendimus; ſæpiuſculè licèt cum nouiſſimo Decretalium iure pugnare conſueuerint.

Non ideò minus ſedulo laborauimus in inueſtigandâ & eruendâ verâ hiſtoriâ noui Iuris, variis ex Scriptoribus, coætaneis præſertim, & in ſecernendis veris cauſis & occaſionibus, à fucatis & coloratis. Quod vt accuratiùs perficerem, difficiliorum & maioris momenti Conſtitutionum interpretationem ex profeſſo ſuſcepi. Profuit etiam non ſemel Gloſſam & vetuſtiores Interpretes in conſilium adhibere; quos faſtidiosè nimiùm delicatuli quidam dedignantur.

Præterea ingenuè profiteor, in vniuerſo opere me frequenter adiutum monitionibus, ſtudio, & beneuolentia virorum, celebritate nominis, eruditione variâ, & vtriúſque Iuris ſcientiâ inſtructiſſimorum, quos honorificè ſemper appellaui. Numero plures fuiſſe, qui opem ferrent vehementer exoptaſſem. Clariſſimum virum Ioannem à Coſta, Toloſanum Anteceſſorem celeberrimum, & de me optimè meritum, cuius recitationibus per ſex annos aſſiduus interfui, hoc loco deſignari & laudari, rara magni viri & exquiſita vtriuſque iuris ſcientia; memoris adhæc diſcipuli officium flagitauit : cuius ne quid meritis detere-re, vel inuerecundè ſcripta, per quæ profeci, ſupprimere cauilletur aliquis, bonâ fide publici iuris primùm facimus illius Recitationes in eoſdem nouem titulos, quantâ diligentiâ & ſinceritate licuit ab aliis exſcribere : neque enim ex ore dictantis excepimus. Paterni nominis, rerum, ſcriptorum, famæ hæredes, filios ſpei optimæ inſuper rogamus, ne reconditi theſauri vſurâ & fruitione, eruditos viros priuari tamdiu patiantur; aut æquo animo ferant, quas habemus plurimas Recitationes, in publicum vſum, qualeſcúmque nanciſci potuimus, propediem promulgari.

Habes Conſilij noſtri ſummam, Benigne Lector: his fruere; dum alia & in Iure Ciuili, ex quo pleráque mutuamus. & in Iure Canonico meditamur. Si quid minus arriſerit, ſi quid parum cauerim, vel lapſus humanitùs fuerim; nec enim dubito : mutabo factum, & lubentiſſimè monitoribus obtemperabo. Hoc ampliùs : egomet, ſi Deus ſinat, vineta cædam mea, priuatóque ſtudio, ex ſecundis cogitationibus, non contemnendi ſupplementi aliquando acceſſuri, ſecunda editio Tractatus *de Vſu & Autoritate Pallij*, non dubiam faciet fidem.

Poſtremò ſi quam vel delectationem, vel vtilitatem perceperis ex his conatibus, gratiam mecum habe, ſingularis eruditionis & modeſtiæ amico Ludouico Nublé; qui me non tantùm admonuit in progreſſu operis ſæpiùs, ſed etiam totius editionis faſtidium, nauſeam, varias operarum moras, ſtuporem & imperitiam generosè concoxit.

Nondum finis. Alius ex alio labor: quid facerem? Obtrectatores & maleuoli, qui reſides in otio, nec electi, nec ſortitò iudices dati, ſplendida de ſcriptis alienis iudicia faciunt; fortè conquerentur ſe præ-

teritos. Exoratos nihilominus velim, ſupercilium & ſeueritatem frontis exhilarent, his lepiſſimi Phædri verſiculis,

Alueos accipite, & ceris opus infundite,
Vt ex ſapore mellis, & formâ faui, &c.

Quot in Iure Ciuili loci & nodi vindice digni, poſt omnium interpretationes ſuperſunt? Interpretum præſtantiorum libros, ſummi potiſſimum Cuiacij, lumine non egere & doctore ſi quis diſſimulet, aberrare turpiter, doctiſſimorum Anteceſſorum ſcripta nupera facient manifeſtum. In Iure Canonico, omnia ferè horrent, & ſquallent ſitu, inculta, incompta, inornata. In vtróque iure materiæ abundat copia. In illo ſe ludo exerceant ἀγαθὴ δ' ἔρις ἥδε βροτοῖσιν. Omnem in ſcriptione laborem verſari conſtat apud veteres & novos Magiſtros. Vnum allegabo inſtar omnium, teſtem omni exceptione maiorem, quo vix vllus maiore ſolertiâ, fide, iudicio, & nitore, Literas humaniores, Philoſophiam, & Ius Ciuile publicè docuit, & eruditiſſimis ſcriptis illuſtrauit. Teſtimonium iuuabit audire. *In docendo quidem, & laboris minus eſt, & voluptatis multum; & exiſtimationis, ſi quid peccas, leue periculum: & ingenij certa ac iucunda laus, ſi quid acutius paulò cogitaſti. Nam neque ſollicitam auditor beneuolus Doctoris requirit diligentiam, & ſponte fauet, & ignoſcit facilè, & laudat perlubenter. Ad minus tamen multos vtilitas peruenit, quam ſi aut ſcribas ipſe, aut ab aliis ſcripta facias meliora. Contrà in ſcribendo experior omnia: vbi & labor ingens, vbi voluptas nulla, aut ſi qua vero eſt, ad neminem ea minùs, quàm ad te pertinet: vbi aut pro gloriâ dedecus, aut frigida, aut ſera à poſteritate expectanda laus: vbi non cum æquis, & audiendi auidis auribus; ſed cum iniquo, & faſtidiente omnia lectore negotium: vnde ob benedicta multa, fruſtrà errati vnius veniam depreceris, etſi laboris tui fructus in omnes redundet.*

Digitized by Google

FRANCISCI FLORENTIS ANTECESSORIS AVRELIANENSIS PRIMVM, AC DEINDE PARISIENSIS.

Tractatus IX. in IX. Priores Titulos Lib. I. Decretalium Gregorij IX. anno 1641. editi; poſtea ab ipſo quibuſdam paſſim inſertis, vel adiectis Notis aucti & emendati.

AD TIT. I. DE SVMMA TRINITATE, & de Fide Catholica.

TRACTATVS I.

AD Exemplum Codicis, primus Tit. *De Summ. Trinitate, & de Fide Catholica*, occurrit; quamu in I. & II. *Collectione*; imò & in III. quæ iuſſu In nocentij III. prima, publicâ autoritate eſt edita hic *Titulus* deſideretur. Statim enim incipiunt à t de *Conſtitutionibus*. Titulus autem *de Summa Trini tate*, qui nuper cum *antiquis Collectionibus* Anto nij Auguſtini editus eſt ex *MS*. Clariſsimi Fabri, pertinet ad *III*. (

Lectionem, factam à Bernardo Compoſtellano, quæ non eſt recepta; ſicut in *Præfatione* diximus. Itaque primus in IV. *Collectione* hic Titulus collocatus eſt: in quo duæ *Decretales* continentur, deſumptæ ex Concilio Generali, id eſt, ex Concilio Lateranſi, habito ſub Innocentio III. quod abſolutè Generale appellatur, ad differentiam antiquioris Lateranenſis, ſub Alexandro III. Duabus illis *Decretalibus* Sacro-ſanctæ Trinitatis myſterium explicatur: occaſione raptâ ex hæreſibus exortis illo tempore, aduerſus Trinitatem. Deinde, de tribus Sacramentis, Baptiſmo, Euchariſtia, & Pœnitentia tantùm, ſubiicitur aliquid: quia omninò, & omnibus, neceſſaria ſunt ad ſalutem, & beatitudinem æternam; quam non tantùm virginibus, ſed etiam coniugatis, patere definit, contra Hæreticos quoſdam, qui exorti erant, non tantùm tempore Innocentij III. ſed etiam longè anteà, vt colligitur ex Concilio Gangrenſi: quos & Paulus Apoſtolus prædixerat.

Subiectum totius Tituli.

Hiſtoria cap. 2.

In *Cap.* verò *2.* Abbatis Ioachimi *Libellus* editus contra Petrum Lombardum, *de Vnitate, ſeu Eſſentia Trinitatis*, poſt mortem ipſius Ioachimi damnatur. Nec tamen Ioachim damnatur, vt Hæreticus, nec reliqua eius ſcripta, vel geſta reprobantur: quia ſe, & omnes Libros ſuos, Eccleſiæ Romanæ iudicio approbandos, & corrigendos aſsignauerat, & *Epiſtolam*, vt dicitur hoc loco, *dictauerat de ea re*, ſiue Proteſtationem, quæ nuper edita eſt in *Directorij Inquiſitorum Parte 1.* Scripta verò eſt illa Proteſtatio, Anno Chriſti 1020. Quare & poſt eius obitum, Innocentius III. laudabilem Ioachimi facit memoriam, *Lib. 14. Regiſtri Epiſtola 99.* Quinimò, & in iſta *Decretali* ſignificatur, Inſtitutioni Florenſis Monaſterij factæ à Ioachimo, nihil derogari à Concilio: quod quidem Monaſterium in Calabria ſitum eſſe conſtat, ex *dicta Epiſtola.* Hoc ampliùs: cùm quidam calumniarentur, Abbatem Florenſem, & Monachos, eo colore, quia Fundatoris eorum *Libellus*, vt hæreticus, damnatus erat in Concilio Lateranenſi: extat *Reſcriptum* Honorij, Succeſſoris Innocentij III. in *dicto Directorio*, pag. *6.* quo declaratur, nihil eis obeſſe, quod contra Ioachimi *Librum*, in Lateranenſi Concilio ſtatutum erat. Vide Trithemium *lib. de Scriptoribus Eccleſiaſt.* vbi hanc Decretalem citat, & in *Chronico Hirſaugienſi*, pag. 184. Pleniſſimè [illegible]ò retulit hanc Hiſtoriam Matthæus Paris, in fine Henrici II. & poſtremò, Franciſcus Pegna in *1. parte Directorij*, pag. 5. & *6.* diligenter notauit. Aliud longè de Almarico ſtatuitur in *eodem cap.* Nec enim tantùm damnantur Almarici Dogmata, ſed etiam Memoria; nec tamen, quæ, qualis, fuerit eius hæreſis memoratur, vtpotè abſurdior. Quam & inſanam, ait Concilium: quod conſtat ex articulis aliquot illius hæreſis, quos refert Martinus Polonus, in *vita Innocentij III.* vbi & hanc Decretalem citat: & maximè Rigordus in *vita Philippi Auguſti*; quo loco Hiſtoriam omnem Almarici narrat, & Concilium Pariſienſe aduerſus eum habitum. Ex quo Rigordi loco apparet, falsò Martinum Polonum, & Franciſcum Pegnam ſcripſiſſe, Almaricum, cum ſuo Libro & ſequacibus, Pariſiis combuſtum fuiſſe. Ita enim Rigordus ſcribit. *Prædictum Hæreſiarcham Almaricum, quia planè conſtitit, ſectam illam, ab eo, origi-*

nem habuiſſe ; licèt in pace Eccleſiæ, vt putabatur, ſepultus fuiſſet ab vniuerſo Concilio (vniuerſæ ſcilicet Galliæ, habito ſub Philippo Auguſto, *) etiam poſt mortem fuit excommunicatus, & condemnatus, & à Cœmeterio ſacro deiectus, & oſſa, & cinis eius, per ſterquilinia ſunt diſperſa.* Ex eodem verò Autore diſcimus, ſequaces eius combuſtos fuiſſe, *parcitum tantùm mulieribus, & ſimplicibus.* Idem Robertus Monachus Cœnobij Sancti Mariani, apud Altiſſiodorum, Ordinis Præmonſtratenſis, verus Autor *Chronici, Altiſſiodorenſis* vulgò dicti, vſque ad *annum* ſcilicet 1211. in quo deſinit. *Congregato igitur Epiſcoporum Concilio, aſſiſtentibus Magiſtris Pariſienſibus, propalantur eorum ineptiæ, omniumque iudicio reprobantur, & indicati Heretici, exponuntur PVBLICÆ POTESTATI; ex quibus, decem traduntur incendio; reliqui quatuor murali recluſione damnantur.* Et poſt pauca. *Habuit autem initium hæc adinuentio profana verborum, à quodam nomine Almarico, quem non longè ante defunctum, indicauerunt Anathemate percellendum, feceruntque corpus ipſius à tumulo erui, & velut hoſtem Fidei, extra locum Fidelium procul poni. Librorum quoque Ariſtotelis, qui de naturali Philoſophia inſcripti ſunt, & ante paucos annos Pariſius cœperant lectitari, interdicta eſt lectio tribus annis, quia ex ipſis errorum ſemina, viderentur exorta.* Hactenus Rigordus, & Robertus, qui eo tempore ſcripſerunt; & exortam, & damnatam hæreſim, referunt ad *annos* Chriſti 1209. & 1210. ſub Innocentio III. & Philippo Auguſto. Quibus iunge ſequentes, & huic ætati vicinos, Cæſarium Monachum [Heiſterbachenſem] *Dialogorum de varis Lib. 5. cap. 22.* cuius verba Bzouius inſerit, ad *annum* 1209. *num.* 11. & Vincentium Bellouacenſem, *Speculi Hiſtorialis lib 29. cap. 107.* Scriptores illos operæ pretium eſt componere; & ex his Synodi illius Pariſienſis Hiſtoriam conficere ; de qua nulla mentio apud Conciliorum Collectores. Prætereà explicant, & confirmant, veriſſimum eſſe, quod in fine *cap. 2. hoc tit.* dicitur, *Almarici Doctrinam, non tam hæreticam, quàm inſanam eſſe cenſendam.* MS. verſio Gallica, *Sa Doctrine ne doit pas eſtre appellée tant ſeulement hereſie, mais deſuerie.* Notant poſtremò, quod ad ius noſtrum pertinet, traditos fuiſſe poſt degradationem, pertinaces Almarici Sectatores, *Curia Regis Philippi, Publicæ Poteſtati.* Quod decernunt Leges pleræque, *tit. de Hæreticis, & de Apoſtatis.* Et quidem *l. 4. Cod. de Hæret. & l. 2. C. de Apoſtat.* etiam defunctos, violatæ, atque deſertæ Religionis, accuſari permittunt, ſicut in criminibus Maieſtatis. Poſt depoſitionem, ſiue degradationem, & excommunicationem minorem, & maiorem, καθαίρεσιν, ἀφορισμὸν, ἀνάθεμα; cùm Eccleſia non habeat vltra quid faciat, ne poſſit eſſe vltrà perditio plurimorum, per ſæcularem poteſtatem comprimendi ſunt incorrigibiles, & contumaces, *cap. 10. extra de iudiciis.* Rectè Balſamo in eam rem ad *Nomocan.* Photij, *tit. 9. cap. 25.* poſteaquam Conditores Baſilicôn, ſuſtuliſſe ex *Libris Digeſtorum, & Codicis* pœnam viui comburij obſeruauit, τὸν ἀπάνθρωπον θάνατον; ſicut Iuſtinianus contrà in honorem venerandæ Crucis, eius mentione ſublatâ, furcæ pœnam ſubſtituit: ſubiungit Balſamo: Μὴ γοῦν θαυμάσῃς, ὅτι ἡ ἐν Κωνσταντινουπόλει σύνοδος, ἐπὶ τῶν ἡμερῶν τοῦ ἁγιωτάτου Πατριάρχου κυροῦ Μιχαὴλ τοῦ Ὀξίτου, δίκην, καὶ ἐπέτρεψε καυθῆναι Βογομίλους. Εἰκὸς

Radulphus Fornerius *lib. 2. Rerum quotidianarum cap. 17.*

γὰρ δεῖ μὴ τεχνιτεύεσθαι ποτὲ τὰς γνώμας, καὶ μᾶλλον ὅτι τότε ἀμεταθέτως ἔχοντες οἱ ὀικτίαι αἱρέσεως οἱ Βωγόμιλοι, ὡς μαρτύριον προσήρπαζον τὸ καῦσαι. Ἐγὼ δὲ εἰδὼς μηδένα κανόνα ἐπιτρέψαι ποτὲ τιμωρίαν, ὅτι μηδὲ οἶδεν ὁ Ἐκκλησιαστικὸς νόμος σωματικὰς ποινάς, ἀλλ' ὁ πολιτικός· Καὶ ἐπιθαυμάζω πῶς τοιαύτην διάγνωσιν ποτὲ ἡ σύνοδος ἐξέθετο. Ἐκκόπτειν γὰρ ἐκ τοῦ σώματος τῶν χριστιανῶν τοὺς αἱρετικοὺς δεδιδάγμεθα, τιμωρεῖν δὲ αὐτοὺς οὐκ ἐμάθομεν, ἀλλ' ἀμεταθέτους ὄντας, παραδιδόναι τῷ πολιτικῷ νόμῳ, καὶ παρὰ τῶν ἀρχόντων τὰς κατὰ τύπον ἀποφάσεις ἐκφέρεσθαι. Interpres malè, Bogomilum quemdam nomine Hæreticum ſupponit. Bogomili, totius ſectæ nomen, cuius Autor Baſilius quidam, Monachus, ſub Alexio Comneno, qui & eius iuſſu in hippodromo crematus fuit. Hæretici verò, quos hîc memorat Balſamo, aliquot poſt annis, ſub Manuele Comneno, viui combuſti fuerunt. De Baſilij Hæreſiarchæ ſupplicio, & de Bogomilorum hæreſi, præter Zonaram, *Tomo* III. *Annalium*, vide eundem Balſamonem ad *tit.* x. *Nomoc. cap.* 8. ſub finem; vbi ait, in Regionibus, in quas ſeceſſerant, impunè habitare, & tolerari ab Imperatoribus. Ἕνα δὲ καὶ τυχόντα τοιοῦτον αἱρετικὸν εὑρίσκοντες ἐν τῇ βασιλευούσῃ διατρίβοντα, μεγάλως αὐτὸν κολάζομεν: vel vnum quemlibet ex his. Interpres malè, *vnum verò, & vilis conditionis.* Iterùm eorumdem meminit ad *can.* 14. Ancyranæ Synodi, & ad *can.* 19. Synodi Gangrenſis. Pleniùs de illa hæreſi Conſtantinus Harmenopulus *Libro ſingulari de Hæreſibus*, *cap.* 18. *&* 19. in fine *primæ partis Iuris Orientalis* Leunclauij; qui & ait, non multò ante ſuam ætatem, cœpiſſe illam Hæreſim, & eſſe partem antiquioris Hæreſeos Maſalianorum, ſiue Euchitarum: [de quibus vide Theodoretum *lib.* 4, *cap.* 10.] Appellationem verò Bogomilorum ita explicat, Εἴη δ' ἂν Βωγόμιλος, κατὰ τὴν τῶν Μυσῶν γλῶτταν, ὁ τοῦ Θεοῦ τὸν ἔλεον ἐπισπώμενος; Myſorum lingua, qui poſteà Bulgari.

Bogomili, id eſt Deo chari.

Ex his duobus Exemplis, & aliis antiquioribus colligitur, poſt mortem Hæreticos poſſe damnari: quæ quidem quæſtio cùm diu in Eccleſia fuiſſet valdè controuerſa, decisa tandem fuit in Concilio Generali Oecumenico V. ſub Iuſtiniano habito, in Cauſa Theodori Mopſueſteni, *Actione* 5. vt conſtat, tam ex ipſius Concilij *geſtis*, quàm ex Iuſtiniani *Edicto, de Fide*. Diximus valdè fuiſſe controuerſam hanc Quæſtionem; Vtrùm damnandi ſint poſt mortem, qui in Eccleſiæ pace defuncti ſunt. Ex profeſſo Facundus Hermianenſis paſſim, in 12. *Libris, ad Iuſtinianum Imperatorem, Pro defenſione trium Capitulorum Concilij Chalcedonenſis*, maximè *lib.* 8. *cap.* 5. *& lib.* 10. *cap.* 4. *& ſeq.* quos Libros, eruditione multa refertos, ſicut & alios multos, debemus diligentiæ & eruditioni præſtantiſſimi viri Iacobi Sirmondi: ex quibus locis petenda eſt vera explicatio *can.* 3. *&* 6. *Cauſâ* XXIV. *Quæſt.* 2. [Addendum *cap. à nobis* 28. *extrà de ſententia excom.* Nicephorus Calliſtus *lib.* 13. *Hiſt. Eccleſ. cap.* 1. p. 342. vbi de Eunomio. Philoſtorgius *lib.* 11. *cap.* 5. & ibi *notata.* Iſidorus in *vita Ferrandi*; & ipſe Ferrandus in *Epiſt.* quæ inter Opera Fulgentij. Nempe eo tempore improbabat Ægyptus, Africa & Hiſpania Synodum V. Videndæ notæ ad Iſidorum in *vita Theodori Mopſueſteni cap.* 4. *& lib. de viris Illuſtribus cap.* 12. 31. *&* 32. Et *Oratio* vulgò ſub nomine Chryſoſtomi edita (veram eſſe Habertus contendit) *Non oportere anathema-*

tizare viuos & mortuos. Iungendum factum, tum ipſius Chryſoſtomi, qui mortuorum Origenis & Theodori damnatione abſtinuit, tum Flauiani Antiocheni, qui ſeparauit quidem Orthodoxorum Martyrum oſſa & reliquias ab hæreticorum oſſibus; nec tamen hæreticorum reliquias violauit. Adde eundem Chryſoſtomum *tomo 5. homiliarum* pag. 595. editionis Anglicanæ, & editionis Pariſienſis *tomo 1.* pag. 808. & in *notis* pag. 116. D. Habertum in *Pontificali Eccleſia Græca* in *notis* pag. 747. *Ius Orientale* pag. 249. & Franciſcum Torrenſem in *tractatu de actis veris* VI. *Synodi* pag. 12. 13. 14. & ſeq. fusè.] Inter Iuriſconſultos conſtitit faciliùs, Cauſas Perduellionis, ſiue Maieſtatis, poſt mortem reorum inſtitui: [quâ tamen causâ, ut & hæreſeos, exceptâ, non licet accuſationem inſtituere poſt mortem. Antonius Auguſtinus *epitomes parte 3. cap. 3.* pag. 24. in Cauſa Formoſi: & Doctiſ. Petrus de Marca in *Decretali* Vigelij, qua confirmatur V. Synodus pag. 109. & 110.] Verùm ea propriè pertinent ad *tit. de Hæreticis.* Vnicum ad *hunc titulum* addo: quomodo intelligenda ſit dictio *Catholica.* Meliorem ſanè non habemus Interpretem Vincentio Lirinenſi, in 1. *Commonitorio aduerſus Hæreſes, cap. 3. & ſeq. In Catholica Eccleſia magnoperè curandum eſt, vt id teneamus, quod vbique, quod ſemper, quod ab omnibus creditum eſt: hoc eſt enim verè & propriè Catholicum, quod ipſa vis nominis ratioquè declarat, quæ omnia ferè vniuerſaliter comprehendit.* Tres conditiones requirit: *Vniuerſitatem, Antiquitatam, & Conſenſionem.* Reliqua *huius Tituli* Theologis relinquimus, quos vide; maximè D. Thomam, qui doctiſſimum *Commentarium in duas Decretales huius Tit.* ſcripſit. Aliorum præterea Theologorum, & Interpretum *Commentaria in hunc Tit.* diligentiſſimè collegit Franciſcus Pegna, initio *Directorij Inquiſitorum.*

AD TIT. II.

DE CONSTITVTIONIBVS.

TRACTATVS II.

Verba Vincentij quæ refert Ant. Auguſtinus.

EX *Capitulis huius Tit.* ſtatim deprehendimus, veriſſimum eſſe, quod in hæc verba *Præfationis Collectionis 1.* de veteri nouoque Iure notauimus, ex M S. Gloſſis 1. *Collectionis. Quia non omnia comprehendi poterant in Decretorum corpore; Ideò Magiſter Bernardus Papienſis Præpoſitus, hoc opus*, id eſt, *1. Collectionem Compilauit: cuius intentio, vt diuerſa Extrauagantia Romanorum Pontificum, & autoritates noui & veteris Teſtamenti compilaret ſub titulis.* Quam methodum ſequi Raymundum, ſtatim apparet ex *noſtro Tit.* Collectus eſt enim, tam ex autoritatibus veteris, & noui Teſtamenti, quàm ex Conciliis, Conſtitutionibus Pontificum, & dictis Patrum. Quæ omnia generali Conſtitutionum nomine comprehendit: ita vt Conſtitutio, omnes ſpecies Iuris ſcripti in hac *Rubrica* ſignificet generaliter; ſicut in *Præfatione*, Legis nomen latè ſumptum docuimus. Quinimò, ſub eo nomine veniunt *Statuta* Ciuitatum, Vniuerſitatum, Collegiorum, Corporum, Capitulorum, & Academiarum: Itemque Summorum Magiſtratuum, etiam Laïcorum, & Senatorum. Et in hac ſpeciali ſignificatione valdè notandâ, maxima pars *huius Tit.* conſumitur, nempe à *cap. 6.* vſque ad *cap. vlt.* ad quæ Interpretes plurima differunt, ex quibus vtiliora ſeligemus.

Conſtitutionum nomen hoc tit. latiſſimè ſumitur.

Diuiſio Tituli.

Conſtitutiones vel ſunt generales, vel particulares.

Conſtitutiones, vel ſunt Generales, vel Particulares. De generalibus agitur quinque primis capitulis, & vltimo. Quinque verò prima capita reperiuntur in *1. Collectione.* Fontes, ex quibus deſumpti ſunt, Contius primum, & poſt eum Ant. Auguſtinus pleniùs indicauerunt: ex quibus apparet, veteres Collectores, ſæpiùs non conſuluiſſe Libros, ex quibus aliquid ſumebant: nam falſis Autoribus multa adſcribunt; & in *iſto tit.* quæ citantur de Auguſtino, & Hieronymo, ſuſpecta ſunt, an ſint eorum. Rectè Antonius Auguſtinus notat deſumpta eſſe ex Gloſſa ordinaria. Vt ordinem itaque inſtitutum ſequamur, Conſtitutiones generales dicuntur, quæ ab his promulgantur, qui publicam Iuris condendi poteſtatem habent: verbi gratia, Concilia vniuerſalia, atque Pontifices: vel etiam ab iiſdem confirmantur, licèt ſint ſcriptæ ab his, qui non habent iuriſdictionem, vel non habent ſimilem; qualia ſunt Concilia particularia, & dicta Patrum, quæ paſſim in his Libris interſeruntur, vt initio *tit.* notauimus. Particulares accipimus,

quæ

Digitized by Google

quæ in his Libris, paſſim, Statuta appellantur: qualia ſunt ea, quæ decernuntur ab Vniuerſitatibus, id eſt, Corporibus, Collegiis, & Societatibus, ſiue Eccleſiaſticis, ſiue ſecularibus; Ciuitatibus, & Academiis: dummodò illa Corpora, ſeu Vniuerſitates, publicâ autoritate confirmatæ ſint. De quibus agitur nominatim *cap. 7. 10. & 11. hoc tit.* Iunctis *antiquis Collectionibus, & cap. Vnico de Conſtitutionibus in* III. *Compilatione*. Et quidem ex dicto *Capitulo 10.* Sanctiones & pœnas poſſunt imponere; & etiam communione & ſocietate priuare, vt infrà pluribus dicemus. Generales verò, omnes adſtringunt: Particulares, illos tantùm, qui eiuſdem ſunt Corporis, Collegij, vel Ciuitatis.

Obſeruandum verò, Conſtitutiones à Laïcis factas, ſiue generaliter, Eccleſiarum, vel Eeeleſiaſticorum mentione non factâ; vel etiam mentione factâ ſpecialiter; imò in gratiam & fauorem Eccleſiarum, non valere, niſi comprobauerint eas Eccleſiæ, vel Summus Pontifex, ſiue de Perſonis, ſiue de bonis Eccleſiarum, ſtatutum fuerit promulgatum, *locis citatis ſuprà, & can. benè, Diſt.* XCVI. Sed illæ Decretales locum habent tantùm in locis ditioni Eccleſiaſticæ ſubditis: vix autem in Gallia; præſertim ſi agatur de Regiis Conſtitutionibus. Notandum enim hæc Capitula, de Statutis tantùm Ciuitatum, vel Magiſtratuum loqui, non de Conſtitutionibus Imperatorum, Regum, aut Principum, qui ſummum Imperium habent. Quod Molinæus vidit *ad Capitulum* 10. Conſtitutiones verò generales, ſiue particulares, habent locum in futuris negotiis, non autem in præteritis, *cap. 2. & vlt. hoc Tit.* In quo, quod dicitur, ſicut in *cap. 2. hoc Tit. Canones & Conſtitutiones, omnes adſtringere*; ita locum habet in Gallia, ſi vſus & Regis autoritas acceſſerit. Advertendum etiam hoc Iure, ſicut & Ciuili, poſteriores Leges, priores vel emendare, vel tollere, *cap. 3. hoc Tit.* quod *cap.* non poteſt intelligi, niſi comparetur cum *capitulo 3. & 5. eodem Tit. in 1. Compilatione*: quæ capita tamen malè omiſit Raymundus. Bernardus verò eius Interpres veram ſpeciem ex omiſſis dictis capitibus propoſuit, quæ eſt huiuſmodi. Præcepta Legis veteris, verbi gratia, Sabbati & Circumciſionis, ſublata eſſe per Legem Gratiæ; quia cùm Sacerdotium, & Lex antiqua, ſimul eodem tempore, & ſub eadem promiſſione data fuerint, ſequitur, vt tranſlato Sacerdotio, & nouo Sacerdote dato, id eſt, Chriſto, per conſequens, ſimul etiam noua Lex daretur, quæ abrogaret antiquam: non tamen per omnia; ſed myſtica tantùm, & Ceremonialia ſublata ſunt, quantùm ad ſuperficiem, & figuram, non autem quantùm ad moralem intelligentiam, Gratianus *Diſt.* LX. *ſub finem, & Cano.* 12. *De Conſecrat. Diſt.* III. Moralia verò, quæ dicuntur, præcepta antiquæ Legis, & ad Ius naturale pertinent, non tantùm ſunt retenta, ſed etiam confirmata & aucta. Eleganter Tertullianus *lib. de Monogamia, cap. 7. Et quoniam quidam interdum, nihil ſibi dicunt eſſe cum Lege, quam Chriſtus non diſſoluit, ſed adimpleuit; interdum, quæ volunt leges arripiunt: planè & nos ſic dicimus, deceſſiſſe legem, vt onera quidem eius, ſecundùm ſententiam Apoſtolorum, quæ nec Patres ſuſtinere voluerunt, conceſſerint: quæ verò ad iuſtitiam ſpectant, non tantùm reſeruata perma-*

De mutatione veteris Legis & Sacerdotij Tranſlatione vide Iſidorum Peluſiotam *lib. 2. epiſt.* 244. Tertullianum *lib. 5. aduerſus Marcionem.* Cyprianum *Teſtimoniorum lib. 1. aduerſus Iudæos num.* 9. 10. *& ſeqq.* pag. 145. *& ſeqq. editionis* Pame-

nent, verùm & ampliata. Quidam verò Interpretes, vt Innoc. IV. *d. cap. 3. hoc tit.* contra eius mentem, trahunt ad Summum Pontificem: apud quem, aiunt, ſicut penes Vicarium Chriſti, Poteſtas eſt condendæ Legis, & mutandæ: Ingenuè verò Panormitanus agnoſcit, verba non conuenire: tamen interpretationem Innocentij approbat, quam & pluribus confirmat; ſicut & certatim, ſuo more, reliqui Iuris Canonici Interpretes, faciliùs, quàm veriùs.

lij. Chryſoſtomum *homil. 5. aduerſus Iudæos* pag. 458. vſque ad 464. *edit. Pariſienſis. hom. 17. in Matth.* pag. 218. & ſeqq. *Hom.* 12. 13. & 14. *in epiſt.* Pauli *ad Hebræos* pag. 819. & ſeqq. Ambroſium *epiſt. 7. & 71. Irenæo, & epiſt. 73. 74. 76. & 77.* Auguſtinum *lib.* 10. *de Ciuit. Dei cap. 5. & 17. lib. 17. cap. 4. 5. 6. 17. & 32. & lib. 18. cap. 45. & 48. Epiſt. 5. ad Marcellum. Et libro aduerſus Fauſtum Manichæum cap.* 12. 13. 14. & 32. *tomo 6.* pag. 201. & ſeqq. Et *tomum* 1. Concil. Binij pag. 2. & 3. poſt Concil. indicem. Adde Gregorium Nazian. *Orat.* 21. vbi de tribus illuſtribus Vniuerſi mutationibus: 1. ab Idololatria ad Legem. 2. De Lege ad Euangelium. 3. De vltimo Chriſti aduentu in Iudicio.

Obſeruandum etiam, Canones Conciliorum Particularium, non tantùm locum habere in ſuis Prouinciis, ſed aliquando generaliter ab vniuerſa Eccleſia approbari: quales ſunt illi, qui in his Libris inſeruntur: vt ſtatim *in cap. 1. huius Tit.* quod ex Synodo Gallicana Meldenſi eſt deſumptum. Præterea, Synodorum Gallicanarum illius temporis, non mediocris erat autoritas in vniuerſa Eccleſia. Extat verò illud *caput* in Concilio *Meldenſi, can. 34.* habito ſub Carolo Caluo, circa *annum* Chriſti 845. Et quidem, ſi verba ſpectemus, & mentem; Canones Gallicani, & ſimul Capitula Regum noſtrorum, ad Statum Eccleſiæ pertinentia, procul dubio intelliguntur; ut conſtat ex *Canonibus* eiuſdem Concilij 78. 79. & 80. Ex quibus, quanta fuerit autoritas Regum noſtrorum in *Synodis, & earum Canonibus, vel admittendis, vel reiiciendis,* apparet: maximè verò ex *Capitularibus* Caroli Calui nuper editis à doctiſſimo Sirmondo pag. 45. 46. & ſequentibus: in quibus illuſtre Exemplum Concilij probati pro parte, & improbati pro parte, proponitur. Nec omittenda videtur vltima pars dicti *Canonis* 34. Concilij Meldenſis, quæ omittitur à Collectoribus. Sicut in prima parte, *in actionibus, & iudiciis, Iudices Eccleſiaſtici præcipiuntur ſequi Canones:* ita etiam *in explicandis, & prædicandis Scripturis; Catholicorum, & probatiſſimorum Patrum ſenſum:* & ibi damnantur acerrimè, vt præſumptores, quidam Monachi, qui vt innoteſcerent, *ſtudio, (à deſſein) vocum nouitates, proferre ſatagebant:* quibus verbis, Patres Concilij, alluſiſſe videntur ad argumentum, & inſcriptionem elegantiſſimi *Libelli* Vincentij Lirinenſis, *pro Catholicæ Fidei antiquitate, & vniuerſitate, aduerſus profanas Hæreticorum nouitates.*

Quod autem diximus, plures huius Tit. Decretales, pertinere ad Conſtitutiones, ſiue Statuta Ciuitatum, Capitulorum, Academiarum, & ſimilium Corporum; notandum tamen, Deciſiones ex fontibus Iuris Ciuilis eſſe deſumptas: quo Iure Collegia, Ciuitates, atque Corpora, quæ quidem *publica autoritate inſtituta ſunt, vel comprobata,* Res communes, Arcam communem, Procuratorem, qui ſpeciali nomine Syndicus appellatur, habere poſſunt, [& commune ſigillum *cap. dilecta*

de exceſſ'ius Prælat. cap. nobis, & ibi Oſtienſis, *& cap. Poſtulaſti penult. de Iure Patronatus*:] itemque Decreta, ſiue Conſtitutiones ferre, quas voluerint, *dum ne quid ex publica Lege corrumpant.* Ambitioſa etiam Decreta reſcindi debent, ſi aliquid, verbi gratia, quibuſdam præſtetur, quod reliquis adimatur; vel ſi ad vtilitatem publicam reſpiciat reſciſſio prioris Decreti [*cap. 6. hoc tit.*] *l. vlt. ff. de Collegiis. l. 4. 5 & 6. ff. de Decretis ab ordine fac.* Ex qua *l. 6.* notandum ſanctionibus, & pœnis muniri poſſe huiuſmodi Statuta; vt qui contrà fecerit, Ordine, vel Collegio moueatur, & prætereà multa ei pecuniaria inferatur. Cuius rei Exemplum habemus *in cap. 11. hoc tit. Iunge l. 1. & ſequentem, ff. quod cuiuſque Vniuerſitatis nomine, & cap. Vnicum De Syndico, extrà*; *& Ioannem Fabrum ad §. Vniuerſitatis, Inſtit. de rerum diuiſione. Idem, ſi ſine neceſſitate. Nam omnes Ciuitates, & Vici, poſſunt habere proprium in communi, & Burſam communem de Iure,* &c. *Imò, ſecundùm Innocentium poſſunt ſibi Maiorem conſtituere, qui eos iudicet,* &c. *Credo tamen, quod debeat confirmari,* &c. Quo Iure vtamur, ſubiicit ſtatim. *Curia Franciæ de facto præmiſſa non permittit, niſi Villæ habeant Vniuerſitatem approbatam ſpecialiter per Curiam: Imò, nec congregare,* &c. Et poſteà: *Item, quod hic dicit de Vniuerſitate, Intelligo de quibuſlibet Corporibus approbatis,* &c. Huiuſmodi Conceſſiones, *Literæ Communiæ* ſolent appellari, quæ à Regibus noſtris impetrari debent. Inter Regalia enim connumeratur hæc ſumma Poteſtas, conſtituendorum Magiſtratuum, Vniuerſitatum, & Corporum, vt ſuprà probauimus: & confirmatur *libro 5. Feudor.* vbi de Regalibus, *l. vn. ff. Ad leg. Iul. de ambitu.* Huiuſmodi verò diplomatis Regiis, Populo concedebatur electio Maioris, Iuratorum, ſiue Scabinorum; & ius admittendi, & allegendi certis conditionibus in Burgenſes & Municipes: Libertates, Priuilegia, Conſuetudines quædam; imò, & Iuriſdictio in Burgenſes, certis caſibus exceptis, *Cas Royaux*, tribuebantur. Quæ omnia, cùm ex beneficio, arbitrio, & libertate Regum pendeant; Ius certum conſtitui non poteſt. Inſpiciendum, & ſeruandum ſtrictè, quod Chartâ Conceſſionis continetur. Quin & Duces, & Comites antiquos illos, ſummæ dignationis, & autoritatis, vſurpaſſe, ſicut Regalia pleraque; ita & conceſſionem Literarum huiuſmodi *Communiæ*, reperitur. Quòd tamen parcè ſibi arrogauerunt; & tantùm, adhibitâ Regum noſtrorum Confirmatione ſolemni. Exemplis duobus erimus contenti. Rupellani *Ius Communiæ* obtinuerunt primùm à Gulielmo Comite Pictauiæ; Confirmationem petierunt à Ludouico Iuniore: qua de re vide eruditum *Syntagma*, nuper editum, *De ortu, & progreſſu Rupellæ.* Eòque pertinet *cap. pen. infra de Conſuet.* inſcriptum *Maiori, & Burgenſibus de Rupellis*: in quo duo articuli Conſuetudinum Rupellæ, tanquam Iuri contrarij reprobantur. Secundum Exemplum ad Communiam Diuionis pertinet, primùm ab Hugone III. conceſſum, & ab Odone filio eius, patre viuente, confirmatum; & deinde ab Hugone IV. & Roberto II. Ducibus: quorum omnium Diplomata *MS.* habemus. In Hugonis verò III. & Odonis eius filii conceſſione primâ, datâ anno milleſimo octogeſimo ſeptimo, nominatim mentionem faciunt Hugo, & Odo, ſe petiiſſe Confirma-

tionem, & impetraſſe à Philippo Rege Franciæ: vt Communiam Diuionis, *ad formam Communiæ Sueſſionis* inſtitutam, manutenendam promitteret: ita quod, ſi ab inſtitutis huius Communiæ reſilirent, emendari Commune faciet, (Philippus Rex ſcilicet) reddendo Capitale, ſecundum iudicium Curiæ ſuæ, infra quadraginta dies, ex quo clamor ad eum inde peruenit. Nec pigebit, ipſius Philippi Diploma Confirmationis ſubiicere, ex eodem *MS.* nec enim paſſim occurrunt talia Reſcripta.

In nomine ſanctæ & indiuiduæ Trinitatis, Amen.

PHILIPPVS Dei gratiâ Francorum Rex. Nouerint Vniuerſi Præſentes pariter & futuri, quoniam Hugo Dux Burgundiæ, hominibus de Diuione dedit, & conceſſit Communiam in perpetuum habendam, ad formam Communiæ Sueſſionis. Nos verò, ad petitionem ipſius Ducis, & Odonis filij eius, eam confirmauimus, & ita manutenendam promittimus. Quod ſi vel Dux, vel filius eius, ab Inſtitutis huius Communiæ reſilierit, nos infra quadraginta dies, ex quo clamor inde peruenerit Communiæ, emendari faciemus, ſicut Curia noſtra indicabit, reddendo Capitale. Quod vt perpetuam ſtabilitatem obtineat, præſentem paginam ſigilli noſtri autoritate, & Regij nominis charactere inferiùs annotato, præcepimus confirmari. Actum Tornodori, anno ab Incarnatione Domini, milleſimo * *octuageſimo ſeptimo, Regni noſtri anno octauo, aſtantibus in Palatio noſtro, quorum nomina ſuppoſita ſunt, & ſigna.*

*aliqui *centeſimo.*

Signum Comitis Theobaldi Dapiferi noſtri.
Signum Guidonis Budicularij.
Signum Matthæi Camerarij.
Signum Radulphi Conſtabularij.
Data vacante Cancellaria. Hugone nempe Cancellario mortuo.

Longiùs extenditur, quod in Iure noſtro appellatur τὸ Κοινὸν, *Commune* Latinis: Κοινὸν τῶν Θεσσαλῶν *l. 37. ff. de iudiciis, & l. 5. §. 1. ff. ad leg. Iul. de vi publ.* Κοινὸν τῆς Ἀσίας *l. 6. §. 2. ff. de excuſat. tutor.* Κοινὸν τῶν Θρᾳκῶν, & Κοινὸν τῶν ἐν Βιθυνίᾳ Ἑλλήνων *l. 1. §. 2. & l. 25. ff. de appellationibus. Commune* Aſiæ Myliadum, & Siciliæ, apud Ciceronem, in *Orationibus*: Aſconius in *3. contra Verrem, mirè, Commune, Rempublicam.* Non tantum vrbs, vel municipium, ſed etiam, eo nomine, ſæpè Prouinciæ ſolidæ continebantur; quibus populus Romanus, Libertatis, & Reipublicæ vmbram, & nomen ſaltem reliquerat: quales Græci potiſſimùm, in quos Romani ſemper propenſiores extiterunt.

Eodem prætereà iure ſummo, & Regio, Academiæ inſtitutæ ſunt, & fundatæ: maioribus tamen auſpiciis; accedentibus Summorum Pontificum Reſcriptis, & autoritate. Quas etiam pleniori honore, & multis Priuilegiis Reges noſtri liberaliter, non tantùm auxerunt, ſed & adoptiuo *Filiarum* nomine decorauerunt, earumque ſingularem tutelam, tuitionem, & Mundeburdem in ſe receperunt. *Primogenita* titulo cenſe-

tur *Pariſienſis*; ad quam pertinet *cap. 11. huius tit.* cuius Autor eſt Innocentius III. qui & in ea profeciſſe plurimùm gloriatur. Multa verò in contextu ſupplenda ſunt ex *integra Decretali*, quæ extat *cap. 12. de Iureiur. in* III. *Collect.* Inſcriptio ſic habet: *Innocentius III. Vniuerſis Doctoribus Pariſius commorantibus.* Vniuerſis, id eſt, ſacræ paginæ, Decretorum, & Liberalium Artium. Nam, ſaltem poſt Conſtitutionem Honorij III. id eſt, *cap. 28. de Priuileg. & exceſſibus*, Pariſius Ius Ciuile docere, & audire prohibitum: quam Conſtitutionem & vſus recepit, & Comitia Bleſenſia nominatim confirmauerunt. Pertinent inſuper ad Pariſienſem Academiam *cap. 7. De Procurat. & cap. 9. De Foro competenti.* Poſt Pariſienſem ſecunda, *Tholoſana*; tertia *Aurelianenſis.* Reliquæ omnes, ad earum formam, procedente tempore, à Regibus noſtris, & Summis Pontificibus fuerunt inſtitutæ: ordine tamen, honore, & prærogatiuis, *Antiquioribus* ſeruatis, ſicut Leges, & Canones ſanxerunt; quia Iunioribus occaſionem, & cauſam legitimi nominis præbuerant.

Quod verò ſuprà diximus, Vniuerſitatibus, & Corporibus legitimè probatis, licere Statuta, & Conſtitutiones condere; earum Conſuetudines, & vſum admitti, dummodo non Iuri contrariæ, vel ambitioſæ, & per inuidiam fuerint introductæ, confirmat *d. cap. pen. de Conſuetud.* infrà, & *cap. 6. hoc tit.* in quo reſcinditur ambitioſum Statutum Trecenſis Capituli, quod antiqui Canonici, in fraudem iuniorum fecerant: [quod & Iure Ciuili Conſtitutum ſupra oſtendimus:] itemque *cap.* 12. in quo aliud Canonicorum Statutum reſcinditur, qui aduerſus vtilitatem publicam, imminuerant cultum diuinum, & numerum Canonicorum; quamuis reditus non fuiſſent minuti. Nec obſtat Confirmatio Apoſtolica, *in forma Communi*, vt dicitur in *integra Decretali*: quia ſemper in ea ſubauditur eiuſmodi clauſula, quæ conditionem tacitè inducit, *ſicut prouidè latum fuerit Decretum*, id eſt, dummodò rectè, & ſecundùm Canones, latum fuerit Statutum. *Sicut* ponitur pro *ſi*. Aliud, ſi Confirmatio facta fuerit, *ex certa ſcientia*, & *cauſa cognita*: tunc enim, eadem illa clauſula accipitur cauſatiuè, vt loquuntur Interpretes, id eſt, quia prouidè latum eſt Statutum; ideò confirmamus: & aduerſus huiuſmodi Confirmationem venire non licet *cap. 7. & 8. extra de Confir. vtili vel inutili.* Iunge *cap.* 15. *infrà de indiciis, in integrâ.* Obſeruandum verò, in Confirmatione Statutorum, ſuper certo numero Canonicorum, vel exprimi, vel pro expreſſa haberi hanc clauſulam, (*niſi in tantùm excreſcerent Eccleſiæ facultates, quod pluribus ſufficerent.* Idemque iuris eſt, ſi poſteà Canonici contrà venerint. *Cap. 8. Cùm Martinus, hoc tit.* cui iunge *Epiſtolas* 10. & 36. *Libri 2. Regiſtri* Innocentij III. Ex quibus etiam conſtat, frequentes fuiſſe huiuſmodi Conſtitutiones, de numero Canonicorum, quæ magna cauſæ cognitione opus habent. Licèt enim reditus excreuerint, non ſtatim, & temerè augetur numerus. *Cap. vlt. extrà, de verb. ſigni.* Iuncto *cap. 22. de Præbend.* Conſtitutiones autem iſtæ, & ſimiles, Confirmatione Pontificia firmari ſolent, hâc generali clauſulâ ſemper intellectâ, *ſi tamen Canonicis non obuient Inſtitutis.* Epiſcopi etiam conſenſus ſæpè fuit adhibitus. [Nam & in Eccleſiis iudicio Epiſcopi cer-

rus Clericorum numerus ordinandus eſt, pro magnitudine vel celebritate vici *l. 33. Cod. Theod. de Epiſc. Eccleſ. & Clericis*; vnde ſumpta eſt. *l. 33. Cod. Iuſtinia. Cod. de Epiſc. & Cler.*] Aliquando tamen omiſſus eſt: neque neceſſarium eſſe conſtat, ex *cap. 6. & 8. huius tit.* & aperriùs ex *cap. Cùm Martinus*; in quo cum in *antiqua Decretali*, & in *epiſtola 96. lib. 1. Regiſtri*, mentio facta fuiſſet *conſenſus Epiſcopi*, eam tamen, vt non neceſſariam, omiſit Raymundus. Poſtremò, ad plenum intellectum *capituli* celeberrimi, *Eccleſiæ ſanctæ Mariæ*, iunge *epiſtolam 25. libri 2. Regiſtri* Innocentij III. ex qua diſcimus, Statutum, de quo in *dicto capitulo*, emiſſum & factum fuiſſe, *à Senatore quodam vrbis Romæ, Benedicto Coroſomo*, qui corrupte vocatur, in *Geſtis* Innocentij III. *B. Cariſſimus* p. 3. Qui quidem *Coroſomus*, Primicerium Iudicum delegauerat, id eſt, primum inter Iudices. *Vbi enim Clerici ſunt Actor & reus, Cauſis Ciuiles proſequuntur in vrbe, coram Iudicibus, per Sedem Apoſtolicam inſtitutis, ex delegatione Senatorum Iuriſdictionem habentium ab eadem Sede Apoſtolica*; vt totidem ferè verbis loquitur Innocentius, in *dicta Epiſtola*. Quare mirum non eſt, ſi Pontifex, ad ſollicitudinem ſuam, totum negotium reuocauerit, & Statutum reſciderit, vt conſtat ex *dicta Epiſtola*, ſine qua vix poſſunt intelligi *cap. 3. & 4. vt lite pendente.* Nam & Senatores teneri fidelitatis iuramentum præſtare Summis Pontificibus, probant *Acta* Alexandri III. apud Baronium, ad annum Chriſti 1178. *nu. 2. & 3.* Autor *Narrationis Concordiæ, inter Alexandrum III, & Fridericum I.* pag. 197. & 198. Onuphrius Panuinius, in *Notis ad vitam Alexandri III. & Clementis III. ad Platinam. Geſta* Innocentij III. pag. 3. 142. 143. 146 & 148. Quibus ex locis conſtat huiuſmodi Senatores ſæpius tentaſſe Regalium occupationem, aduerſus Summos Pontifices; compulſos tamen fuiſſe ea reſtituere. Occurrit etiam mentio Senatorum, in *cap. 17. de Election. in* VI. Obſeruanda verò valde narratio totius negotij, de quo in *cap. 10. hoc tit.* quam diligenter ex *antiqua Collectione* contexuit Gloſſa, ad *d. cap. 3. vt lite pendente.* [Ad quam adde *cap. 7. hoc tit.* quod de Teruiſina Ciuitate tantùm loquitur, & *cap. vlt. de rebus Eccl. alien.* & maximè *cap. nouerit 49. & cap. 53. de Sent. excom.*] Hoc illuſtri Exemplo confirmatur, quod diximus ſuprà, Conſtitutiones Imperatorum, & Regum, itemque Principum, & Rerumpublicarum, in res, atque perſonas Eccleſiaſticas, poteſtatem habere: nec obſtare, quæ in *hoc tit.* dicuntur. Nam & Baſilij Statutum, relatum ab Innocentio III. nihil eſt aliud, quàm edictum, promulgatum à Baſilio Præfecto Prætorio Regis Odoacris in Italia, temporibus Papæ Simplicij. Quinimò, multa ex Legibus Romanis, & Regum noſtrorum Capitulis, in Ius canonicum ſunt relata, & à Pontificibus comprobata: *can. 1. & ſeqq. Diſt.* X. quæ ad *Capitularia* Regum noſtrorum pertinent; iuncto *cap. Placuit lib. 3. Leg. Longobard. tit. 37.* [Sicut autem Conſtitutionibus & iuri parere tenentur Clerici æque ac Laici; ita & iuri non ſcripto, ſiue conſuetudini terræ, in qua morantur, ſi laudabilis ſit *cap. 3.* infrà *de eo qui mittitur in poſſeſſ.* & ibi Gloſſa & Doctores, & ad *cap. Eccleſia S. Mariæ hoc tit.* & ad *cap. 9. de foro Competenti.*]

Non omittendum poſtremò, quod Panormitanus adnotat ad *cap.*

Ne innitaris hoc tit. Papam, ſi erret corrigi poſſe per Coneilium generale, *can. Anaſtaſius*; *Diſt.* xix. Item quod Bonifacius VIII. in *cap.* 1. *eod. tit. in* vi. ſtatuit; Conſtitutiones generales Pontificum, licèt, ipſo Iure, priores reuoeare intelligantur, quamuis nullam de ipſis faciant mentionem; Conſuetudinibus tamen, & Statutis ſpeeialium locorum, & perſonarum ſingularium, dum tamen rationabilia ſint, non aliter derogare, niſi expreſsè caueatur in ipſa Conſtitutione poſteriori: quod à iure Ciuili repetitum videtur *Conſtitut.* Iuſtiniani: *De Iuſtinian. Cod confirm* §. *pen.* quem explicauit doctiſſimus Cuiacius, *libr.* 15. *Obſ. cap.* 37. & in fine *Parat. Cod. de legibus.*

AD TIT. III.

DE RESCRIPTIS.

TRACTATVS III.

QVAMVIS generali Conſtitutionum nomine, Reſcripta venire poſſint; ſeparantur tamen à Conſtitutionibus, tam Iure Ciuili, quàm Canonico, *l. 1. ff. de Conſtitutionibus, & de Reſcriptis.* Quod vt intelligatur, obſeruandum ex Iure Ciuili, Imperatores, quos Pontifices ſecuti ſunt in pleriſque, variis modis Ius condere: Per Reſcripta, Pragmaticas, Subſcriptiones, Adnotationes, Decreta, Interlocutiones, Orationes, ſiue Senatuſconſulta, Edicta, & Mandata; de quibus Theophilus ad §. *Sed & quod Principi 5. Inſtit. de Iure Nat. Gent. & Ciu.* iuncta *l. 1. ff. de Conſtitution.* & Cuiacio *Paratit. Cod. tit. 14. & 15. Libri 1.* Pontifices verò, non ita ſubtiliter, ſingulas ſpecies, propriis nominibus diſtinguunt: imò ſæpè nomina confundunt, quamuis rem ipſam vſurpent. Et quidem Edictis aliquando vſi ſunt, vt conſtat ex *cap. 3. de Offic. Legati, cap. præſenti, de Officio Ordinarij, in* VI. Quinimò regulæ Cancellariæ, quas initio Pontificatus, ſinguli Pontifices publicè proponunt, Edictis Imperatorum, vel potiùs Prætorum comparari poſſunt. Decreta etiam faciunt, quando, vel ipſi per ſe, partibus auditis, vel datis Auditoribus, ad eorum relationem ſententias, de conſilio Fratrum proferunt. Exemplum celebre extat in *cap. Eccleſia ſanctæ Mariæ, tit. præced. & cap. Conquerente 16. de Officio Iudicis Ordinarij.* Adnotationis, & Subſcriptionis verbo quamuis non vtantur Pontifices; rem tamen ipſam vſurpant, in his, quæ vulgò *Signaturæ* appellantur: de quibus in *cap. vlt. de Pœnitentiis, & remiſſionibus, in Extrauagantibus communibus.* Nihil autem aliud ſunt, quàm Adnotationes, quæ vel ab ipſo Summo Pontifice ſubſcribuntur Precibus, & Libellis, vel à Cardinalibus, aut aliis Prælatis, à Pontifice præpoſitis vtrique Signaturæ, vel gratiæ, vel iuſtitiæ. Notandum tamen, diuerſas eſſe clauſulas, & diuerſam poteſtatem, quando ſubſcribit Pontifex, & quando Prælati: de quibus vide Gomeſium in *Commentario ad regulas Cancellariæ, Quæſt. 15. & 16.* in quibus Compendium vtriuſque Signaturæ, & praxim Cancellariæ Romanæ compendioſè explicauit. Obſeruandam etiam, plerumque Reſcriptum ſequi præcedentem Adnotationem; vt in ſpecie, *l. 1. Cod. de Precib. Imp. offer.* ibi, *Iuxta Adnotationis noſtræ Decretum:* quod poſteà, memoriales implebant; vt loquitur, *l. vlt. Cod. de Petitionibus bonorum ſubl.*

ſubl. Mandata verò aliter accipiuntur in Iure canonico, aliter in Ciuili, *tit. de Mandatis Principum, Cod.* nempe Mandatum in his Libris, pro qualibet iuſſione, vel pro certo genere Reſcriptorum, & frequentiùs pro his quæ vulgò, *de Prouidendo appellantur.* Sed huiuſmodi mandata in *hoc tit.* non ſeparantur à reliquis Reſcriptis; ſicut nec Pragmaticæ generales.

Itaque Reſcripta poſſunt definiri in *hoc tit.* Conſtitutiones Pontificum, editæ ad Conſultationes, vel Relationes, & Suggeſtiones, tam ſingulorum, in priuatis Cauſis, quàm Prouinciarum, Ciuitatum, Capitulorum, Collegiorum, & Corporum, in publicis Cauſis: quæ propriè dicuntur Pragmaticæ, *l. 7. Cod. de diuerſ. Reſcript.* Et cauſa cognita, in Principis Conſiſtorio, precibus adhibitis, ſiebant, vt rectè Gloſſa aduertit, ad *Can. vlt. Diſt.* c 1. Ex huiuſmodi diuerſis Reſcriptis vniuerſum ferè Ius Ciuile, & Canonicum eſt compoſitum. In hoc verò *tit.* variæ eorum ſpecies, formulæ & clauſulæ exponuntur: quare in *antiqua Collectione* 1. recte additur in *Rubrica*, & *de interpretationibus eorum.* Diximus ad relationem, ſiue preces Reſcripta edi: quare Libelli oblatio præcedere debet, quæ Petitio, & Petitoria vulgò, in Libris noſtris appellatur, & in *Cod.* tres *Tituli de Libellis & Precibus*, præcedunt *tit. de Reſcriptis.* Aliquando Libellus Reſcriptis ſubiiciebatur; vel precum ſaltem ſententia comprehendebatur paucis, etiam in Pragmaticis; vt conſtat ex *forma Pragmatica, de contractibus Argentariorum*, quæ inter *Edicta Iuſtiniani* 7. loco ponitur, & ex celebri *Pragmatica eiuſdem* Iuſtiniani in *fine Nouellarum* edita ad petitionem Vigilij Papæ, ad componendas res Italiæ, poſt Gothos expulſos. Nihilominus tamen de fide & veritate precum, tam in Reſcriptis, quàm in Pragmaticis, quæſtio ſupereſt, *l. vlt. Cod. de diuerſ. Reſcript.* Quin & aliquando, vt rei veritas accuratiùs inueſtigaretur, Libellus vnà cum Reſcripto mittebatur ad Iudicem, qui à Principe dabatur, *l. 6. ff. ad l. Iul. de vi publ. l. 33. Diuus ff. de re iudic. & l. 3. ff. de aliment. leg.* Pari ratione, aliquando inſtrumentorum vis & ſenſus inſerebatur tantùm Libellis, *l. vlt. Cod. de precib. Imp. offer.* aliquando inſtrumentorum exempla ſubiiciebantur, *l. 15. Cod. de tranſact.* Hactenus de Reſcriptis in genere.

Summa Reſcriptorum diuiſio hæc eſt, vt vel ad lites, vel ad beneficia pertineant. Altera, vel in forma communi, vel noua, ſeu gratioſa concedantur. In hoc autem *tit.* variæ clauſulæ proponuntur, & regulæ, quarum plurimæ, vtrique diuiſioni conueniunt. Et quidem ſtatim in *cap. 1. Speciale mandatum derogare generali; quamuis in eo non fuerit facta mentio generalis:* quod & confirmatur §. 1. *cap.* 14. Itemque Iudicibus delegatis, ſiue ad lites, ſiue ad beneficia, cauſas commiti ſæpiſſimè, cum hâc clauſulâ, *ſublato appellationis remedio. cap.* 1. 2. & paſſim: quam clauſulam, ita eleganter explicat Arnulphus Lexouienſis Epiſcopus, in *Epiſtola ad Gilbertum Londonienſem Epiſcopum*, ſub finem. *Porrò negotium vobis in expedito Romani Pontificis collocauit autoritas; ſublato nimirum appellationis obſtaculo, in quo ſibi calumniatores plerumque, occaſionem vexandi conſtituunt, & refugium euadendi. Nunc enim parebit vobis, licèt inuita, quaſi quibuſdam terminis circumſcripta malignitas; cùm nec ad præſens, forum veſtrum poſſit excidere, nec ſuturi-*

Adde quæ infrà ad *cap. ſicut Romana* notamus ex *Pragmatica & Concordatis.*

tatis veſtra ſententiam declinare. Illa verò clauſula petita eſt ex Iure Ciuili. Apponi tamen tantùm poteſt Iudicibus datis ab Imperatore, vel à Summo Pontifice, non ab aliis, *l. 1. ff. à quibus appell. non licèt.* [*cap. 15. & 27. de Officio Iudicis delegati*, *cap. 12. 36. 41. 43. & 47. de Appellation.* Cuiacius ad *cap. 9. 12. & 59. eod. tit.* Et Gloſſa ad *cap. 12. de Officio Iud. Ordin.*] Poterit tamen, à ſententia definitiua appellari, & iterum cauſa delegari; ſi modo à Pontifice ſecundum Reſcriptum obtineatur, in quo primi mentio facta fuerit: & interim ſuſpendetur executio ſententiæ *cap. Paſtoralis §. prætereà & ſeq. de Offic. & poteſt. Iudic. deleg.* Itemque generaliter, ſi iniuſtè grauatus fuerit appellans. Illæ enim tantùm appellationes inhibitæ cenſentur, quæ in iure non indulgentur: verbi gratia, moratoriæ, fruſtratoriæ, & à futuro grauamine; quæ paſſim Iure canonico ſolebant admitti *cap. 53. extra de Appellation.* Aliquando etiam, non obſtante clauſula illa, *remota appellatione*, delegati Iudices, ante ſententiam definitiuam, admittebant appellationes; quando nempe in gratiam impetrantis clauſula fuerat appoſita, Arnulphus Lexouienſis ad *Alexandrum Papam ep. 65. Ego verò, quia nolens agere cogi non poterat, & ad preces eius, ipſiuſque fauore, videbatur ſublatum appellationis obſtaculum, ad læſionem eius retorquere non debui; ſed alio, ſicut fuerat, in poſſeſſione dimiſſo, literas vtrique requiſitas tradidi, per quas eorum, quæ apud nos acta ſunt, veritas veſtræ poſſit innoteſcere Maieſtati.*

Adde infra ad *cap. ſicut Romana* ſub finem, & *cap. 12. de Offic. Iud. Ord.* & ibi A. Coſta.

Notanda alia Regula, *in ſecundo Reſcripto, primi debere mentionem fieri; alioquin non valet, cap. 2. & 3. hoc tit.* [*cap. 2. de Dolo & Contumacia, & cap. 14. hoc tit.*] niſi ſecundum Reſcriptum contineat ius ſingulare, ut in ſpecie *cap. 1.* vel impetratum fuerit ab altera parte, cui primùm non innotuerit dolo, vel negligentiâ aduerſarij *Cap. 9. 12. & 16. iuncta antiqua, & cap. 32.* Intra annum autem, impetrans vti debet Reſcripto: alioquin ex ſecundo conueniri poteſt, *cap. 24.*

Clauſula etiam ſolemnis eſt, *ſi preces veritate nitantur*, quæ ſi omiſſa ſit, ſubintelligitur Iure canonico: & de veritate precum inquiritur; quæ quæſtio ſemper præiudicialis eſt, *cap. 2. hoc tit* Iure Ciuili nullum eſt Reſcriptum, in quo illa clauſula deeſt. Tacita autem veritate, vel falſo expreſſo, ſi quis Reſcriptum obtineat, quid iuris ſit, explicabimus in *cap. 2. & 20. huius tit.* In Reſcripto autem exprimi debet nomen impetrantis, Dignitas, beneficium, licèt minimum: imò & vires patrimonij; præſertim ſi in forma communi Reſcriptum edatur, *cap. 17. & 42.* Itemque in omnibus Reſcriptis, ſiue ad lites, ſiue ad beneficia, vt fraudes, & doli impetrantium vitentur, mentio facienda eſt [Eccleſiarum ſpecialiter & nominatim *cap. 2. de dolo & contumacia*, &] qualitatis Perſonarum, & Corporum, aduerſus quæ impetrantur. Nec ſufficit generalis deſignatio; verbi gratia, ſi aduerſus Monachos petatur, Ordo exprimendus eſt, *cap. 6. hoc tit.* Itemque non ſufficit, ſi quibuſdam rebus, aut perſonis ſpecialiter deſignatis, ſubiiciatur generalis clauſula, *vel alia res, vel aliæ perſonæ.* Hæc enim generalis clauſula comprehendet tantùm, vel pares res, vel ſimilis conditionis perſonas, cum illis, quæ ſpecialiter expreſſæ fuerunt, *cap. 15. & 36. hoc tit.* Imò his verbis: non plures quàm tres, vel quatuor

continentur, *cap. 2. hoc tit. in* v1. Strictiſſimè autem Perſonæ, & Loca, in Reſcriptis, prout ſonant, accipiuntur: nec extenſio ſit ad alia loca, vel perſonas, *cap.* 34. 35. *&* 36. nec ab vno vacationis modo, ad alium, *cap. 6. hoc tit. in* v1.

Super vno etiam & eodem negotio duo Reſcripta obtenta, ad diuerſos Iudices non valent; niſi ſecundum mentionem, & reuocationem primi contineat. Quod ſi dubitetur de reuocatione, Iudices delegati, tam in primo, quàm in ſecundo Reſcripto, iudicabunt ſimul: ſi non conueniant, recurrendum eſt ad arbitros, *cap.* 14. *&* 16. *hoc tit. iuncto capitulo 6. de Reſcriptis in* 11. *Collect.* Quinimò ſuper pluribus negotiis perſonalibus, non poteſt actor diuerſos Iudices obtinere, ne reus temerè vexetur. Idemque obtinet in reo, ſi ex pluribus cauſis reconuentionem habeat, *cap. vlt. hoc tit.* in quo aliæ fraudes impetrantium reſecantur, cui iunge *cap.* 10. *hoc tit.* quo generalis commiſſio ad futura omnia negotia, & ad certos Iudices, quos elegerit, impetrari non valet: iunge *cap* 3. *hoc tit. in* v1. Nemo autem poteſt in vim Reſcriptorum ad lites, vltra duas diætas, ad alios Iudices trahi *cap.* 28. *hoc tit.* Hodie non licet vltra Diœceſim, *cap.* 2. *de Reſcriptis in* v1. & iis caſibus, quibus extra Diœceſim; non vltra vnam diætam, [*cap.* 11. *Statutum eodem tit. in* v1. *Pragmatica Sanctione tit. de Cauſis* §. *vlt.* Ex cuius *capituli* 11.] initio conſtat, committi non poſſe Cauſas à Pontifice, vel eius Legatis, niſi Clericis, Dignitatem, Perſonatum, vel Canonicatum in Eccleſia Cathedrali habentibus; & in locis inſignibus, vbi copia peritorum haberi poſſit. Quinimò ex *cap. 2. hoc tit. in Clementinis*, Officialis foraneus, vel Prior Clauſtralis, non poteſt delegari. Prætereà, ſine ſpeciali mandato Domini, Reſcripta impetrari non poſſunt; niſi à coniunctis perſonis, à quibus, de iure, non exigitur mandatum, *cap.* 28. §. 1. *& cap.* 35. *hoc tit.*

Strictiſſimè verò, vt diximus, Reſcripta, tam ad lites, quàm ad beneficia accipiuntur: quia ſæpiſſimè Ordinariorum iura diminuunt, & malignitate impetrantium, & auaritiâ ſolent obtineri à Pontificibus; qui aliquando fatentur, ſibi impoſitum, propter varias occupationes. Quare aliquando ea reuocant, *cap. vlt. de Reſcriptis in* v1. vel ſuſtinent executionem, & laudant eos, ad quos huiuſmodi Reſcripta dirigunt, ſi Pontificem moneant, quoties de fraude, vel dolo aliquid eis ſubolet, *cap.* 2. 5. 8. *&* 10. *hoc tit.* iunctis omninò *antiquis Decretalibus* [*cap. cum teneamur de Præbendis*, ibi *ſi non poteſt ſine ſcandalo, &c. & cap.* 7. *de Dolo & Contumacia.* Vide à Coſta ad *cap* 5. *de Offic. Iud. Ordin.* & Illuſt. Marca *lib 3. de Concordia Sacerd. c.* 15. §. 6. 7 *& ſeqq*] Quod & ex Iure Ciuili petitum eſt, in quo iterantur, vel etiam omninò reuocantur Principum iuſſiones *Nouella* 17. *cap.* 4 & ibi Cuiacius; iuncta *Nouella* 134. *cap.* 6. Alioqui obtemperandum Reſcriptis Pontificum, vel Imperatorum; vel excuſationis cauſæ mittendæ, quibus moti, nonnunquam ea ex cauſa reuocant, & ſeueriſſimè in ſurreptores animaduertunt, dicto *cap.* 2. *& cap. vlt. hoc tit.*

Generaliter verò, quoties in Reſcriptis aliquid dubij, vel præpoſteri occurrit, recurrendum eſt ad ius commune, à quo & interpretationem & ordinem recipiunt, *cap.* 17. 18. *&* 20. *hoc tit.* Nec enim contra

ius, vtilitatem publicam, vel in priuatorum præiudicium, impetrata Reſcripta valent, toto *tit. ſi contra ius, vel vtil. publ. l.* 1. 3. 7. *Cod. de precibus Imper. off. cap.* 7. *hoc tit. in* 11. *Collectione.* Celebris etiam eſt hæc quæſtio hoc *tit. an Reſcripta tempore finiantur?* Et quidem Iure Ciuili, Reſcripta, quæ Ius Commune continent, perpetuò durant; niſi nominatim tempus fuerit comprehenſum in Reſcripto: ſi verò beneficium, & gratiam, finiuntur anno. Quare in his neceſſariò dies & Conſul apponi debet, *l.* 2. *&* 4. *Cod. de diuerſ. Reſcript.* Iure verò Canonico, Reſcripta pariter Iuſtitiæ ſunt perpetua; niſi dolus & negligentia impetrantis ab aduerſario arguatur, quæ per annum durauerit. Quod habet locum, ſiue ad beneficia, ſiue ad lites, pertineat Reſcriptum, *cap.* 9. 12. *&* 23. *hoc tit.* Itemque morte Concedentis expirant literæ ad ius pertinentes; niſi lis conteſtata, vel ſaltem citatio antè facta fuerit, *cap.* 19. 20. *extrà de offic. & poteſt. Iudic deleg.* Poſſunt tamen nouis literis, à Succeſſore obtentis, confirmari priores *cap.* 7. vt in ſpecie *capituli* 7. *hoc tit. in* 11. *Collectione.* Literæ verò gratiæ, morte Concedentis non expirant; ſi tamen gratia facta ſit, vel res non ſit integra, *cap.* 9. *Si ſuper gratia, de offic. & poteſt. Iudic. deleg. & cap. Si cui nulla. de Præbendis in* VI. Quare reuocationes gratiarum à Summis Pontificibus, initio Pontificatus ſui, emanare ſolent: quæ ita locum habent, ſi res ſit integra, id eſt, ſi nondum ius in re quæſitum fuerit, id eſt, collatio facta non fuerit: ita enim exponitur, in *cap. vlt. ſub finem de conceſſione Præbendæ in* VI. Hodie in Galliâ Regum noſtrorum Reſcripta annalia ſunt; niſi per ſecundas literas reparatio temporis impetretur. Iure verò, quo in Gallia vtimur, morte Pontificis concedentis non expirant gratiæ; ſi Papa ſcilicet vacantem præbendam, aut vacaturam contulerit. Aliud verò, ſi ipſe non conferat, ſed ſimpliciter mandet prouideri: inſinuatæ tamen Iudici, vel executori, ante mortem Papæ, non expirant; licèt collatio nondum ſecuta fuerit: qua de quæſtione, vide Gloſſam *Pragmatica, tit. de Collation.* §. *Item voluit dicta Congregatio, littera* F. *in verbo* Mandatum, & ibi Probum.

Non omittendum nouam ſpeciem Reſcriptorum, ad vacantia & vacatura beneficia, referri *hoc tit.* quæ non videntur antiquiorem habere Autorem Alexandro III. cuius eſt *cap* 7. *hoc tit.* & inter *Epiſtolas* ipſius Alexandri nuper editas, in fine *Epiſtolarum* Petri Abbatis Cellenſis 7. *&* 43. Ex quibus colligimus, eo colore huiuſmodi Reſcripta eſſe inducta, vt pauperibus, & literatis Clericis proſpiceretur de præbenda, vel beneficio, proximè vacaturo. Sequentes Pontifices eo iure vſi ſunt; donec procedente tempore, velut odioſa, contra ius commune, & in fraudem Ordinariorum Collatorum recepta, valdè reſtricta ſunt. Rationes eleganter explicantur in Concilio Baſilienſi, *Seſſione* 31. *& initio tit. de Collation. in Pragmatica.* Huiuſmodi verò Reſcriptorum fit mentio, *cap.* 17 19. 27. 31. 34. 37. *& ſeqq. tribus.* Ex quibus poſtremis tribus, & ſecundùm formam in illis præſcriptam, componi debent mandata Expectatiuarum, quæ hodie in Gallia, ſolo Pontifici Romano, non autem eius Legatis, permittuntur per *Pragmaticam, & Concordata, tit. de Collation. in Pragmatica, & Concordatis,* & maximè in

Concordatis, *tit. de Mandatis Apoſtolic.* in quorum fine formula Mandati inſeritur, compoſita, vt diximus, ex *dictis tribus capitibus*, quorum etiam nominatim fit mentio. Tandem Concilio Tridentino, Mandata de prouidendo, & Gratiæ expectatiuæ omnes, ſublatæ fuerunt, *Seſſione 24. cap. 19. de Reformatione.* Præuentiones verò, quas vocant, quibus nempe licet Pontifici per concurſum, vacantia beneficia conferre, & eodem iure vti, quo ordinarij Collatores, etiam per *Concordata*, Pontifici nominatim reſeruatæ ſunt, *tit. de Mandatis Apoſtolic. ſub initio:* quod & Baſilienſe Concilium conceſſerat, renitentibus tamen, & contradicentibus Eccleſiæ Gallicanæ Prælatis; quorum ſententia habetur in *Pragmatica tit. de Collation.* & multò poſt [Concordata] in *Ordinationibus Aurelianenſibus art. 22.* ita vt veriſſimum ſit, quod adnotauit doctiſſimus Pithœus, *in tractatu de Libert. & Priuilegiis Eccleſ. Gallic.* tolerari huiuſmodi præuentiones, ſingulari quodam iure, in ſolius Pontificis gratiam, non eius Legatorum. Imo & in perſona Papæ ſtrictiſſimè accipitur; ita vt inutilis Collatio Ordinarij præuentionem impediat. Non fuerunt autem ſublata Mandata Pontificum, quibus pauperibus Clericis, ſine titulo ordinatis, ab Epiſcopo Ordinatore, vel eius Succeſſore, prouideri mandant; quia Ius Commune continent, in pœnam Ordinantis contra Canones, ſine titulo: quæ Forma communis, & Forma pauperum appellari ſolet, *cap. cum ſecundùm Apoſtolum de Prabendis extra:* de qua pleniùs ad *cap. 27.* inf. Quod ſi ad alios, quàm ad Ordinatores Epiſcopos, vel eorum Succeſſores dirigantur, procul dubio ſunt odioſa, & ſublata, licet *in forma Pauperum*, *in forma communi*.

Huiuſmodi Reſcriptorum, ſiue Mandatorum origo, & progreſſus, hic fuit. Ab initio ne Collatores Ordinarij grauiùs conquererentur, imminui iura ſua; Pontifices non ſtatim, & primis literis, vel mandato, compellebant eos ad conferendum vacans, vel proximè vacaturum beneficium. Primò *Monitorias* ſcribebant: quibus ſi non obtemperabatur: Secundò, *Praeceptorias*: Tertiò, ſi perſtarent in contumacia, dabant *Executorias*, quibus contumaciam ceſſantium Collatorum puniebant: ideo *Executorias appellatas*, quia iiſdem literis, Executorem delegabant, & concedebant, qui recipi faceret impetrantem, & prouideret de beneficio, quod vel tunc vacabat, vel erat proximè vacaturum. Procedente vero tempore, vbi cœpit huiuſmodi Mandatorum autoritas inualeſcere, non amplius tres literas, diuerſis temporibus, ſed vnas tantùm dederunt; etiam addito ſtatim Executore, qui ceſſante Ordinario Collatore conferret; exemplo Iuris Ciuilis, quo aliquando Prætor, pro conditione cauſæ, vel perſonæ, vel temporis, aduerſus contumaces, ordinem & compendium trium edictorum ita moderabat *, vt ſtatim *Peremptorium* daret; quod appellatur, *Vnum pro omnibus l. 53. 69. 70. & ſeqq. ff. de Iudiciis.* Patienter Ordinarij Collatores non tulerunt: iterùm querelas veteres geminauerunt, quibus primùm commotus Honorius III. ad eas compeſcendas, plures Decretales ſcripſit, quarum extant multæ in *hoc tit.* Honorium ſequentes Pontifices ſunt imitati; nec deſtiterunt Ordinarij Collatores, donec onere, & iure nouo Reſcriptorum de Prouidendo, maximè ad

* Moderare eo ſenſu ponitur in *l. 27. ff. de Iudiciis.*

vacatura, ſublato, Ius vetus Canonicum Ordinariorum reſtitueretur. Probantur quæ diximus, *cap.* 7. 19. 27. 30. 37. 38. 39. *&* 40. *hoc tit. & cap.* 6. 9. 12. *&* 14. *eodem tit. in* VI. *cap.* 4. 6. 22. 27. 38. *extra de Preb. & cap.* 5. *de conceſſ. Prabenda.* Quæ per tranſennam, & per indicem attingere potiùs, quàm ſubtiliùs explanare maluimus; ne videremur curioſiùs inquirere, quàm vtiliùs, in reliquias iuris abrogati. Subiiciemus tamen formulam *Præceptoriarum Literarum*, quàm ex *MS. Cod.* Eccleſiæ S. Albini Andegauenſis, communicauit nobis vir doctiſſ. Philippus Loyauté, in Senatu ſummo Aduocatus.

Formula Literarum Præceptoriarum, Vt Mandatariis beneficium conferatur.

AD hoc, noſtrum nos impellit officium, Vt Chriſti pauperibus, prout quemque dignum nouerimus, præbeamus adiumentum. Hoc ergo officium timentes tranſgredi, Vt petitioni G. Clerici latoris præſentium non præbuiſſemus auditum, ipſum audiuimus; & ei de competenti beneficio prouidere Vos monuimus, noſtro ſcripto. Quia Verò, nihil horum factum eſt præmiſſis Literis, commonemus Vos iterùm ſubſequentibus, atque Præcipimus, Vt Præbendæ primo Vacantis in VeſtraEccleſia, Veſtituram eidem Clerico concedatis: Sin autem, de Veſtra contumacia nos pœnam ſumere ſentietis.

Iunge quæ infrà, ad *cap.* 27. *hoc tit.*

Poſtremò, notandum multa in hoc titulo referri, ad Iudices delegatos pertinentia: vt enim Reſcripta executioni mandentur, neceſſe eſt dari & addici Iudices. Quare ſæpè Reſcripta appellantur *Commiſſiones:* quia per ea committitur Iudex vnus, vel plures, qui vel de cauſa cognoſcant, vel eam exequantur; vnde & *Executores* appellantur, & multa in *hoc tit.* de forma Commiſſionum, officio & poteſtate Iudicum delegatorum admiſcentur, *cap.* 10. 13. 14. *initio*, 16. 20. 24. 29. *&* 41. Et quidem, in *cap.* 13. ſolennis illa formula explicatur, *ſi duo vel tres, intereſſe nequiuerint, aut noluerint:* ex quo *cap.* notandum, quæ dicitur *Canonica excuſatio*, eandem eſſe, cum *Literatoria*, id eſt, in ſcriptis, *cap.* 21. *infrà, de officio & poteſtate Iud. delegati.* Generalis enim Eccleſiæ conſuetudo ſcripturam requirit, *can.* 9. 11. *Queſt.* 1. ex quo ſupplendum, quod deeſt capitulo 1. *extrà de Libelli oblatione.* Itemque notandum, delegatos Iudices Ordinariis imperare, & mandare poſſe, licèt inferiores ſint. Autoritas enim Pontificis delegantis inſpicitur, *cap.* 24. *hoc tit. & cap.* 12. *de Sententia Excommunicationis.* Ex quibus apparet, maximam eſſe affinitatem, inter hunc *tit. & tit. de officio Iudic. deleg.* in quo pleniùs, de Delegati officio & poteſtate tractandi, proprius erit locus.

Ad Cap. *Sicut Romana* I.

EXTAT Reſcriptum in 1. *Collect. hoc tit.* & iterùm iiſdem verbis, in *cap.* 12. *de Appellation. in* 1. *Collect. ſiue Compilatione*, quæ in Conciliis inſeritur, poſt Concilium Lateranenſe, habitum ſub Alexandro III. quibus inter ſe comparatis, ſpecies ita fingi poteſt. Præfatio continet autoritatem, & poteſtatem Romanorum Pontificum, reſpondendi, & cognoſcendi de omnibus Controuerſiis, quæ in Orbe Chriſtiano naſcuntur; qua autoritate fundata, facti ſpecies ſequitur. Mæuius Literas *protectionis Apoſtolicæ* impetrauerat, quibus generaliter ei conceſſa fuit libera facultas appellandi. Metuebat ne ſibi vis, vel iniuria inferretur à Iudice, à quo appellauerat; quod ſæpè contingebat in Gallia, & alibi, vt deinde dicemus. Poſteà pars aduerſa, ſecundum Reſcriptum obtinuit, in quo eadem cauſa Iudicibus delegatis committitur, cum hac ſpeciali clauſula, *appellatione remota*. Verùm omiſſa fuerat in ſecundo Reſcripto mentio primi; quare videbatur ſubreptitium. Reſpondet tamen Pontifex, ſecundum Reſcriptum præualere. Licèt enim in eo mentio non fuerit facta primi, expreſſis verbis; vi tamen & poteſtate derogari primo & generali, ex eo quòd ſpecialiter remouetur omnis appellatio. Certiſſima eſt enim iuris regula, per ſpeciem derogari generi. Scriptum eſt Reſcriptum *Senonenſi Archiepiſcopo*, cuius Reſcripti pars, reperitur in *cap.* 6. *de offic. & poteſt. Iudic. deleg. in* 1. *Compilatione*, & *in cap.* 5. *eodem tit. apud Gregorium*: ex quibus notandum, primò pertinere ad Eccleſiam Gallicanam.

In capitis initio, quod extat tantùm in *antiqua*, confirmat Pontifex ius & poteſtatem ſuam; quare nempe per vniuerſum orbem Chriſtianum reſcribere poſſit: quæ Præfatio iiſdem ferè verbis reperitur in *cap.* 15. *de officio Iudicis delegati*; ei quippe erat ſolennis, vt conſtat ex eiuſdem Alexandri III. *Epiſtolis*, 19. 22. *&* in fine *Epiſtolarum Petri Cellenſis*, qui & in *Epiſtola* 1. ita ſcribit. *In grauiſſimis quaeſtionibus, ſicut olim ad Moyſen, ſic nunc, Pater Venerande, ab omni Eccleſia Dei, recurritur ad beati Petri, & veſtram fidem.* Rectè, & ſecundùm vſum Eccleſiæ Gallicanæ, *in grauiſſimis cauſis*; quamuis Decretales ſuprà citatæ, generaliter loquantur de omnibus. Sed in Gallia iuxta Conciliorum, & antiquorum Canonum Statuta, de maioribas tantùm Cauſis, ad Sedem Apoſtolicam referebatur: [reliquæ], in locis vbi ortæ fuerant, deciduntur. Et in hac parte ius Ordinariorum integrum & illibatum remanſit, iuxta *Canon.* 4. *&* 5. *Nicani Concilij*, *Can.* 3. *Conſtantinopolitani* 1. *& Can.* 22. *Concilij Mileuitani*: vbi non tantùm de Clericis, ſed etiam de Epiſcopis, idem ſtatutum; vt conſtat ex *Epiſtolis*, quæ in fine *Collectionis Conciliorum Africanorum* ſubiiciuntur: quos Canones Eccleſia Gallicana ſæpiùs in vſum reuocare tentauit; vt conſtat ex tribus celeberrimis iudiciis Epiſcoporum, Rotaldi Sueſſionenſis, Hincmari Laudunenſis, & Arnulphi Remenſis Archiepiſcopi, ſub Carolo Caluo, & Hugone Capeto. Ex quibus colligitur, non temerè, & facilè ad Sedem Apoſtolicam appellationes admiſiſſe Eccleſiam.

Adde infra *de Tranſlatione Tractatum* §. *tandem poſt varias.*

Gallicanam: nec excommunicationes ſuas, inconſultis Epiſcopis, à Pontificibus ſolui; vt conſtat ex *Epiſtola* Benedicti IX. quæ reperitur inter *acta* Concilij Lemouicenſis, apud Baronium, *tomo vndecimo Annalium*, ad *annum* Chriſti 1034. *num.* 20. Omnino verò frequentes, & leui ex Cauſa interpoſitæ appellationes ad Pontificem damnabantur; quam in rem elegantiſſima eſt *Epiſtola* 82. Hildeberti Cenomanenſis. [Iuo Carnotenſis *epiſt.* 172. 180. & 220. Bernardus *lib. 3. de Conſiderat. ad Eugenium cap.* 2.] Ius tamen ſuum Pontifices aſſerebant, & confirmare ſolebant, datis Literis, quæ *Literæ Protectionis*, in *antiqua Collect.* 1. *cap.* 1. *hoc tit.* appellantur, & in *cap.* 24. & 25. *de appellat. in* 1. *Collect.* ad quas pertinet *Epiſtola* Arnulphi Lexouienſis, *ad Hadrianum Papam;* cuius verba notanda. *Priuata communis cauſa præponderat: quoniam de Eccleſia Dei libertate tractatur; nec iam ſpes vlla reſtat refugij, ſi in irritum deducta fuerit Apoſtolicæ Protectionis autoritas.* His ſimiles erant Literæ; quas veteres Pragmatici noſtri, vocant *Letres de Sauuegarde*, ou de *Garde gardienne*: quibus Reges noſtri tuebantur ſubditos ſuos, prouocantes ab iniuriis Ducum, & Comitum, quorum Iudices ſæpè recuſabant appellationes recipere; & ſuas ſententias, non obſtante appellatione, executioni mandabant: &, quod grauiùs, appellantes grauibus iniuriis vexabant: quod & dedit occaſionem Exemptionibus, quæ, pendente appellatione, conceſſæ fuerunt in quibuſdam Prouinciis, & etiamnum hodie retinentur, *Exemptions par Appel.* Vide *Capitularium lib. 7. cap.* 252. & *l. 7. ff. ad l. Iul. de vi publica, & omninò l. 25. ff. de Appellation.* [& *edictum* Theodorici Regis *art.* 55.]

Ex his colligitur, quamuis appellationis remedium ſit iuris communis, ſæpè tamen in Gallia, & Romæ Summos Pontifices, & Reges, vt ſibi ius ſuum, id eſt, liberas appellationes conſeruarent, huiuſmodi Literas Protectionis concedere ſolitos: quod cùm non intellexiſſent Interpretes, vt doctiſſimus Anteceſſor I. à Coſta obſeruauit, futilia & inutilia, in hunc locum congeſſerunt. Quænam autem ſit vis, huius clauſulæ, *Appellatione remota*, in *paratitulo* explicauimus. §. *Summa reſcriptorum diuiſio.* Excluduntur moratoriæ appellationes & iniuſtæ; verbi gratia, à futuro grauamine, ab interlocutoria qualibet: non autem iuſtæ, id eſt, ante citationem, verbi gratia, vel notitiam Literarum delegato intimatam, *cap. 30. de Appellation.* infrà, iuncta *antiqua Decretali.*

Obſeruandum præterea, huius *cap.* deciſionem propriè pertinere ad *tit. de Appellation.* quare & in 1. *Collect.* iterùm ſub *tit. de Appellation.* collocatur 12. Nec mirum: nam & iure Ciuili ſæpiùs vna & eadem lex ſub diuerſis titulis collocatur. Malè tamen Raymundus Præfationem Decretalis ſuſtulit, quæ generaliter pertinet, ad confirmandum ius Pontificium in edendis Reſcriptis, ad varias Conſultationes. Nam ea parte detractâ, nihil ſupereſt, quod ad hunc *titulum de Reſcriptis* pertineat. In Gallia ſemper huiuſmodi Reſcriptorum multitudo, ſiue ad lites, ſiue ad beneficia, fuit improbata. Itemque reiectæ appellationes friuolæ, & leues ad Sedem Apoſtolicam; præcipuè, omiſſo & ſpreto medio: quam in rem elegantiſſimæ ſunt Bernardi querelæ

relæ ad Eugenium III. *libro de Conſideratione ad Eugenium, cap. 4. & 6. & lib. 3. cap.* 1. ſub finem, *& cap.* 2. Ex quibus videtur deſumenda explicatio vera clauſulæ, quæ Reſcriptis ſolet inſeri, *appellatione remota*. Poſtremò, non habitâ ratione Decretalium, Eccleſia Gallicana antiquos canones ſemper retinuit, quos ſuprà citauimus; qui & recenſentur in Concilio Baſilienſi, in Pragmatica noſtra, & Concordatis. Hoc ſcilicet iure vtimur, vt in minoribus negotiis, lites ex ordine, id eſt, in prima inſtantia, in locis, vbi ortæ ſunt, iudicentur: [appellari autem ab interlocutoria non poteſt, ſi poſſit grauamen in definitiua reparari. Quinimò ſi habeat vim definitiuæ, poteſt ab ea tantùm ſemel appellari, & bis à definitiua: alioqui non obſtante appellatione, executioni ſententia mandatur], Concilium Baſilienſe, *Seſsione* 20. *Pragmatica, & Concordata, tit. de Cauſis, & ſeq.* Cuiacius in fine *parat. ff. de Appellat. recip. vel non.* Verùm hæc materia; non eſt propriè huius loci. Ad *tit. de Iudiciis, de Foro competenti, & de Appellationibus*, meliùs & commodiùs referetur.

Ad Cap. Super Literis XX. & Cap. Poſtulaſti XXVII.

Rectè Interpretes Caput 20. Clauim totius tituli appellant: eſt enim eorum, quæ ſub titulo continentur, breuis admonitio, & comprehenſio. Promulgatum verò eſt ab Innocentio III. ad conciliandas diuerſas Interpretum ſententias, ad *l.* 1. 2. *&* 5. *Cod. Si contra ius, vel vtil.* quibus iungendæ *l.* 24. *ff. ad l. Cornel. de falſ. l. Nec exemplum Cod. eodem.* Paulus *lib.* 1. *ſentent. tit.* 12. §. 3. Ex quibus locis tres Regulæ eliciuntur.

Prima. Qui Reſcriptum à Principe impetrauit, ſiue per falſam allegationem iuris, quod ad ſe pertinere intendit; ſiue per narrationem facti falſam, vel veritatis reticentiam: commodo Reſcripti carere debet indiſtinctè; ſiue dolo malo; ſiue per errorem & ſimplicitatem, mendacium commiſerit.

Secunda. Iudex tamen à Principe delegatus, nihilominùs ſuper principali negotio poterit cognoſcere: at ſecundùm veritatis tenorem, & iuris ordinem.

Tertia. Mendax verò Precator, ſi dolus & fraus probetur, poterit tanquam falſarius accuſari; vel etiam abſque accuſatione ſolenni, Iudex delegatus, aduerſus eum, extra ordinem animaduertere poterit. Quòd ſi accuſatio falſi inſtituta fuerit, principalis negotij cognitio erit in pendenti; donec de falſo pronunciatum fuerit: prius enim debet conſtare de veritate precum, *l.* 2. 3. 4. *&* 5. *Cod. Si contra Ius, & l. vlt. Cod. de diuerſ. Reſcript.* Quod ſi per errorem peccauerit, locus non erit accuſationi falſi; ſed ſtatim ſine mora Iudex cognoſcet de principali negotio, ſecundùm Legum & Iuris ordinem *d. l. nec exemplum, Cod. ad l. Cornel. de falſis.* Quæ verior videtur conciliatio *l.* 2. *cum l.* 5. *C. Si contra Ius*, quam primus Azo ad *d. l.* indicauit, quem Cuiacius ſequitur in *Parat. C. Si contra Ius.* Quinimò nulla ſunt

Reſcripta Iure Ciuili, vt diximus, in quibus deeſt clauſula, *ſi preces veritate nitantur:* iure autem Canonico ſubintelligitur. Iure verò Ciuili, & Canonico valent Reſcripta per mendacium impetrata propter autoritatem concedentium, ſed per exceptionem eliduntur, preſcriptione ſcilicet mendaciorum oppoſita, vt loquitur *d. l. 2.* cui adiungi debet *canon dicenti ſauſa* XXVI. *Quæſt* 2. & quæ Gratianus, & Gloſſa ad *eum Canonem.* Ex quibus conficimus impetrantem Reſcriptum probare debere, & fidem imponere ſuis precibus, *l 7. Cod. de diuerſ. Reſcript.* & argumento *l. 21. Cod. de fide inſtrum. & l. vlt. Cod. ad l. Cornel. de falſ.* Nec tamen ideò impedietur aduerſarius, qui falſum, vel fraudem allegat, illam probare, & accuſationem falſi mouere: quod ſignificant verba *cap.* 20. *poſtquam ſibi ſuper hoc facti fuerit fides*, ab eo ſcilicet, qui falſum vel fraudem obiicit.

His ita conſtitutis, patet, quod diximus, celebrem hanc Decretalem Innocentium III. promulgaſſe, ſicut & alias plures, ad ſedandas Interpretum Controuerſias, tam ad *d. l. 2.* quàm ad *d. canonem dicenti:* quibus in locis Interpretes, nos remittunt ad hoc *cap. ſuper Literis*; cuius hæc eſt ſententia. Relatis opinionibus Interpretum diuerſis, ita diſtinguit Pontifex. Qui per dolum, vel expreſſo falſo, vel ſuppreſſo vero, (ita corrigenda ſumma Decretalis) Reſcriptum obtinuit; non tantùm carere debet impetratis, ſed etiam delegatio, & datio Iudicis nihil valet; per omnia eſt inutile Reſcriptum. Si verò per errorem & ſimplicitatem id contigerit, ita diſtinguit: vel ſuppreſſa eſt tanti momenti veritas, vel expreſſa falſitas, quæ Pontificem, vel ad denegandum Reſcriptum impuliſſet, vel difficiliorem reddidiſſet: vel contrà tanti momenti non fuiſſet, vt propterea Pontifex Literas denegaret; ſaltem conceſſiſſet *Literas*, vt vocant, *in forma communi, ſiue iuſtitiæ*, de qua formula dicemus. Primo caſu, quando Pontifex, vel omninò non conceſſiſſet, vel difficiliùs; ceſſant partes, vt diximus, Iudicis delegati, perinde ac ſi dolus interueniſſet. Secundo caſu, Iudicis datio manet; qui etiam de negotio principali cognoſcet, ſecundùm formam tamen, & Regulas iuris communis, & pro tenore veritatis, neglectâ formâ in Reſcripto expreſsâ. Definitio huius Reſcripti locum habet in omnibus Reſcriptis, tam ad lites, quàm ad beneficia, ſiue ſint Iuſtitiæ, ſiue ſint Gratiæ, vt pluribus exemplis infrà declarabimus.

Duas differentias potiſſimùm, in hoc articulo deprehendimus, inter Ius Ciuile, & Canonicum. Ius Canonicum grauiùs punit mendacem impetrantem, ſi dolus & fraus aliqua appareat. Hoc enim caſu inutile eſt per omnia Reſcriptum; adeò ut ne Iudicis quidem datio valeat: nec de principali cauſa cognoſcitur. Iure autem Ciuili, primùm, vt diximus, Delegatio Iudicis integra manet; ſed iudicat ſecundùm ordinem Iuris, non habitâ ratione formæ, in Reſcripto præſcriptæ. Secundò Iudex à Principe delegatus animaduertet aduerſus impetrantem, *l. & ſi, Cod. ſi contra ius, & argumento, l. vniuerſa, Cod. de diuerſis Reſcriptis;* quas Leges Gloſſa citare debuit ad *cap. 2. hoc tit.* in hæc verba, *ad preſentiam noſtram* quam Gloſſam corruptam eſſe, rectè notauit Antonius Auguſt. in *Notis ad dictum cap. in 1. Collectione*, ex

Alano veteri Gloſſatore *Collectionis* 1. Iure verò Canonico, Iudex falſarium punire non poteſt; ſed dilatâ cognitione, ſcribet iterùm Pontifici, ad quem etiam, ſi culpa grauior fuerit, impetrantem remittere debet puniendum, tanquam falſarium, *cap. 2. 17. 24. 26. & 27. hoc tit.* iuncto *cap. 6. extrà de Prebend. in Antiqua*. Mendacium verò committitur, non tantùm ſi falſum dicatur; ſed etiam ſi veritas occultetur, *can. 80. Quiſquis*, XI. *Quæſt 3.* quod & *dictâ l. Præſcriptione, Cod. ſi contra Ius*, euidenter demonſtratur, & ex doctrina Iuriſconſultorum Cicero *lib. 3. Officior.* Similiter in Ædilitio Edicto dantur actiones, ex reticentia, ſicut & ex dicto, & promiſſo, *l. 1. & l Ædiles 38. ff. de Ædilit. Edicto*. Et quidem, cuius & qualis falſi expreſſio, licèt per errorem facta, Reſcriptum vitiet, & impediat Iudicis delegati cognitionem, exempla habentur in *cap. 32. & 42. hoc tit.* Item quibus caſibus noceat veri omiſſio, vel ſuppreſſio, ſub qua continetur omnis æquiuocatio. Ad eam vitandam, licèt genus contineat poteſtate, *τῇ δυνάμει*, ſub ſe omnes ſpecies generis; tamen mentio ſola generis non ſufficit: ſed ſpecialiter ſpecies ſingulæ, loca, perſonæ, negotia, eorum qualitates, conditiones, & differentiæ deſignandæ ſunt, vt in exemplis, *cap. 6. 8. 14. 15. 17. 19. 26. 27. 31. in Antiqua, 32. 34. & vlt.* Quæ omnia locum habent in Reſcriptis omnibus, ſiue ad Lites. ſiue ad Beneficia; ſiue ſint iuſtitiæ, ſiue ſint gratiæ; ſiue inter Eccleſiaſticas, ſiue ſæculares perſonas agatur, & de rebus ſecularibus. Nam *dictum cap. 38.* de ſecularibus perſonis, rebus temporalibus, & ad Galliam pertinet: quod tamen moribus noſtris, & Iuri antiquo Canonum contrarium eſt. Nec enim Pontifex, vel Epiſcopi, vllam iuriſdictionem exercere poſſunt in Laïcos de rebus temporalibus.

Supereſt, vt aliquid adnotemus ad *cap. 27.* cuius inſcriptio emendanda eſt, ex *Regiſtro* Innocentij III. *Lib. 16. Epiſtol. 165.* vnde ſumpta eſt hæc Decretalis, *Epiſcopo VVratiſlauienſi*, qui in Sileſia ſuffraganeus eſt Gneſnenſis Archiepiſcopi. In illius *cap.* ſpecie, priuatur beneficio Reſcripti ad beneficia Clericus, qui Reſcriptum obtinuerat, *in forma communi*, tanquam pauper, & non habens beneficium: quia cum haberet, & ſufficiens patrimonium, & Vicariam perpetuam, vtriuſque mentionem omiſerat. Talia verò Reſcripta in *hoc cap. & in cap. 20. ſuprà*, vocantur in *forma communi*, vel, *Cùm ſecundùm Apoſtolum*; id eſt, ſecundùm formam præſcriptam in *cap. 16. extra de Præbendis*, quod ita incipit, *Cum ſecundùm Apoſtolum*, cuius Autor eſt Innocentius III. ad quem pertinet elegans *Epiſtola* eiuſdem 184. *lib. 15. ad Epiſcopum Pictauienſem.* Iunge *cap. 13. infra de ætate, & qualitate, & ordine*, in fine, Ibi, *Mandata in forma communi:* ad quod *cap.* veteris Interpretis IV. *Collectionis* notas adhibere proderit. Appellantur etiam, *in forma Pauperum;* quia generaliter pauperibus Clericis tantùm conceduntur: & *Litera iuſtitiæ;* quia iuſtum eſt pauperibus Clericis, qui nullum habent beneficium, prouideri. *cap. 30. de Præbendis in* VI. Hoc amplius; veteri Iure Eccleſiæ, ſolis pauperibus, Eccleſiaſtica beneficia conferri debebant, non autem diuitibus, *can. 13.* Concilij Sardicenſis, ex quo ſumptus eſt *canon Oſius Diſt.* LXI. quibus iunge *l. 6. & 17. Cod. Theodoſ. de Epiſc. Eccleſ. & Cleric.*

VVratiſlauia in Sileſia eſt, non in Polonia, vtut Gneſnenſi Archiepiſcopo ſubſit.

& can. Clericos , & ſeqq. Cauſa 1. Quæſt. 5.

Additur in *dicto cap.* 27. *Ex paternis bonis , &c.* Interpretes vulgò vocant *Titulum Patrimonij*. Vnde colligitur , alterutrum ſufficere , vel beneficium , vel patrimonium , ex quo ſe poſſit Clericus exhibere. Quibus caſibus Epiſcopus , qui ordinauit , non compellitur prouidere per eiuſmodi Reſcripta *Iuſtitiæ ,* ſiue *In formâ communi , hoc cap. & cap.* 5. *extrà de Prebendis.* Aliud obtinet , in *Literis Gratiæ*. In his enim non nocet patrimonij omiſſio , vt rectè Interpretes colligunt ex contrario ſenſu noſtri *cap.* Vide Rebuffum in *Praxi tit. de Reſcripto in forma communi.* Quodlibet tamen beneficium , etiam modicum , exprimi debet , ſiue in Literis Gratiæ , ſiue Iuſtitiæ ; niſi Papa motu proprio conferat , & in formâ , de qua in *cap. Si motu , de Prebendis in* VI.

Poſtremò explicandum quod dicitur de Paternis bonis , id eſt , *Titulo Patrimonij ,* quem vocant. Fluxit hic Titulus ex corrupto *canone* 6. Concilij Chalcedonenſis , relato in *Canone* 1. *Diſt.* LXX. in quo duo errores veterum Interpretum notandi , ibi : *ſuæ Ciuitatis :* nempe inferunt Interpretes ex verbo *ſuæ ,* quod propter Gloſſam Romani Correctores tollere non debuerant , quamuis in Græco non habeatur , extraneos à beneficiis arcendos. Nec enim is eſt ſenſus Canonis. Quo tamen Iure in Gallia vtimur , tam ex veteribus , quàm nouis Regum noſtrorum Conſtitutionibus : quod etiam Ius non multùm recedit ab antiquis canonibus , & Imperatorum legibus. Secundus error , ibi : *Poſſeſſionis.* Ex hoc verbo Interpretes Decreti primò *Titulum Patrimonij* excogitauerunt ; cùm tamen *Poſſeſſio ,* illo loco , vt & apud bonos Autores , aliquando vniuerſitatem agrorum , & ædificiorum contineat ; Vicum , ſcilicet , vel Pagum , & opponitur Ciuitati. In *d. can.* 6. Concilij Chalcedon. πόλιν , & κώμην : cuius canonis ſenſus eſt. Eo momento , quo quis ordinatur , non abſolutè , ſed relatiuè debet ordinari Clericus ; id eſt , debet adſcribi , & deputari in Eccleſia aliqua certa , ſiue Ciuitatis , ſiue Pagi , ſiue Monaſterij ; & vt loquitur eleganter vetus Interpres canonis , *mereatur ordinationis publicatæ vocabulum.* Poſt Ordinationem enim factam ab Epiſcopo , Archidiaconus ſtatim , in Eccleſia , clarâ voce , pronunciabat , *Eligimus talem Lectorem ,* verbi gratia , vel *Subdiaconum , ad Tit. ſanctæ Mariæ ,* vel alterius alicuius Eccleſiæ : quod nomen & Titulum ordinati retinebant ; & in qua ſemel intitulati fuerant Eccleſia , perpetuò perſeuerabant , & denominabantur à ſuo Titulo ; cuius rei veſtigia remanent in Cardinalibus , & Epiſcopis , vt manifeſtè apparet , ex *Ordine Romano ,* vbi tractatur , *de forma Ordinationum ,* & ex ſubſcriptionibus antiquorum Conciliorum , quæ à Pontificibus Romanis ſunt habita. Antiquæ Eccleſiæ vnus erat hic olim , & ſolus titulus : ignotus omninò fuit *Titulus Patrimonij.* Nam & *canon.* 2. *Diſt.* LXX. qui eſt Vrbani II. innouat *canonem* 6. Concilij Chalcedonenſis. Inductus verò videtur primùm , aut ſaltem confirmatus , ab Alexandro III. in Concilio Lateranenſi , *can.* 5. qui extat in *cap.* 4. *de Prebendis extrà ,* & deinde retentus à ſequentibus Pontificibus. Imò & in Concilio Tridentino , *ſeſſione* 21. *cap.* 2. in quo , non tantùm Patrimonium , ſed etiam Penſio ſufficit. Itemque confir-

matur in *Aurelianenſibus Comitiis*, *art.* 12. In Commonitoriis tamen Regum noſtrorum ad ſuos Legatos Tridentini Concilij, poſtulanda mandatur reuocatio huiuſmodi *Tituli Patrimonij* contra canones, per abuſum ſenſim inducti. Quod autem paſſim tribuitur Concilio Chalcedonenſi Tituli Eccleſiaſtici neceſſitas; Ius tamen illud longè antiquius eſt, vt conſtat ex *canone* 13. Concilij Næoceſarienſis, ad quem vide omninò Zonaram, & Balſamonem: ſed de his aliàs. Obſeruandum tamen *capituli* 2. *Tituli de Præbendis*, ſententiam eſſe huiuſmodi; vt reprimerentur effuſæ Clericorum Ordinationes, (quæ tempore *dicti capituli*, ad certas tantùm Eccleſias fiebant; nec erat adhuc cognitus *Titulus Patrimonij*) Epiſcopi tenentur eos, quos ſupra ſtatutum numerum in Eccleſiis ordinauerint, propriis ſuis ſumptibus ſuſtentare, vt conſtat ex *Nouella 3. & 6. cap. vlt. & Nou.* 16. ex quibus, vel ſaltem ex *Epitome* Iuliani, *dictum caput* 2. *de Præbendis* ſcriptum eſt. Confirmandum etiam eſt, quod diximus, Reſcripta ad Lites valdè odioſa eſſe ordinariis Iudicibus, ſiue Eccleſiaſticis, ſiue ſecularibus. Quare, quæ de his *hoc titulo* ſtatuuntur, non debent trahi facilè ad conſequentias in aliis articulis Iuris, *cap.* 33. 35. 38. & maximè *cap. Nonnulli*, §. 1. iuncto *cap.* 33. *hoc tit. cap.* 23. *ex parte, & ſequenti*, iuncta *Antiqua Decretali, extrà de verbor. ſign.* quæ omnia capita ad Galliam pertinent.

Ex tribus autem poſtremis, & ex *cap.* 5. *tit. ſeq.* colligimus multitudinem Excommunicationum, & Interdictorum, quæ ab Eccleſiaſticis fiebant, propter manifeſtas injurias, & offenſas, etiam circa temporalia ſibi illatas, maiores noſtros ægrè tuliſſe; temperatas autem valdè fuiſſe Concilio Baſilienſi, *ſeſſione* 20. vnde ſumptus eſt titulus *Pragmaticæ Sanctionis, de Interdictis indifferenter non ponendis.* Recurrendum enim erat ad Iudices ſeculares, ad quos huiuſmodi iniuriarum cognitio, & Iuriſdictio pertinet: nec ſibi Ius dicere potuerunt Eccleſiaſtici in re temporali. Quo Iure hodie vtimur. Appellaretur enim his caſibus ad Summas Curias Parlamentorum, tanquam ab abuſu. Præterea ex *dicto cap.* 33. notandum, Reſcripta ad Lites, ſine ſpeciali mandato impetrata, ipſo iure nulla eſſe; nec opus eſſe exceptione, vtpote contra ſtatuta Concilij Generalis obtenta, *cap.* 28. §. 1. *hoc tit.* Idemque eſt ſi mandatum revocatum fuerit: quam reuocationem, in hoc caſu, id eſt in his, quæ extra iudicium geruntur, Procuratori tantùm ſufficit intimare. Reuocatio autem in iudicio facta, debet etiam Iudici & parti innoteſcere, *cap. Mandato extrà de Procuratoribus*, & *l.* 65. *ff. de Procuratoribus*. Itémque notandum ex *eodem cap.* 33. Ratihabitione non confirmari Reſcriptum poſt reuocationem Procuratoris impetratum. Præterea in Reſcriptis ad beneficia, mandatum non deſiderari: pœnalis eſt enim Concilij definitio. Itaque reſtringenda, vt rectè Gloſſa notat ad §. 1. *cap.* 28. *in verbo, ſine ſpeciali*, & in *cap.* 8. Quinimò & ad *dictum cap* 28. & 33. adnotatur, ex vſu Curiæ Romanæ etiam in litibus, ſpeciale mandatum non deſiderari, nec admitti appellationes ex hac cauſa. Quod tamen ad Gloſſam additum vtroque loco, ex prauo vſu, contra Legem, notauit Molinæus, & meri-

tò improbat. Rectè notat etiam ſpeciem, ſiue caſum, qui in multis Codicibus applicatur ad *dictum cap.* 33. & ineptiſſimus eſt, malè tribui Panormitano. Nam alius caſus in *eodem cap* longè diuerſus ab ipſo Panormitano refertur, ex Bernardo veteri Interprete Decretalium; quem etiam reſtituit, abbreuiatum tamen, Molinæus.

Digitized by Google

AD TIT. IV.
DE CONSVETVDINE.
TRACTATVS IV.

SVPERIORIBVS Titulis, De Conſtitutionibus, & Reſcriptis, partes omnes Iuris Canonici ſcripti explicauimus. Sequitur Secunda pars Iuris non ſcripti. Τὰ παραδοθέντα Petrus vocauit [*Act. cap.* 1.] Propriè appellatur Conſuetudo, ſiue Traditio, quæ vt in *Præfatione* diximus, vel eſt vniuerſalis, id eſt, omnium Eccleſiarum; vel particularis, id eſt, alicuius Eccleſiæ. Imò & in *hoc tit.* generaliùs, non tantùm Eccleſiaſticarum, ſed etiam ſecularium quarumdam Conſuetudinum, Regnorum, vel Ciuitatum, fit mentio; Daniæ *cap.* 2. & Rupellæ *cap.* 10. *hoc tit.* Definiri verò generaliter ita poteſt Conſuetudo, vſus inueteratus, deficiente Iure ſcripto, vel ad eius interpretationem receptus, ſuadente ratione, *Can.* 4. 5. 6. *& ſeqq. Diſt.* XI. *& cano.* 7. 8. *&* 9. *Diſt.* XII. quæ conueniunt cum his, quæ Iure Ciuili de Conſuetudine traduntur, in *ff.* quidem, ſub *Titulo De Legibus, Senatuſque Conſultis, & longa Conſuetudine, l.* 32. *& ſeqq. Cod.* verò *tit. Quæ ſit longa Conſuetudo.* Non minùs autem, quàm ea, quæ ſcripta ſunt, Iura, ſeruatur Conſuetudo inueterata, *d. l.* 32. *§.* 1. *l.* 35. *& ſeqq. ff. eodem.* Etiam in rebus Fidei, Traditio vniuerſalis Eccleſiæ obtinet [Baſilius *lib. de Spiritu Sancto cap.* 27. & ibi Fronto, & in *appendice & notis* pag. 24. & 25. Qui locus refertur in *can.* 5. *Diſt.* XI. & quem Burchardus & Iuo rectè ex Baſilio citant; Gratianus verò in *d. can.* 5. malè hoc modo: *vnde Auguſtinus ex dictis Baſilij*: vel, *ex Auguſtino in libro ex dictis Baſilij.* Secunda Particula vera: quamuis & circa hunc articulum optimè cum S. Baſilio conueniat S. Auguſtinus, vt conſtat ex eius *epiſt.* 85. *&* 118. vnde ſumpti ſunt *can.* 7. *&* 8. *eadem Diſt.* XI. Innocentius I. *can.* 11. *eadem Diſt.* Idem S Auguſtinus *lib.* 2. *de Baptiſmo cap.* 7. 8. 9. Irenæus *lib.* 3. *cap.* 3. *&* 4. Iſidorus *lib.* 1. *de diuinis Offic. cap. vlt.* & Autor *libri de ſeptem Ordinibus Eccleſiæ* in fine, inter opera S. Hieronymi, his verbis. *Hoc tantùm iuſſi ab omnibus condemnandum, quod aut Conſuetudo Eccleſiarum, aut diuinorum Librorum ſcripta non retinent.*] Qua de re alibi pluribus diximus. [Scilicet in *Diſſertat. De Origine & Autor. Iuris Can. parte* 1. vbi de Iure non ſcripto.] Adde elegantes *Epiſtolas* duas VValeranni Numenburgenſis Epiſcopi *ad Anſelmum Cantuarienſem*, & Anſelmi *ad VValerannum Lib.* 3. *Epiſtolarum* Anſelmi, 136. *&* 137. & Radulphum de Riuo. *Libro De Canonum Obſeruat. Propoſitione* 2. 3. 4. 5. inter Au-

tores, *de Diuinis Catholicæ Eccleſiæ Officiis.* [Itemque *Epiſtolam* Conſtantini *de Paſchate* in fine Concilij Nicæni, & Sozomenum *lib.* 7. *cap.* 19.] Quinimò eleganter in *l.* 3. *Cod. quæ ſit longa Conſuet.* Conſuetudo dicitur legem retinere, id eſt confirmare legem, & impedire, ne abrogetur per non vſum, *l.* 32. *ff. eodem.* Plurimæ enim Leges, quæ etiam in Libris noſtris habentur, quia vſu non fuerunt receptæ, inutiles remanſerunt. Interpretatur etiam Conſuetudo Legem, *l.* 37. *& ſeqq. iunƈto cap.* 8. *hoc tit.* Non tamen tantùm tempore, ſed potiùs ratione niti debet; alioquin vel omninò reiicienda, niſi ſcandalum metuatur; vel non extendenda in ſimilibus caſibus, *l* 39. *d. tit. l.* 1. *&* 2. *Cod Quæ ſit longa Conſuet.* Quod Exemplis pluribus declaratur in *hoc tit. cap.* 3. 4. 7. 10. *& vlt.*

Inueteratus vſus, ſiue Conſuetudo longa, quo definiatur tempore, non reperitur in Iure. Licet enim in materia vſucapionis & præſcriptionum, longum tempus, aliquando decem, vel viginti, aliquando triginta, vel quadraginta annorum ſpatio definiatur; nihil tamen ſimile dicitur de Conſuetudine longa. Quare arbitrio iudicantis relinquitur, vt docet Cuiacius *Paratit. Cod. Quæ ſit longa Conſuetud.* Iure verò Canonico ſufficere videtur quadraginta annorum numerus, *cap. Abbati* 25. *extrà de verb. ſign.* & Gloſſa ad *cap. vlt. hoc tit.* [iuncta Gloſſa *Pragmaticæ Sanctionis* in *tit. de Cauſis* § *Statuit* 1. in verbo *Conſuetudine præſcripta.*] Ex his eliciuntur quædam Regulæ, & earum Exempla proponuntur.

Conſuetudines, quæ vel contra Ius Canonicum, etiam poſitiuum, introductæ ſunt; vel quæ vergunt in grauamen Eccleſiæ, aut eius libertatem imminuunt, reiiciendas eſſe, *cap.* 1. 3. 4. *& vlt. hoc tit.* itemque, quibus neruus & vigor Eccleſiaſticæ diſciplinæ diſrumpitur, *cap.* 5. Et à contrario ſenſu, quæ Conſuetudines, vel Conſtitutiones, ſiue ab Eccleſiaſticis, ſiue à Laïcis factæ, Canonibus non obuiant, nec Eccleſiæ libertati, comprobandæ ſunt; vel etiam ſi indifferentes ſint, vt loquitur, ferendæ ſunt. Exemplum habemus in *cap.* 2. quod indiget explicatione. Sumptum eſt ex *cap.* 1. *hoc tit. in* 111. *Compilatione*, & extat in *Regiſtro* Innocentij III *Lib.* 1. *Epiſt* 418. ex quibus Inſcriptio ita reſtituenda; *Archiepiſcopo & Capitulo Lundenſi*, ſiue *Lundunenſi*: malè in quibuſdam, *Lugdunenſi.* Quod in errorem induxit Robertum, qui in Gallia Chriſtiana, *hoc cap.* 2. ad Renaldum Lugdunenſem Archiepiſcopum, ait ſcriptum fuiſſe. *Lunda* igitur, ſiue *Lunduna*, eſt Metropolis Prouinciæ Scaniæ in Dania, quæ olim Scandia, ſiue Scandinauia. Vrbs verò Lunduna celebratur à Scriptoribus Hiſtoriæ Danicæ, Krantzius in *Præfat. Hiſtoriæ Daniæ.* Metropolitanus verò Lundenſis, ſicut & omnis Dania, & Suecia primùm ſuberant Archiepiſcopo Hamburgenſi: deinde vnitis Bremenſi Epiſcopatu & Hamburgenſi Archiepiſcopatu, Vicariatum etiam Sedis Apoſtolicæ, in Danos, Suecos, & Slauos obtinuit. Qui ſummus honos, vnà cum Epiſcopatus Bremenſis vnione cum Hamburgenſi Archiepiſcopatu collatus eſt Nicolai I. Reſcripto, & Præcepto Ludouici Regis Germaniæ; Æquiuoci, & filij Ludouici Pij, Anſgario, quem antè Ludouicus Pius Senior curauerat Archiepiſcopum Hamburgenſem conſtitui autoritate Gregorij

IV.

IV. Hamburgo verò captâ & vaſtatâ Normanorum incurſionibus, vacantem Epiſcopatum Bremenſem, in ſolatium vniri iuſſit Hamburgenſi Archiepiſcopatui Ludouicus filius, & Nicolaus I. Verba Reſcripti notanda. *Autoritate Omnipotentis Dei, & beatorum Apoſtolorum eius Petri & Pauli, & hoc noſtro Decreto, Decreuimus, ſecundùm Reuerendiſſimi Regis Ludouici votum, ipſas prædictas Diœceſes, Hammaburgenſem ſcilicet & Bremenſem, non deinceps duas, ſed vnam eſſe, & vocari, ſubditque Sedi, quæ Prædeceſſoris noſtri Decreto* (intelligit Gregorium IV.) *Archiepiſcopali eſt munere ſublata, &c. Nullus verò Archiepiſcopus Colonienſis, vllam deinceps, in eadem Diœceſi, ſibi vindicet autoritatem.* Guntharius enim Colonienſis Archiepiſcopus grauem Controuerſiam de Bremenſi Epiſcopatu, qui antè ſuberat Colonienſi Metropoli, in inuidiam Anſgarij conflauerat: quam tamen Ludouicus filius, & Nicolaus primus compoſuerunt. Nec tamen planè conquieuit lis; ſed multis pòſt annis, ſub Alberto I. Hamburgenſi Archiepiſcopo ſummæ autoritatis & potentiæ, pacata tandem fuit. Per vnionem verò illam, vt verba Reſcripti Pontificij demonſtrant, ita *Bremenſis Eccleſia in Hamburgenſem Metropoliticam eſt transfuſa, vt titulus permaneret Hamburgenſis, & Bremenſis interiret.* Præter Literas Pontificias, Præceptum Regis Ludouici proceſſit. Pleniſſimè retulit hæc omnia Adamus Canonicus Bremenſis in *Hiſtoria Eccleſiaſtica Hamburgenſis Eccleſiæ*, ſcriptâ ad *Liemarum Archiepiſcopum Hamburgenſem*, Alberti primi *Succeſſorem, cap.* 12. 17. 21. 27. in quo ita de vnionis ſupradictæ tempore loquitur. *Igitur Bremenſis atque Hammaburgenſis Parochiæ coadunatio facta eſt vltimo ſancti Anſgarij tempore.* Vitæ eius annum non ponit. Præceptum autem Regis ponit an. Regni 21. Priuilegium Papæ notat anno Domini 858. qui eſt ab ordinatione Archiepiſcopi (Anſgarij ſcilicet) 28. Quæ Priuilegia diligenter adhuc in Bremenſi Eccleſia conſeruari ait. Confirmat etiam autoritate *vitæ* Anſgarij, à Scriptore coætaneo ſcriptæ, vt veriſimile eſt; in qua etiam Nicolai Priuilegium contineri monuerunt me Viri quidam docti, qui & ex ea excerpta quædam miſerunt ex *Cod. MS.* Pleniùs verò in *vita MS.* querela Guntharij Colonienſis Aprchiepiſcopi explicatur: Hæc prima ratio. Cum hæc vnio inchoaretur; *Colonia Ciuitas, ad quam Bremenſis ſuffraganea erat, eo tempore abſque Benedictione Epiſcopali degebat.* Guntharius itaque poſteà conſtitutus Archiepiſcopus Colonienſis, Eccleſiæ ſuæ viduatæ, & vacanti, hanc iniuriam fieri ægerrimè tulit. Qua de cauſa poſtmodum, *in VVormacia Ciuitate, poſitis duobus Regibus, Ludouico ſcilicet & Lothario*, Guntharius cauſam egit ſuæ Eccleſiæ: *Iuſtum non eſſe multipliciter oſtendens, vt Sedes ſuffraganea in Archiepiſcpalem Sedem verteretur: nec ſe debere, honorem Sedis ſuæ in aliquo minuere.* Victus tamen precibus Regum & Epiſcoporum, & rationibus, & neceſſitatibus, quæ impulerant Ludouicum ad vnionem faciendam, anguſtiâ Metropolis Hamburgenſis, quæ, vt ait Autor *vitæ* Anſgarij, non niſi quatuor Baptiſmales Eccleſias habebat, vaſtatione, & Barbarorum incurſu recenti; ceſſit tandem Guntharius, *ſi Apoſtolica autoritate firmaretur.* Conſenſu itaque Guntharij interueniente, & ſolemni legatione ad Nicolaum primum miſsâ, ritè

confirmatum eſt, quod à Rege Ludouico fuerat inchoatum. Autorem vitæ Anſgarij ex eodem Adamo *cap.* 31. coniicere poſſumus fuiſſe Rimbertum Diaconum eius, & Succeſſorem. Krantzius ex eodem Autore, præcipue ex Adamo Bremenſi, & aliis, diligenter compilauit *cap.* 19. 20. 36. 37. 38. *&* 39. *lib.* 1. *Metropolis, ſiue Hiſt. Eccleſiaſtice Saxoniæ.* Poſtrema *duo capita* continent Literas Pontificias vnionis, ſcriptas à Nicolao primo: iunge *lib.* 4. *cap.* 32. *lib.* 5. *cap.* 18. 31. *& lib.* 6. *cap.* 13. Ex his tribus obſerua rerum vices. Aboletur titulus Hamburgenſis: & Bremenſis Archiepiſcopus cœpit vocari, qui antè Hamburgenſis: quod poſt Liemarum, ſub Humberto eius Succeſſore cœpit. Ita enim Krantzius *lib.* 5. *cap.* 31. initio. *Humbertus per ea tempora, poſt Liemarum agebat in Archiepiſcopatu, iam Bremenſi. Nam Hamburgenſis titulus, ex die Conſtitutorum in Prouinciis Aquilonaribus Archiepiſcoporum, cœpit aboleri, quando retraxerunt obedientiam Sedi Hamburgenſi: deſiitque Legationis ſuperioritas, quæ ſub titulo Hamburgenſis debebatur.* Quin & Hamburgenſi Brema tandem ſubtracta, & Colonienſi reſtituta, autoritate Formoſi Papæ, & Arnulphi Regis, & Triburienſis Synodi, ſub Arnulpho, Præſidente Hattone Moguntino Præſule. Propagata etiam multitudine fidelium, non tantùm Hamburgenſi Archiepiſcopo ſubtractus eſt Metropolitanus Lundenſis, ſub Henrico Egota Rege Daniæ anno Chriſti 1105. qui & ob eam rem Romam profectus eſt: ſed etiam Primatum impetrauit Lundenſis in vniuerſam Daniam & Sueciam, ab Adriano IV. Hanc dignitatem confirmauit Innocentius III. Abſaloni Archiepiſcopo Lundenſi, vt conſtat ex *Epiſtola* 415. *Lib.* 1. *Regiſtri*, & ex ſimili *Priuilegio* eiuſdem Pontificis, conceſſo Andreæ Abſalonis Succeſſori, quod retulit Iſacius Pontanus *lib.* 6. *Danicæ Hiſtoriæ*, Krantzius locis citatis. Quæ pluribus ideò ſumus executi, quoniam pleriſque aliis locis nobis erunt vſui. In *cap.* verò 2. *hoc tit.* ait Pontifex, *Regnum Daniæ regi Conſuetudinibus ſuis, & Regum ſuorum Inſtitutionibus*, quas à Valdemaro I. conſcriptas, Scriptores Dani memorant, nec valdè differre à iure ſcripto. Iure autem Daniæ Teſtamenta non cognoſcuntur. Donationes verò dicuntur vulgariter in *hac Decretali*, fieri *per Scotationem*; hac formâ. *Glebam, vel modicum terræ Donator in manu accipiebat, vel in extremitate pallij, quod manu Epiſcopi, vel cuiuſlibet alterius Prælati Eccleſiæ ſuſtinetur, aut ſuper ipſum Altare, &c.* Ita legendum ex *antiqua Decretali integra, cap.* 1. *hoc tit. in Collect.* III. Apertè verſio Gallica vetus Decretalium, quam beneficio viri docti Nicolai Fabri in Senatu Aduocati habemus, *Cil qui donne, prend un poi de terre en ſa main, ou el pan de ſon mantel, & met en la main au Prelat, ou ſus l'Autel.* Vulgariter ait appellari *Scotationem*: Danorum forte linguâ, coniiciebat præceptor meus doctiſſimus Coſta in *Recitationibus ad tit. de Pactis*, ita vocari *à Scotica*, quæ in *Lexico Arabico Latino* Vulcanij, ſignificat inſtrumentum, *quod circa codicem terram aperit.* Ita loquitur: *quo ceſpes eraditur, & effoditur.* Huiuſmodi Donationes cauillabantur quidam, quaſi non factas ſolemniter. Corporalem forte & ſolemnem traditionem deſiderabant; fictitias traditiones reiiciebant: ſicut & olim iure Ciuili donatio per traditionem corporalem, in frequentiâ teſtium,

Franciſcus Pithœus ad oram ſui Codicis ad *d. cap.* 2. *de Conſuetudine.* Hæc habet *Floríleg. Saxonicum. Scot dicitur, quod ex diuerſis rebus in*

actis etiam ſuper traditione interuenientibus celebranda erat, *l. 1. 6. 7. & 8. Cod. Theodoſ. de Donatio.* reiecta etiam vſusfructus retentione, licèt poſteà hoc ius in deſuetudinem abierit. In hac verò *Decretali* confirmatur Conſuetudo Daniæ, & fictitia huiuſmodi traditio, quam Ius Ciuile tandem agnouit, *l. vlt. Cod. Theodoſ. eodem tit. l. 38. & 35. §. 5. Cod. Iuſtinianeo de Donatio.* Vide Cuiacium *libro 19. Obſeruat. cap. 18.* Rectè autem Innocentius, *Glebæ oblationem*, eſſe ait, *argumentum traditæ poſſeſſionis*; ſicut in iure Arrarum datio appellatur argumentum contractæ venditionis, *initio tit. de empt. & vendit. Inſtit.* Huiuſmodi verò ſymbola, atque fictitiæ traditiones, non tantùm in Donationibus, ſed etiam in venditionibus, & reliquis contractibus, quibus non tantùm dominium, ſed etiam aliquod ius in re transfertur, frequentiſſimè vſurpari cœperunt poſtremis temporibus. Quod vocant, *veſtire, veſtituram, ſiue inueſtituram facere*, quæ fiebat vel per fuſtem, ſiue baculum, feſtucam, vexillum, enſem, haſtam, annulum; vel aliquid aliud ſimile, in traditione teſtibus adhibitis, *ſub teſtimonio videntium & audientium*, vt loquitur in *hac Decretali* Innoc. III. Extat ſimilis forma donandi, *Per viridem ceſpitem, cui viridis ramus infixus erat, ſuper Altare impoſitum, Gazon verd*, inter Diplomata Leodienſia, *num. 9. anno Chriſti* 1304. Vide *Gloſſarium Legum Antiquarum in* Dictionibus, *veſtitura, feſtuca, fuſtes, & Laiſus*, Spelmannum in *Gloſſario*, dictione, *feſtuca*, & *inueſtitura.* Huiuſmodi verò inueſtitura, differt à traditione corporali; & ad id eſt efficax, vt compellatur ille, qui inueſtiuit, poſſeſſionem vacuam tradere *Lib. 2. Feudorum, tit. 8.* Vide Cuiacium *ad lib. 2. Feudor. tit. 1. §. Si verò Archiep.*

vnum aceruum aggregatur.

De Inueſtituris infra latiùs ad *tit. de Electionibus §. mirum igitur non eſt.*

Confirmatur etiam Conſuetudo eligendi Prælatum, de gremio alterius Eccleſiæ, in gratiam Patronorum, & Matricis Eccleſiæ; quamuis iure communi de ipſa Eccleſia ſumi debeat, *cap. 8 hoc tit.* iuncta *Antiqua*, ex qua & ex *Epiſtolis 18. & 19. libri 14. Regiſtri* Innocentij III. hiſtoriam, progreſſum, & finem litis, pleniſſimè diſcimus. Ipſam Fundationem Andrenſis, ſiue Andernenſis Monaſterij habes in *Tomo 2. Donationum Belgij* Miræi, quæ neceſſaria eſt ad *huius Decretalis* intellectum.

Caput 3. *huius tit.* ſumptum eſt ex *lib. 1. Regiſtri* Innocentij III. *pag. 361.*

Cap. verò 4. ex *lib. 2. pag. 522.* in quo non poteſt introduci per conſuetudinem, vt Preſbyteri Sacramentum Confirmationis conferant: qui error in Eccleſiam Græcam irrepſerat, *Hieron. epiſtola ad Marcellam.* Conſuetudo etiam reiicitur, qua tempore generalis Interdicti, Exempti quidam celebrabant diuina officia, pulſatis campanis, & alta voce, apertis ianuis. Exemptis enim tantùm permittitur, vt *Interdicto durante, ſubmiſſa voce celebrent clauſis ianuis, non pulſatis campanis; & præterea, excommunicatis & interdictis excluſis*, Innocentius III. *libro 15. Regiſtri, epiſtola* 12. De Interdictorum autem materia vide *Notas* doctiſſimi Iureti ad *Iuonis Carnotenſis Epiſtolas*: ex quo multi multa hauſerunt, ſicut ex aliis *Notis* eiuſdem viri ſcientiſſimi rerum noſtrarum, & recentioris Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, vix, aut

Digitized by Google

pudenter, nominato autore. Iunge *lib.* 14. *Regiſtri* Innocentij III. *Epiſtolam 3. & libri 12. Epiſtolam 15.* Suo loco plura de Interdictis dicemus. Non valet etiam Conſuetudo, qua Prelatus propria voluntate dignitatem ſuam deſerit, inconſulto Superiore, & ad aliam tranſit, *cap. 7. hoc tit.* quod caput ex mentiòne facta Legati Pontificis in partibus Germaniæ, pertinere colligimus ad Corbeïam Saxonicam, in Diœceſi Paderbornenſi: quæ & Noua Corbeïa dicitur, ad differentiam Corbeïæ Gallicæ veteris, in Ambianenſi Diœceſi: vtráque Ordinis ſancti Benedicti. Notandum ex *cap. 6.* poſſe Epiſcopum, nouas Dignitates inſtituere in Eccleſiis, ex propriis tamen reditibus, & abſque præiudicio & damno veterum Dignitatum. Item circa vnam & eandem Dignitatem ſæpè diuerſas eſſe Eccleſiarum Conſuetudines, etiam in eadem Prouincia. In his ſeruanda hæc regula, vt rationabiles ſeruentur, reliquæ reiiciantur [*cap. 6. hoc tit.*] *cap. 7. & 9. de Offic. Archidiac. can.* 11. *Diſt* XI. Iſidorus *lib. 1. De Eccleſiaſt. Offic. cap. pen.* Regulariter verò quoties variæ Eccleſiarum Conſuetudines occurrunt, ad Cathedralis vel Metropolitanæ Eccleſiæ Conſuetudinem & normam recurrimus; ita tamen, vt inſuper habitâ dignitate Ciuitatum, locorum, vel Eccleſiarum, etiam Romanæ, præferendum ſit & eligendum ſollicitè, quod plus Deo placere poſſit. Gregorius Magnus *can.* 10. *Diſt.* XII. Secundùm quam regulam reſtringendi ſunt *can.* 3. & 11. *Diſt.* XI.

Quod verò dicitur in *cap.* 9. non poſſe Capitulum nouas facere Conſuetudines & Conſtitutiones, vel veteres mutare, ſine Epiſcopi conſenſu; ita intellige: in ipſius Epiſcopi præiudicium, vt rectiſſimè ex integra *Decretali* Honorij Contius addidit. Nam ſicut Conſtitutiones Capitulum facere poſſe, ſine Epiſcopo probauimus, *tit. de Conſtitutionibus*; ita etiam & Conſuetudines: cum hoc tamen temperamento, quod ſemper ſupplendum; dummodò Conſuetudines non pugnent cum ratione, vel canone ſcripto, qui nondum in deſuetudinem abierit: in quo Canones & Leges conueniunt. Vide Cuiacius *Parat. Cod. Quæ ſit longa Conſuet.* Quare meritò in *cap. 1. de Conſuet. in* VI. damnatur vetus Conſuetudo cuiuſdam Eccleſiæ, quamuis iuramento firmata, qua Canonici duos Perſonatus, Dignitates, Præpoſituras, duas adminiſtrationes, aut duo Officia perpetua, ſimul cum præbendâ licitè obtinere, abſque diſpenſatione Sedis Apoſtolicæ poterant; *Cum*, vt ait, *ſacris ſit inimica Canonibus*: *& de ambitionis radice proceſſerit.* Non ſufficit longum tempus, longa Conſuetudo; quoties contraria Legi, vel Canoni Conſuetudo, manifeſtè eſt iniuſta. Quod ſi longa & diutina Conſuetudo inualuerit, & vires acceperit, quæ ratione, & æquitate nitatur, procul dubio præfertur Legi & Canoni, Iuri ſcripto & ſtricto, humanitatis intuitu, κατ᾽ οἰκονομίαν. Exemplum inſigne nobis ſuppeditat Baſilius, in *can.* 1. 2. 3. & 4. *Epiſtolæ ad Amphilochium*, in quibus agitur de pœnis canonicis, περὶ κανονικῶν ἐπιτιμίων, aitque Conſuetudinem, quæ imminuit, & temperat pœnas Canonicas, præferendam aliquando ipſis Canonibus: vtrumque tamen ius diligenter eſſe tenendum, *Ius ſcriptum*, & *Conſuetudinem contrariam*, ἀμφότερα τοίνυν εἰδέναι ἡμᾶς δεῖ, καὶ τὰ τῆς ἀκριβείας, καὶ τὰ τῆς

Adde S. Chryſoſtomum *lib. 2. de Sacerdotio cap.* 2. 3. 4. &

συνήθειας. ἐπειδὴ δὲ ἐπὶ τῶν μὴ καταδεξαμένων τὴν ἀκρίβειαν τῶν παραδοθέντων τύπων. Sic legendum. Nam hic locus, in omnibus Codicibus, vel corruptus eſt, vel malè verſus, tam in *can.* 3. Baſilij, quàm in *can. vlt.* VI. Synodi in Trullo, in quo refertur, & elegantiſſimis verbis pleniſſimè explicatur. Opponit Baſilius in *d can.* 3. *συνηθείᾳ, τύποι*, bis in fine, & in medio, *ταῦτα μὲν οὖν τὰ ἐκ τῶν τύπων.* In *primo can.* opponit ſimiliter, *τὸ τῆς ἀκριβείας αὐστηρὸν, τῷ ἔθει.* Locus obſeruatione dignus eſt: *τῷ ἔθει χρηστέον, καὶ τοῖς οἰκονομήσασι τὰ καθ' ἡμᾶς πατράσιν ἀκολουθητέον. ὑφορῶμαι γὰρ μήποτε, ὡς βουλόμενοι ὀκνηροὺς αὐτοὺς, περὶ τὸ βαπτίζεσθαι ποιῆσαι, ἐμποδίσωμεν τοῖς σωζομένοις, διὰ τὸ τῆς ἀκριβείας αὐστηρόν.* *Eodem can.* *πάντη δὲ λέγω τυπωθήτω.* In *can.* 4. *συνήθειαν δὲ καταλάβομεν ἐπὶ τῶν τριγάμων, πενταετίας ἀφορισμόν. οὐκ ἀπὸ Κανόνων, ἀλλ' ἀπὸ τῆς τῶν προηγησαμένων ἀκολουθίας.* Canones opponit, *τύπους, ἢ τὰ κανονικὰ διατάγματα*, Ius ſcriptum, ſummum & ſtrictum in Canonibus comprehenſum, Æquitati, Vſui, ſiue Conſuetudini, iuri, quod ex non ſcripto venit. Vtriuſque tamen peritiſſimos eſſe debere, *τοὺς ἐξουσίαν λύειν καὶ δεσμεῖν παρὰ Θεοῦ λαβόντας*, quibus *ποιμαντικὴ ἡγεμονία*, Paſtoralis gubernatio & regimen traditum eſt, *can. vlt. d.* Synodi VI. in Trullo; Epiſcopis primùm, & deinde reliquis, quibus vices ſuas mandauerint. Nam illis tantùm permittitur recedere à Iure ſcripto; *ὅταν σκληρότεροι ὦσι εἰς τὴν ὑποδοχὴν τῶν ἐπιτιμίων ἰατρευόμενοι.* Senſus itaque loci eſt. Vtrumque ſcire nos oportet, & quæ ſtricti iuris ſunt, & quæ Conſuetudinis: ſequi verò ea, quæ Conſuetudine & communi vſu recepta ſunt; quoties occurrunt Pœnitentes difficiliores, & duriores ad recipiendam & ferendam Canonibus & Iure ſcripto præſcriptam pœnam. In *d. can. vlt.* Zonaras, & Balſamo notant, *συμπάθειαν* pro *συνηθείᾳ*, in quibuſdam Codicibus reperiri: Gloſſema optimum & antiquum irrepſit in contextum. Ratio & cauſa inducendæ Conſuetudinis, pro ipſa Conſuetudine, *ἔλεος, συγκατάβασις, οἰκονομία, & συμπάθεια.* Æquitas, humanitas, benignitas, diſpenſatio, quæ præcepto opponitur. Paucis & rectè Zonaras in fine *Interpretationis d. can. vlt.* *καὶ ὁ Μέγας δὲ Βασίλειος ἐπὶ τῶν μὴ καταδεχομένων τὴν ἀκρίβειαν τῶν παραδοθέντων τύπων, ἐπιδοῦναι τῇ συνηθείᾳ ἐδίδαξε.* Quibus verbis manifeſtè explicat, & confirmat, veterem & veram lectionem, & ſenſum *d. can. vlt.* quem ſuprà retulimus. Rectè obſeruat idem Zonaras poſſe contingere, vt Conſuetudo poſteà in ſcripta fuerit redacta: quia tamen origo eius, ex non ſcripto venit, retinet nomen Conſuetudinis antiquum; & Canonibus, ſiue iuri, quod primum ex ſcripto venit, opponitur, ſicut in *Præfatione* monuimus, & pluribus probauimus initio *Tractatus, de Origine, & Antiquitate Iuris Canonici.* Fiunt enim de Conſuetudinibus ſcripturæ, vt quod obtinuit, per eas faciliùs probari poſſit. Sine Scripturis autem valent Conſuetudines, ſi habeant aliundè probationem, argumento *l. 4. ff. de fide inſtrument.* Pari ratione humanitatis, & neceſſitatis, pœnæ legitimæ, id eſt, legibus comprehenſæ, paulatim abierunt in deſuetudinem ferè omnes, & arbitrio iudicantium relictæ, propter varias *περιστάσεις*, quæ conſiderandæ ſunt in criminibus puniendis, & facta, ſiue crimina comitari ſolent, ſuadéntque ſententiam ferri, vel leuiorem, vel grauiorem; ita tamen

ſeq. Vbi de pœnis Eccleſiaſticis; & modo, prudentia, & temperatione Epiſcopi in illis adhibendis prudentiſſimè diſputat.

Ex hoc loco Zonaræ reliqui Canones emendandi, qui omnes corrupti ſunt.

Ita etiam Iuo

Carnotenſis in *fine Præfationis* ait, ſe plurima ex legitibus deſumpta coniunxiſſe.

vt in vtroque modo Iudex rationem non excedat, *l.* 13. *ff. de Pœnis.* Septem autem *meſionu*, & adiuncta, ſiue vt vulgò vocant, *Circumſtantias* criminum, ſiue delictorum, diligenter exponit IC. in *l.* 16. *aut facta ff. de Pœnis.* Prudentiùs, accuratiùs, & elegantiùs multò, quàm qui verboſos de Caſibus, quos conſcientiæ indigetant, Commentarios conſcribunt; operosè & anxiè nimis: quorum plerique, Iuris Ciuilis, vel Canonici, antiqui maximè, fontes integros, natiuos, & illimes, ne primis quidem labris deguſtarunt. Vnde rerum Diuinarum & humanarum oritut ſæpiſſimè maxima perturbatio. Verùm penſiculatiùs, & accuratiùs canones ſuprà citatos, & antiquiores alios ſimiles, excutiemus *Libro ſingulari, de Diſpenſatione Eccleſiaſtica*, quem, Deo fauente, aliquando ſumus edituri.

AD TIT. V.

DE POSTVLATIONE.

TRACTATVS V.

POST expoſitas varias Iuris Canonici conſtituendi formas; conſequens eſt, vt de perſonis Eccleſiaſticis agatur. Non admittuntur autem in Eccleſiam, niſi legitimè vocati; ſiue de Clericis, qui ſine vlla dignitate, Eccleſiæ inſeruiunt; ſiue de his tractetur, qui Dignitatibus, & honoribus Eccleſiaſticis decorantur. Vtriſque communes ſunt duo vocationis modi antiquiſſimi, Electio, & Poſtulatio. Electio quidem, Iuris eſt ordinarij; Poſtulatio extraordinarij: eorum nempè, quorum electioni aliquid Canonicum obſtat. Communes autem diximus, tam in ordinandis, quàm in promouendis Clericis. Fiebant enim ordinationes, vel per electionis viam, communi ſuffragio Clerici, Ordinis, Plebis, & ſub eorum teſtimonio, vel etiam, per Poſtulationem; verbi gratia Extraneus Clericus & Peregrinus eligi non debet; poſtulari poteſt, & conſenſu proprij Epiſcopi interueniente, ordinari. Conueniunt verò in multis, vt deinde dicemus, Poſtulatio, & Electio: imò & aliquando vocabula inter ſe commutantur, præcipuè in antiquis Canonibus: & Electus dicitur Poſtulatus: contrà Poſtulatus dicitur Electus *can. Statuimus*, §. *his omnibus*, *can. Oſius*, *& ſeq. Diſt.* LXI. *& can. Valentinianus Diſt* LXIII. Et qui in *cap.* I. *&* 2. *huius tit.* Poſtulatus; in *Chronico Antiſſiodor.* [*pag.* 111. *& quatuor ſeqq.*] Electus dicitur: & in *epiſtola* 321. *lib.* I. *Regiſtri* Innocentij III. eligere dicuntur, qui poſtulant. Poſtulatio enim nihil eſt aliud, quàm extraordinaria Electio: quare frequens electionis mentio in *hoc tit.* & contrà, *in tit. de electione*, Poſtulationis, vt in *cap.* 13. 20. 23. 28. 30. *&* 40. Vnde hic modus eligendi receptus, vt quoties dubitatur, an aliquis eligi poſſit, electionis illa forma valeat, *Eligo, & Poſtulo, prout melius de iure vale poteſt.* Qui tamen fuerit nominatus, eligere debet, velP oſtulationem, vel Electionem *cap.* 11. *de Poſtulatione in* VI.

Definiri poteſt Poſtulatio, vnanimis petitio, per quam is, qui ſecundùm Canones, vel ad Clerum, vel ad Dignitatem Eccleſiaſticam, etiam regularem, adſumi non poterat; ex diſpenſatione tamen & gratiâ, causâ cognitâ, à ſuperiori admittitur. Petitio, ſiue Nominatio vnanimis appellatur, vt in *cap.* 23. *de Electione.* Hoc verò habet commune cum Electione. Omnes perſonæ, quæ ius eligendi habent, debent vocari ad Poſtulationem faciendam, ſiue ſint Eccleſiaſticæ, ſiue Laïcæ; verbi gra-

Digitized by Google

Vide infra ad t.t. de Electio. vbi de Iure regio in Electionibus, &c.

tia Reges & Principes, quorum ſaltem aſſenſus requiritur, tam in Electionibus, quàm in Poſtulationibus: qui quidem etſi pupilli fuerint, eorum vice, conſenſus requiritur illorum, quibus tutela & Regni cura commiſſa eſt. Quam in rem notatu dignum eſt *cap. 4. hoc tit.* iunctâ *antiquâ*: ex qua tamen Collector detraxit mentionem aſſenſus Gubernatoris Regij, *Du Regent*, cuius ſæpiùs fit mentio in *antiqua*. Iunge *cap.* 18. 20. & 28. *infra de Elect.* quæ ad Regna Angliæ, Scotiæ, & Siciliæ pertinent, & pleniùs habentur in *antiquis Decretalibus*, ſicut & *cap. 1. hoc tit.* in quo conſenſus Philippi Auguſti Regis in Poſtulatione Senonenſis Archiepiſcopi fit mentio. Qua de re pleniùs dicemus in *tit. ſeq.* Notandum etiam, ſicut Electionis, ita & Poſtulationis Decretum, ſolenniter in ſcriptis fieri debere, & ſubſcriptionibus poſtulantium roborari, *cap. 4. hoc tit.* ex quo deprehenditur error Gratiani, qui in *can.* 10. *Diſt.* LXI. ait, *Poſtulationem ſimplici petitione fieri, & in eo differre ab Electione.* Dicitur vnanimis ſiue concors: omnium enim ſuffragia, vel duarum ſaltem partium requiruntur; quamuis in Electione major pars ſufficiat, *cap. 1. & 3.* iuncta *antiqua, hoc tit. & cap. 40. tit. ſeq.* Differt ab electione potiſſimùm; quia quædam impedimenta, quæ electionem morantur, Poſtulationi non obſtant; verbi gratia, Clericus alterius Diœceſis, vel rationibus obnoxius, vel bigamus, ad ordines regulariter non admittitur; poſtulari poteſt. Itémque Neophytus, illegitimus, filij Preſbyterorum, ad Epiſcopatum eligi non poſſunt; poſtulari poſſunt, *Canonibus ſuprà citatis, & cap. 20. tit. ſeq.* iuncto *cap.* 11. *de Renunciatione*: ſicut & non profeſſus in Abbatem eligi non poteſt; poſtulari poteſt, *cap.* 13. *tit. ſeq.* His tamen omnibus Caſibus, cauſa cognita, poſtulatio admittitur. In eo vertitur cauſæ cognitio, vtrùm cum damno diſciplinæ, compenſari poſſit communis vtilitas & neceſſitas Eccleſiæ: diligenter attenduntur qualitas & merita Poſtulati.

Concurrit autem ſæpè Tranſlatio cum Poſtulatione; vt paſſim *hoc tit. & locis ſuprà citatis.* Quo caſu duplici diſpenſatione opus eſt: ſoluendum primò eſt vinculum, quo Poſtulatus Eccleſiæ tenetur; deinde expenditur Poſtulatio, an ritè facta ſit: quod quidem diligentiſſima cauſæ cognitione opus habet. Vide Iuonem Carnotenſem in *Præfatione Decreti*, quæ etiam habetur in fine *Epiſtolarum, numero* 288. *Editionis 2.* Vtramque autem, & Poſtulationem, & Tranſlationem ſui iuris fecerunt Romani Pontifices, *hoc tit. & toto tit. de Tranſlatio.* ita vt ſi Poſtulatio vnanimiter facta ſit, & Poſtulati perſona idonea; poſſit tamen vltrò & ſponte à Pontifice reiici: pendet enim ex gratiâ, & indulgentiâ, non autem ex iuſtitia, *cap. 3. in fine hoc tit.* Quare nec ante admiſſam Poſtulationem à Pontifice, ius vllum acquiritur Poſtulato, nec etiam ſi admittatur, præiudicium vllum fit ei, qui vocatus non fuit ad poſtulationem faciendam, *cap. 5. hoc tit.* Aliud in Electione *cap.* 28. iuncta *antiqua, & cap. 9. tit. ſeq.* Itemque poſt oblatam Summo Pontifici Poſtulationem, Electores nihil innouare poſſunt: expectare tenentur Summi Pontificis Iudicium, *cap. 4. hoc tit.* qui ſi irritam declaret Poſtulationem, nec tamen vlla culpa poſtulantium poſſit argui, permittere ſolet, vt iterùm

perſona

perſona idonea eligatur, vel poſtuletur, *cap. 3. & 4. hoc tit. cap. 20. extrà de electione, & cap. 11. de Renunciatione.* Quod ſi culpa poſtulantium argui poſſit; verbi gratia, quia indignum poſtulauerint: ſicut ex ea cauſa, poteſt Pontifex, electione caſſata, alium præficere Eccleſiæ: idem & in Poſtulatione continget; niſi Pontifex gratiam faciat poſtulantibus. Quam in rem elegantiſſima ſunt *cap. 1. & 2. huius tit.* iuncta *antiqua.* In his *capit.* reiicitur poſtulatio Epiſcopi Antiſſiodorenſis: quia interdictum generale in toto Regno Galliæ publicatum non obſeruauerat; & propterea ſuſpenſionis ſententiam incurrerat, quam Legatus protulerat in eos, qui non erant obtemperaturi. Quoniam tamen *d. capituli* ſpecies vtilia multa continet, quod & Interpretes obſeruant, præter ea, quæ de Poſtulatione dicuntur, quæ vix intelligi poſſunt, niſi Hiſtoriæ explicatione diligenti adhibita; ex Scriptoribus coætaneis repetenda erit.

Anno Chriſti 1199. Petrus Capuanus, ſanctæ Mariæ in via Lata Cardinalis Diaconus, ab Innocentio III. Legatus miſſus in Galliam, omnibus modis tentauit Philippo Auguſto perſuadere, vt dimiſſa Maria filia Ducis Morauiæ & Bohemiæ, quam ſuperduxerat anno 1196. reciperet vxorem ſuam Ingebergen, Canuti Regis Danorum ſororem, quam matrimonio non legitimè ſoluto, prætextu conſanguinitatis & maleficij dimiſerat: & quidem poſt ſententiam quorumdam Prælatorum Galliæ, quibus præerat [Guillelmus] Archiepiſcopus Remenſis. Hanc ſententiam, vt nullam, & contra ius latam, appellante Ingerberge Regina, Celeſtinus, & Innocentius III. irritam declarauerant. Cùm itaque Philippus non poſſet adduci ad Mariam dimittendam, & vxorem legitimam recipiendam, Legatus in diſceſſu, Diuioni Concilium habuit Epiſcoporum, Abbatum, & Priorum totius Regni. Et quia Regnum Franciæ ſub interdicto ponere moliebatur, appellatum eſt à Nuntiis Regiis. Cardinalis appellationi non deferens, eo colore quod ab Executore non poſſit appellari, quò pertinet *cap. 43. de Appellation.* in eodem loco, adſtantibus Epiſcopis vniuerſis, ſententiam Interdicti protulit, cui non tantùm Galliam, ſed etiam finitimorum Principum Regiones ſubiecit: verbi gratia, Comitatum Antiſſiodorenſem, cui eo tempore præerat Petrus Comes: Epiſcopatum verò regebat Hugo de Nuceriis, genere, literis & facundiâ clarus; qui quidem non obtemperauit interdicto, ſicut nec alij multi Epiſcopi: quibus ob eam rem valdè infenſus fuit Innocentius III. vt in *hoc noſtro capitulo* dicitur. Itaque cùm eodem anno 1199. deceſſiſſet Michaël Senonenſis Archiepiſcopus, Regis & Canonicorum communi conſenſu Hugo poſtulatus eſt in Archiep. Senonenſem. Quam Poſtulationem Innocentius III. irritam declarat in *hoc cap.* 1 in odium Hugonis, qui interdictum non ſeruauerat; & ideo ſuſpenſionem, vt diximus, incurrerat. Suſpenſi autem, & excommunicati, ſicut nec eligi, ita nec poſtulari poſſunt. In eius verò locum ſubſtituit Petrum de Corbolio, Innocentij III. quondam Magiſtrum, qui Pariſiis in ſcholarum regimine floruerat, tam in Theologia quàm in cæteris aliis ſcientiis; & de Cathedra Magiſtrali ad Cameracenſis Eccleſiæ Cathedram, primùm promotus fuerat; tranſlatus deinde in

Adde & *Cap. Nouit de Offic. Legati.*

Metropolim Senonum. Quod quidem contigit anno 1201. quo anno miſſus eſt Octauianus, Oſtienſis Epiſcopus, Legatus in Galliam. Legati admonitionibus motus Rex, vxorem ſuam in qualemcumque gratiam recepit, & ſuperinductam ad tempus à ſe ſeparauit. Hic Legatus promotioni Petri vehementer fauit, nec tamen transferre eum poterat. Sicut enim diximus, Tranſlatio & Poſtulatio ad ſummum Pontificem pertinent; & ne eius quidem Legatis permittuntur, vt manifeſtè ex *cap.* 20. apparet, & *cap.* 3. *inf. de Offic. Leg.*

Quamuis autem in Poſtulatione Antiſſiodorenſis, vel Cameracenſis Epiſcopi, mentio non facta fuerit conſenſus Regis; certiſſimum tamen eſt interueniſſe. Et quidem de Cameracenſi, *Chronicon Antiſſiodorenſe*, his verbis: *Legatus Petrum de Corbolio, tam de aſſenſu Regis, quàm Domini Papæ, Clero licèt, præter paucos, inuito, in Senonenſem Eccleſiam inthroniſat.* De Antiſſiodorenſis Poſtulatione, Innocentij III. *Geſta pag.* 36. ita loquuntur. *Vacante Metropoli Senonenſi, Antiſſiodorenſis ab vniuerſo Capitulo vnanimiter eſt electus, Rege ſuum præbente conſenſum: miſſique ſunt Nuntij honorabiles, & ſolemnes ad obtinendam Tranſlationem & Pallium:* quod & *cap.* 1. exprimitur, & confirmatur *cap.* 4. *hoc tit. in fin.* & pluribus explicabimus, ad *tit. de autoritate & vſu Pallij.* Hæc omnia valdè illuſtrant *capitulum* 1. & 2. *huius tit.*

Non omittendum, Epiſcopum Antiſſiodorenſem, & reliquos Epiſcopos, grauiſſimas habuiſſe cauſas, non obtemperandi interdicto. Primùm, Interdicti ſententia non fuerat prolata in Regno: ſed in [Burgundiæ Ducatu Diuioni habitum primo Concilium, in quo regnum Franciæ ſub interdicto poſitum; neque delatum appellationi Regis ad Sedem Romanam, Rigordus ad *annum* Chriſti 1199. & Iuretus ad Iuonis Carnot. *epiſt.* 46. *ſub finem*: & promulgata poſtea ſententia Viennæ, vt ex *geſtis* Innocentij III. conſtat;] & ſic quaſi extra territorium lata, non valebat. Cui difficultati reſpondet Pontifex in *cap. Nouit. de Officio Legati.* Obſtabat etiam vetus & antiqua Galliæ conſuetudo, quæ nunquam Interdicta generalia, tanquam noua & veteribus Canonibus incognita recepit. Quare Philippus Auguſtus Epiſcopos, qui interdicto faciendo conſenſerant, vel ei obtemperauerant, ſedibus expulit: itemque Parochos & Clericos interdicto parentes eiecit, & in eorum bona manus iniecit: vt notat Rigordus, & *geſta* Innocentij *pag.* 34. Nec tamen excommunicare auſus eſt Philippum; quamuis interminatum fuiſſe excommunicationem Rogerius in *Annalib.* ſcribat, pag. 801. Quippe prudentiſſimus Pontifex nouerat Galliæ iura, edoctus ſcilicet, & inſtitutus in Academia Pariſienſi, vt ingenuè fatetur, ſcribens Philippo Regi, ſuper hoc ipſo negotio, *lib.* 1. *Regiſtri Epiſtola* 168. Reges enim Gallorum, nec à ſuis Epiſcopis, nec à ſummo Pontifice excommunicari poſſe, pluribus autoritatibus confirmat, qui nuper ſummâ curâ, & iudicio, Eccleſiæ Gallicanæ Libertates in vnum collegit, & huic materiæ tractatus & titulos ſpeciales aſſignauit. Ex quibus colligimus, grauiſſimas fuiſſe cauſas, cur eiuſmodi interdicto non obtemperauerit Epiſcopus Antiſſiodorenſis. Poſtquàm verò Rex Philippus rediit in gratiam cum Innocentio, & regnum eius abſolutum fuit ab interdicto per Octauianum Legatum; idem Le-

gatus, Petri Corbolij Cameracenſis Epiſcopi in Archiepiſcopatum Senonenſem Poſtulationem, & Tranſlationem promouit; vehementer id cupiente Pontifice, & Philippo Rege, vt diximus, conſentiente: qui & hoc beneficium ſingulare Hiſpano Petro de Corbolio, Pontificis olim Magiſtro, liberaliter indulſit; cum non tantùm ad apices Dignitatum Eccleſiaſticarum, ſed etiam ad quælibet beneficia, citra Regum noſtrorum conceſſionem, non pateat aditus extraneis: cuius iuris rationem agnoſcit & ſignificat Innocentius III. in *cap. 4. hoc tit. in fine verſic. Quia vero non plenam de Perſonis, &c.* Omnia verò quæ ſuper hoc negotio geſta fuerunt ab Octauiano Legato, confirmat Innocentius III. *hoc cap. 2.*

Poſtremò quare Colocenſis Archiepiſcopus in Archiepiſcopatum Strigonienſem tantopere poſtulari, & transferri ſtuduerit, colligimus ex *Epiſtola 156. lib. 14. Regiſtri* Innocentij, & *notis;* in quibus explicantur Priuilegia, & iura præſtantiſſima Eccleſiæ Strigonienſis.

Itémque notandum ad *cap 3.* ideò Innocentium III. poſtulationem non admiſiſſe Suffridi, tituli ſanctæ Praxedis Cardinalis, in Archiepiſcopum Rauennatenſem, propter maiorem Eccleſiæ vtilitatem: quia nempe deſtinabat Pontifex eum auxilio & recuperationi Terræ ſanctæ, cui toto animo Innocentius incumbebat, & reipſa Suffridus, ſiue Soffredus exercitui præiit; vt ex *Geſtis* eiuſdem Innocentij, *& integra Decretali noſtra* colligimus.

Præterea non ſolere Pontificem Cardinales inuitos compellere ad admittendam Poſtulationem, vel Electionem, illuſtri exemplo conſtat eiuſdem Suffridi, ſiue Soffredi Cardinalis, qui cum Legatum ageret in Orientis partibus, poſtulatus eſt, vel electus in Patriarcham Hieroſolymitanum, à Clero electus, à Populo expetitus, cum Regis aſſenſu, & Suffaganeorum fauore, *Acta* nuper edita in *notis ad Epiſtolam 104. lib. 14. Regiſtri* Innocentij III. Quæ planè eadem ſunt cum iis, quæ in *Geſtis* Innoc. III. referuntur, pag. 81. & ſeq. vnde tranſcripta verbatim fuerunt: erratum tantùm in nomine. Quem enim Siffredum, vel Soffredum *Geſta* Innocentij loco citato, & pag. 31. & in *antiquâ*, litera ſingularis *S.* deſignat, *cap. 3. de Poſtulatione, in III. Collect.* Exſcriptor in *notis ad d. Epiſtolam 104. appellat Goffredum, & in indice.* Ad rem *Deliberauit,* ergo, *ſummus Pontifex, vt idem Legatus induceretur, ſi poſſet, ſed non cogeretur, ſi nollet, Patriarchatum recipere,* loquitur de Soffredo, *Mittens Pallium alteri Cardinali, vt illud ei, ſi conſentiret, conferret:* intelligit Petrum Cardinalem Preſbyterum tituli ſancti Marcelli, Legationis eiuſdem Collegam. *Sed ille,* id eſt, Soffredus, *noluit aliquatenus conſentire, vnde obtinuit de alterius Electione tractari.* Reliqua vide in *Geſtis* Innocentij.

Poſtremò notandum, quod diximus in definitione, Poſtulationem à Superiore, causâ cognitâ, admitti debere. Intellige Superiorem immediatum: nec enim Epiſcopum, vel Archiepiſcopum licet negligere, & ſtatim ad ſummum Pontificem, omiſſo medio, poſtulationem referre; perinde ac in electionis confirmatione: præſertim moribus noſtris, vt pluribus docebimus *tit. ſeq.*

AD TIT. VI.

DE ELECTIONE, ET ELECTI POTESTATE.

TRACTATVS VI.

Ad hunc *tit. de Electionibus* adde *l.* 3. 4. 5. & 6. *ff. quod cuiuſcunque vniuerſitatis nomine*, Cuiacium ad *Edictum* Pauli *lib.* 9. *ad dictas leges*, & Ioannem A Coſta *tit. de Syndico.*

LATISSIME diffunditur hic titulus. Comprehendit enim generaliter omnem vocationem legitimam, qua, vel ad Clerum, vel ad Dignitates & Honores Eccleſiaſticos, ſiue Seculares, ſiue Regulares, ſolemus promoueri: quod ſtatim definitione propoſitâ declarabimus. Et quidem arctior videtur Fulberti Carnotenſis Epiſcopi in *Epiſtola* 45. *Electionem vnius eſſe de pluribus maximè complaciti, ſecundum liberam arbitrij voluntatem acceptio.* Iſta videtur plenior. *Electio eſt ordinaria vocatio idoneæ perſonæ, ad Clerum, potiſſimùm verò ad Dignitates, & Honores Eccleſiaſticos, Seculares, vel Regulares, plurium Suffragiis Canonicè facta.* Abſque enim conſenſu totius Eccleſiæ, nullus admittebatur, non tantùm ad Dignitates, ſed ne ad Clerum quidem. Quod fluxit ab ipſis Apoſtolis.

S. Chryſoſtomus *hom.* 3. *in Acta pag.* 30.

Et quidem *Actor.* 1. *in fi.* conuocatâ Vniuerſâ Eccleſiâ Apoſtoli Matthiam in Apoſtolum, communi omnium decreto & ſuffragiis, elegerunt. Significat præter alia, verbum συμψηφίζειν, id eſt, communi ſententia aliquid conſtituere. Apoſtolorum autem locum Epiſcopos obtinere conſtat. Itemque per electionem conſtituerunt Apoſtoli Preſbyteros, *Actorum cap.* 14. *verſ.* 25. ibi χειροτονήσαντες. Χειροτονίαι enim verbum electionem ſignificat, ex eo ductum; quia in Electionibus conſenſus ſignificatur, porrectis & extenſis manibus. Diaconos etiam communi totius Eccleſiæ conſenſu conſtituerunt, *Actorum cap.* 6. *verſic.* 5. μαρτυρουμένους ἐξελέξαντο, id eſt omnium teſtimonio probatos elegerunt. Vbi apertiſſimè ſeparatur *Electio, quæ ab omnibus facta proponitur*, ab *impoſitione manuum*, quæ ſtatim ſubiicitur in *verſic. ſeq.* in quo ab *Apoſtolis ſolis*, per impoſitionem manuum, Spiritus ſancti gratia confertur προσευξάμενοι, Apoſtoli nempe, ἐπέθηκαν αὐτοῖς τὰς χεῖρας: *Conſecrationem* vulgò vocamus. Quæ quia ſtatim & in continenti ſequi ſolebat Electionem, aliquando Ectionis tantùm, aliquando verò Impoſitionis tantùm manuum fit mentio, ἐπίθεσις χειρῶν, & χειροθεσία: quibus caſibus alterutra ſub intelligenda eſt, ex iure communi. De impoſitione manuum, vide Amalarium Fortunatum, in *lib. de Diuinis Catholicæ Ec-*

S. Chryſoſtomus *hom.* 13. *in Acta pag.* 133.

cleſia officiis, *parte* 2. pag. 165. *editionis Colonienſis.*

Ex his colligimus, veriſſimum eſſe, quod doctiſſimè, ex *locis Actorum ſupra citatis*, Diuus Cyprianus reſcribit, ad Clerum & Plebes in Hiſpania conſiſtentes, *lib.* 1. *Epiſt.* 4. his verbis. *Quando ipſa* (plebs) *maximè habeat poteſtatem, vel eligendi dignos Sacerdotes, vel indignos recuſandi*, cum hoc tamen temperamento; *quod & ipſum videmus, de diuina autoritate deſcendere, vt Sacerdos, plebe præſente, ſub omnium oculis deligatur: & dignus atque idoneus, publico iudicio ac teſtimonio comprobetur.* Ex qua epiſtola ſumptum eſt *cap.* 12. *in prima Collectione*, quod omiſit Raymundus; ſicut & ex *cap.* 1. *hoc tit.* detraxit hæc verba, *Conuocatis eiſdem*, id eſt Clericis, *etiam Parochianis, atque in vnum conſentientibus.* Aliæ in hanc rem *Epiſtola* Cypriani occurrunt, etiam de Subdiaconis, & Lectoribus. *Epiſtola* 53. de Subdiaconis. Et ita Apoſtolicam diſciplinam ſuo exemplo confirmauit: quod & à Magiſtro, quem vocare ſolitus erat, Tertulliano didicerat, in *Apologet. cap.* 39. *Præſident probati quique ſeniores, honorem iſtum, non pretio, ſed teſtimonio adepti.* Ea denique de re plures extant Canones, *Can.* 26. & 28. *Cauſa* XVI. *Quæſt.* 1. *Can.* 3. & 7. *Diſt.* XXIV. [& Diſt. LXII. & LXIII. per totum.]

Adde Philoſtorgium *lib.* 9. *ca.* 10. & *in Diſſertationibus pag.* 382. & Florum in *excerptis* ad calcem *Operum* Agobardi.

Inſignes loci extant in *l.* 49. *Cod. Theodoſ. de Decurionib. l.* 3. 6. & 17. *de Epiſcopis, Eccleſiis, & Cleric. Cod. eod.* Quarum Legum non Iulianus; non Valens, ſed Conſtantinus, & eius Liberi inſcribuntur autores. Verba *d. l.* 49. *Sanè ſi qui ad Preſbyterorum gradus, Diaconorum etiam, ſeu Subdiaconorum, cæterorumque peruenerint, adſiſtente Curiâ, ac ſub obtutibus Iudicis promente conſenſum (cum eorum vitam inſignem, atque innocentem eſſe omni probitate conſtiterit) habere debet patrimonium probabilis inſtituti, vt retineat proprias facultates: maxime ſi totius populi vocibus expetatur.* Et poſtea. *Quòd ſi forte non Curialibus apud Iudicem profitentibus, non denique expetente populo, ad eos (quos diximus) gradus aſpirent, aut ſtudio fraudulentæ artis irrepſerint, patrimonium ſuum liberis tradant, &c.* Apertiùs in *d. lege* 49. declarant Conſtantius & Conſtans, Conſtantini filij, quod pater ante ſtatuerat in *d. l.* 6. *Neque vulgari conſenſu, neque quibuſlibet petentibus, &c. Sed cum defunctus fuerit Clericus, ad vicem defuncti alius eligatur, cui nulla ex Municipibus proſapia fuerit, neque ea eſt opulentia facultatum, quæ publicas functiones facillimè queat tolerare.* Et poſtea: *progenie municeps, vel patrimonio idoneus. Opulentos enim ſeculi ſubire neceſſitates oportet; pauperes Eccleſiarum diuitiis ſuſtentari.* In *d. l.* 17. *Plebeios diuites ab Eccleſia ſuſcipi penitus arcemus.* Concilium Sardic. Can. 13. *Diligentiſſime tractetis, ſi fortè aut diues, aut Scholaſticus de foro*, πλούσιος, ἢ σχολαστικὸς ἀπὸ ἀγορᾶς. Eximebantur & excipiebantur illi tantùm, quos vel Natalium ſplendor, vel facultatum tenuitas, & mediocritas (patrimonium probabilis inſtituti vocat *d. l.* 49.) ; potiſſimùm verò vitæ probitas, & merita commendabant. Ad quæ dignoſcenda non tantùm Cleri, ſed & Populi, & Magiſtratus conſenſus adhibebatur. Ex quo iure pro parte fluxerunt, quæ traduntur in *formulâ* Marculphi *lib.* 1. *cap.* 19. Synodo Aurelian. 1. *cap.* 4. *Capitul. lib.* 1. *cap.* 120.

Adde Germani Antiſſiodorenſis in Clericum ordinationem obtinendam fuiſſe à Iulio Præfecto Prætorio Galliarum, in eius *vita*.

Codicis ſcilicet Theodoſiani, quo vtebatur Gallia.

De Præcepto & Iuſſione Regali, aut Iudicis licentia obtinenda; quoties ad Clericatum, aut Monachatum, aliquis ſæcularium aſpirare præſumebat, poteſtate à populo in principem tranſlatâ, quod frequentiſſimum eſſe ſolet. *d. capit.* 120. verba notanda. *Hoc ideo, quia audiuimus aliquos ex illis, non tam cauſa deuotionis hoc feciſſe, quàm pro exercitu, ſeu alia functione Regali fugiendâ. Quoſdam vero cupiditatis causâ, ab his, qui res illorum concupiſcunt, circumuentos audiuimus: & hoc ideo fieri prohibemus.* Iunge *Can. vlt. Causa* xx. *Q.* 3. Eorum dem iure nempè, & iiſdem ferè verbis Legum Romanarum vſi ſunt per longiſſimum tempus Reges noſtri. Prolixiùs iſta, contra noſtrum morem, tum quia lucem afferunt his, quæ priùs obſeruauit doctiſſimus Marculphi Interpretes, tum quia breuitate nimia quoſdam offendimus. Redeamus.

In *Ordine Romano* ſimiliter. Populo conuocato, Ordinandi eliguntur, & eorum ordinatio publicatur, vt diximus ad *cap.* 27, *de Reſcriptis*. Æquum eſt enim, vt ille, qui præeſſe debet Clero & Plebi, communibus ſuffragiis eligatur: quam in rem vide Iuonis Carnotenſis *Sermonem, in Synodo, de ſignificatione indumentorum ſacerdotalium*, inter Scriptores, *de diuinis Eccleſiæ Catholicæ officiis*.

Quoniam verò paulatim abiit in deſuetudinem Conſuetudo illa Eccleſiæ; ab eo fortè tempore, quo per abuſum, ordinationes *abſolutè*, & *ſine titulo*, vel *ad titulum patrimonij* fuerunt admiſſæ: ideò Raymundus, vel omiſit omninò, vel detraxit ea, quæ pertinent ad iura Laïcorum, in *antiquis Collectionibus*; præcipuè motus 43. & 56, *capp. huius tit.* Remanſit tamen diutiùs ius Populi, & Cleri, ſaltem in Dignitatibus, & Honoribus Eccleſiæ conferendis, vt exemplis declarabimus in ſequentibus; ex quibus reliquas partes definitionis facilè erit explicare.

Definitione propoſitâ, conuenienter totius tituli argumentum & ſeriem ſubiiciemus, & ad certa capita reducemus. Tractatur itaque non tantùm, de ſimplicium Clericorum, vel minorum Prælatorum electionibus, ſed potiſſimùm Epiſcoporum, vt in *cap.* 2.7. *& paſſim, & in c.* 9. *&* 10. *in* 1. *Collect.* Archiepiſcoporum *cap.* 4. *&* 9. *in* 1. *Collect.* iuncto *can.* 1. *Diſt.* LXVI. Ipſius Pontificis, *cap.* 6. Imò & Imperatoris, in celebri *capitulo* 34. Abbatum, & Abbatiſſarum in *aliquibus Capitulis*.

Generaliter verò omnis Electio fieri debet canonicè, id eſt ſecundùm formam à canonibus præſcripam, de qua tractatur ſæpiſſimè in *hoc titulo cap.* 17. 14. 24 28. 35. *&* 39. maximè verò notanda ſunt, *cap.* 7. 41. *& tria ſeqq.* quia ex Conciliis generalibus duobus Romæ habitis, deſumpta ſunt. Ad varias etiam obſeruationes, & ritus Electionum pertinent *capp.* 45. 46. 48. 50. 55 *&* 57.

Triplex verò eſt forma Electionis, *per Scrutinium, per Compromiſſum,* vel *per Inſpirationem, dicto cap.* 4.

Ad formam per Compromiſſum, quia ſæpiùs vſurpabatur, pertinent *capp.* 8. 21. 30. 32.

Aliquando etiam Pontifex ſpecialem eligendi formam præſcribit, *cap.* 52. *& vlt.*

Poſt electionem ius aliquod competit Electo, maximè ſi vltrà limites

Italiæ ſit conſtitutus, *cap.* 11. 21. 28. iuncta *Antiqua* : & *cap.* 44. *hoc tit.* quò pertinet pars vltima rubricæ, *de Electi Poteſtate* : quæ clauſula etiam in tribus *antiquis Collectionibus primis* additur; ad differentiam Poſtulati, qui nullum omnino ius habet, antequam eius Poſtulatio fuerit admiſſa à Superiore, *capp.* 23. & 59. *hoc tit.* ſicut pluribus *ſuperiore tit.* confirmauimus.

Electionis deinde Confirmatio à Superiore petenda eſt, ad quam pertinent *capp.* 3. 4. 7. 9. 11. 19. 21. 22. 35. 44. & 57. Cum *cap.* 3. *huius tit.* iungendum *cap.* 13. *eodem tit in* 1. *Collectione.*

Confirmationem ſequitur Conſecratio *cap.* 7. & 44. *hoc tit. cap.* 6. 7. & 9. *in Collect.* 1.

In Electione autem confirmanda ante conſecrationem, diligenter inquirendum non tantùm de formâ Electionis, ſed etiam tàm de perſonis Eligentium, quàm eorum, qui fuerunt Electi. Multa enim in vtriſque deſiderantur. Quid in eligentibus, tractant *capp.* 18. 19. 24. 25. 26. [29. 35. 39. 42. 43. 46. 47. 48 55. & 57.] Quid in his, qui ſunt eligendi, vel non *cap.* 5. 13. 17. 27. & 54. in quibus hæc Regula notanda, quæ vulgò iactatur, *Regularia Regularibus, Secularia Secularibus tribuenda*, *cap.* 13. 41. & 47.

Diſpenſatiuè tamen in hoc articulo, & aliis, vitioſas electiones, causâ cognitâ confirmat aliquando Pontifex *cap.* 10. 15. 20. & 27. *hoc tit.*

Obſeruandum, varias conſuetudines Eccleſiarum in Electione, Confirmatione, & Conſecratione, eſſe retinendas; niſi manifeſtè canonibus obuient, *cap.* 8. *de Conſuetudine*, *cap.* 4. *de Poſtulatione*, *cap.* 30. 47. & 56. *hoc tit. cap.* 5. 9. & 10. *in* 1. *Compilatione.*

Quod ſi intra tempus canonibus conſtitutum, electio negligatur; hi, quibus hoc ius ex ordine competit, propter negligentiam, ea vice, iure ſuo priuantur, & deuoluitur ad immediatum Superiorem; & ita gradatim, vſque ad ſummum Pontificem, *cap.* 4. 44. 60. *hoc tit.* & *toto tit. de ſupplenda negligentia Prælatorum.*

His omnibus ſubiiciemus aliquid, de vſu, & Iuribus Eccleſiæ Gallicanæ, & Regum noſtrorum autoritate in electionibus Epiſcoporum, & Abbatum. Itemque exemplis aliorum Regum confirmabimus; & aliquid de Inueſtituris Eccleſiaſticis aſpergemus.

Conueniens eſt, vt de Epiſcoporum Electione agamus, quos vices Apoſtolorum obtinere diximus. Conſtat autem ex *Actis* Apoſtolorum, & *Epiſtolis* Cypriani, omnium voto factam fuiſſe: & confirmatur Syricij *Epiſtolâ* 1. *cap.* 10. Celeſtini *Epiſt.* 2. *cap.* 5. Leonis Magni celebri *Epiſt.* 67. *ad Epiſcopos Viennenſis provinciæ.* [Auguſtini *Epiſt.* 110. quæ ſic inſcribitur: *Acta excerpta à Notariis in deſignando Eradio Preſbytero.* Philoſtorgij *Hiſt. lib.* 9. *cap.* 13. vbi de Cizicenis, & *Diſſertatio. pag.* 385.] quibus iunge *canonem* 3. *Diſt.* LXXVII. *can.* 27. *Diſt.* LXIII. Quibus explicatur hiſtoria *Nouella* Theodoſij, *de Epiſcoporum ordinatione*, *in Cod. Theodoſ.* Ex his locis conficimus, in Electionibus Epiſcoporum, expectari vota Ciuium, teſtimonia Populorum, Honoratorum arbitrium, & vt Leo loquitur, *teneatur ſubſcriptio Clericorum, Honoratorum teſtimonium, Ordinis conſenſus & Plebis.*

De Electionibus Epiſcoporum.

Vide infra §. *Super eſt vt*, vſque ad §. *nunc de Metropolitanorum.*

Vide Gloſſas *Legum Antiquarum* in verbo *Epiſcopus.*

Et omnino ita ſe res habuit. Defuncto Epiſcopo alicuius Eccleſiæ admonebatur Metropolitanus, vt Viſitatorem Epiſcopum aliquem ex ſuis Suffraganeis mitteret, qui futuræ Electioni præeſſet; Populum, & Clerum conuocaret; hortaretur, & doceret, quid in electione obſeruandum.

Vocabatur autem, non tantùm Clerus Eccleſiæ Matricis, ſed etiam aliarum Ciuitatis Parœciarum. Imò & aliquando ex aliis Eccleſiis extrà Ciuitatem: itemque de Monaſteriis quidam ſeligebantur.

Poſt omnium vota & ſuffragia perquiſita, componebatur Decretum Electionis, quod communi omnium ſubſcriptione roboratum, ad Metropolitanum mittebatur, à quo Confirmatio, & Conſecratio, ſiue Benedictio Ordinandi poſtulanda erat: qui poſteà in formam Electionis, & Electi perſonam ſedulò inquirebat; & eam demùm confirmabat.

Deinde in præſentiâ tam eligentium, quàm Epiſcoporum Comprouincialium, examinabatur Conſecrandus, & interrogabatur. Quod ſi idoneus reperiretur; ante Conſecrationem, Metropolitano ſuo Profeſſionem tradere tenebatur, quæ fidei ſuæ declarationem, & ſubiectionem, & obedientiam Metropolitanæ ſedi continebat, ſecundùm ſacros Canones Conciliorum, & decreta Apoſtolicæ ſedis, ex ſacris Canonibus & Legibus, quibus autoritas Metropolitanorum ſcilicet conſtituta eſt.

Tertiò profitebatur ſe ſeruaturum quædam documenta ex ſacris Conciliorum placitis exſcripta, quæ ad Officium Epiſcopi ritè adminiſtrandum pertinebant: & ſecundùm Eccleſiaſticum morem, ab omnibus Epiſcopis Comprouincialibus ſubſcripta, [nouis Epiſcopis] tradi ſolebant.

Poſtremùm, his omnibus peractis, conſecrabantur. Poſt conſecrationem Ordinatores, ne obſcuritas dubiæ Ordinationis incurreret, Canonicas litteras dabant Ordinato, ad Clerum & Plebem, à quibus electus fuerat, quibus literis omnis ordo rei geſtæ continebatur, ſubſcriptionibus omnium Ordinatorum firmabatur, & dies ſimul & Conſul adſcribendus erat ex Concilio Mileuitano.

Comprouinciales autem Epiſcopi tres adminùs ordinationi præſentes debent intereſſe; reliqui verò Comprouinciales, ſaltem per litteras conſentire: quod conſtitutum eſt propter hæreſes; ne in eo aliquid contra fidem Eccleſiæ, vnius tyrannica autoritas moliretur, Iſidorus *lib. 2. de Eccleſiaſt. Offic. cap. 6. & cap. 6. hoc tit. in 1. Collect.* Rabanus Maurus *lib. 1. de Inſtitutione Clericorum, cap. 4. in fine.*

Quæ hactenus diximus pluribus confirmantur, in *tomo* 2. Conciliorum Galliæ *pag. 633. & ſeqq.* Et ex *Ordine Ro. in lib. de Diuinis Offic. parte 1. pag. 95. 96. & ſeqq.* ibi: *incipit examinatio in Ordinatione Epiſcopi, ſecundùm Gallorum inſtitutiones.* Albinus Flaccus in *eodem lib. parte 2. pag. 72. & ſeqq.*

Examinationis autem præcipua capita referuntur in *Ordine Rom. pag. 97. & ſeq.* & *dicto tomo* 2. Conciliorum Galliæ *pag. 651. & ſeqq. in Ordinatione* Villeberti Catalaunenſis Epiſcopi. Et notandum *ſolenne Capitulum*, quod incipit his verbis: *Qui Ordinandus eſt*, quod tradebatur

batur legendum Ordinando Epiſcopo ; cuius etiam nominatim fit mentio in *dicta Ordinatione* Villebetti, ſumptum eſſe ex *can.* 1. Carthaginenſis Concilij IV. Extat in *can.* 2. *qui Epiſcopus, Diſt.* XXIII. Ad quem locum rectè Correctores Romani notant, canones, qui tribuuntur dicto Conc. Carthaginenſi IV. eſſe deſumptos ex antiquis ſtatutis Eccleſiæ ; nec eſſe reuera ex vllo Concilio ſpeciali : quare in multis editionibus inſcribuntur, *Statuta Eccleſiæ antiqua.* Similiter Iſidorus *lib.* 2. *de Eccleſiaſtic. Offic. cap.* 10. *&* 13. indiſtinctè ita eos citat, *Sicut ait canon.* Hincmarus Remenſis tamen, & alij Collectores canonum cum Gratiano, cuidam Concilio Carthaginenſi IV. eos tribuunt. Vtcumque ſit, conſtat eos eſſe antiquiſſimos.

In Electionibus autem, potiſſimùm impreſſio, & vis ſecularis poteſtatis prohibetur ; quæ tanta fuit aliquando in primitiua Eccleſia, vt populi inuitum Epiſcopum, & Clerum compellerent, inuitos & nolentes, in Epiſcopos, vel Preſbyteros ordinare. Quam vim canones & leges meritò damnauerunt. Cleri enim in Electionibus, & Ordinationibus præcipua autoritas eſſe debet, & libera ab omni violentiâ & coactione. Et ita intelligendum videtur, quod dicitur *Laodiceno can.* 13. *Iudicio Populi Electiones non eſſe faciendas* : rectè, ὄχλῳ, in Græco, id eſt, Plebis, & vulgi, τῷ χυδαίῳ δήμῳ. Non enim Ordinis, & Honoratorum ſuffragia excluduntur, quæ ſuprà probauimus admitti, nec tantùm in Occidente ; ſed etiam in Oriente. Rectè Dionyſius Exiguus & Creſconius ὄχλον, turbas, & multitudinem. In *l.* 6. *C. Theodoſ. de Epiſcopis, Eccleſiis, & Cleric.* vulgarem conſenſum ; *neque vulgari conſenſu ; neque quibuſlibet petentibus.* Cleri, Ordinis, & Plebis, ſimul Electionem, & conſenſum requiri, ſtatim probabimus pleniùs ; præſertim in Epiſcoporum Electionibus.

Vide infra *ad tit. de Tranſlatione.* Vbi *ad cap.* 2. *de Electione in pr.*

Nec excludebatur conſenſus legitimus ; ſed tumultus, factio & iniuria, *cap.* 10. *hoc tit. in antiqua Collect.* 1. *Nouella* Leonis, & Maioriani *tit.* 2. *in fine Cod. Theodoſ. can. docendus Diſt.* LXII. Vide *Epitomen Iuris Canonici* Antonij Auguſtini, *parte* 1. *lib.* 4. *tit.* 4. *&* 12. quò etiam pertinent, *capp.* 2. *&* 43. *hoc tit.* [Adde Chryſoſtomum *lib.* 2. *de Sacerdotio cap.* 4. *circa medium & finem, & lib.* 3. *cap.* 15. Vbi corruptelas & fraudes, quæ in Electionibus à Clero & Populo ſolebant frequentari, eleganter deſcribit.]

Quare Zonaras & Balſamo, ad *dictos canones* 4. *Nic. &* 13. *Laodic. & ad can.* 1. Apoſtolorum, non rectè, in Oriente aiunt, omninò deſiiſſe adhiberi Populi conſenſum in Electionibus, *etiam tempore Concilij Nicæni, & Laodiceni.* Ad vſum ſui temporis potiùs reſpexiſſe videntur, quàm ad antiquam obſeruationem.

Quod ad Nicænos *canones* 4. *&* 6. Græci & Latini antiquiores, eos de Conſecratione, Ordinatione, & Manuum Impoſitione, quæ ſolis Epiſcopis competit, acceperunt ; quàm ſæpiùs per eminentiam χειροτονίαν appellant ; vt ab Electione diſtinguant. [Vide Frontonem Ducæum in *notis ad tomum* 1. Chryſoſtomi *pag.* 2. *&* 3. vbi rectè χειροτονίαν Ordinationem & Conſecrationem ſignificare probat apud veteres Scriptores Eccleſiaſticos ; vbi plura de Electionibus & Conſecrationibus ; & de χειροτονία *pag.* 23. & 69. Adde Habertum *ad Pontificale Ec-*

cleſia Graca pag. 192. & 445. *& ſeq.* Itemque veteres verſiones *can. Nican.* Ferrandum *num.* 4. 5. *&* 6. Creſconium, & quæ ex Conc. Carthagin. II. notantur infra, vbi *de Conſecratione* §. *quod ſi multi & ſeq.*]

Meliùs nemo, quàm ipſi Patres Concilij ſuam ſententiam explicare poterit, in fine *Nicana Synodica Epiſtola ad Ægyptios*, Epiſcopos ſubſtitui in locum demortuorum, μόνον εἰ ἄξιοι φαίνοιντο, καὶ ὁ λαὸς αἱροῖτο, συνεπιψηφίζοντος αὐτοῖς, καὶ ἐπισφραγίζοντος τοῦ τῆς καθολικῆς Ἀλεξανδρείας Ἐπισκόπου. In *d. Epiſtola* explicatur vera hiſtoria *dd. can.* 4. *&* 6. quibus autoritas, tam Metropolitanorum, quàm Alexandrini Patriarchæ confirmatur: Ius nempe ſingulare confirmandi omnes Electiones Epiſcoporum ſuæ Diœceſeos, aduerſus Meletianos, [& Arianos] *Saluo manente populi Iure in Electionibus.* [Illi quippe promiſcuè conſecrabant Epiſcopos, inconſultis Metropolitanis & Patriarcha Alexandrino, & plebibus. Meletius enim paſſim & ſolus, & per omnem Ægyptum Epiſcopos conſtituebat, non adhibito fidelium conſenſu, Epiphanius in *Meletio.*] Conſtantinus Magnus in *Epiſtola ad Nicomedienſes*, quæ poſt Concil. Nicænum ſolet ſubiici, eos hortatur, vt in Euſebij [Nicomedienſis] locum alium eligant, ὅπερ ἐπὶ τοῦ παρόντος ἐν ὑμῖν δεῖ, καὶ πάλαι ἐχρῆν τῆς ὑμετέρας [illegible] ἠρτῆσθαι, &c. In Concilio Antioch. *can.* 19. eadem autoritas Metropolitanorum confirmatur, ſaluo manente iure Electionum. In Sardicenſi, quod aliquando Appendix Nicæni Concilij vocatur, *can.* 5. in Latinis, *oſtendi debere, quod Populi petant ſibi Rectorem, & hoc iuſtum eſſe, vt & ipſe veniat, & cum ipſo ordinent Epiſcopum*: in Græcis *can.* 6. τὰ δὲ πλήθη συναθροισθέντα παρακαλοῖεν γίνεσθαι τὴν * κατάστασιν, τοῦ παρ' αὐτῶν ἐπιζητουμένου Ἐπισκόπου. Apertiſſimè *Synodica* Concilij Conſtantinopolit. *ad Damaſum ſub finem*, & χειροτονίαν ab Epiſcopis faciendam, id eſt, Conſecrationem; & Electionis Ius Imperatori, Clero, & Populo aſſerit, in Nectarij Patriarchæ Conſtantinop. Ordinatione à Patribus vniuerſi Concilij factâ. In Ordinatione Flauiani Patriarchæ Antiocheni, ita de Nectario. Νεκτάριον Ἐπίσκοπον κεχειροτονήκαμεν, ἐπ' ὄψεσι καὶ τοῦ θεοφιλεστάτου Βασιλέως Θεοδοσίου, παντός τε τοῦ κλήρου, καὶ πάσης ἐπιψηφιζομένης τῆς πόλεως. De Flauiano ſic. Φλαβιανὸν, οἵ τε τῆς ἐπαρχίας, καὶ τῆς ἀνατολικῆς διοικήσεως συνδραμόντες, κανονικῶς ἐχειροτόνησαν, πάσης συμψήφου τῆς Ἐκκλησίας, ὥσπερ διὰ μιᾶς φωνῆς τὸν ἄνδρα τιμησάσης. Gregorius Nazianz. *Oratione in diſceſſu ad Patres Conſtantinop. Synodi*, ἄλλον προστήσασθε τὸν ἀρέσκοντα τοῖς πολλοῖς. * *Epiſcopum præficite, & ordinate, qui populo gratus & acceptus eſt.* Qualiter Nectarium Electum & ordinatum fuiſſe, Patres ipſi teſtantur in *d. Synodicâ.*

Quæſtio horum *can.* 4. *&* 6. pertinet propriè ad definiendum numerum Epiſcoporum, qui noui Epiſcopi Conſecrationi debent adhiberi. Vide Euſebium *de vita Conſtantini lib.* 3. *cap.* 57. *&* 58. Habertum *ad Pontif. Eccleſia Graca pag.* 80. *& ſeqq.* & quæ nos infra vbi *de Conſecratione*; & maximè, vbi *de Electione per inſpirationem*, & *tit. de Tranſlatione ad cap.* 2. *de Electione* §. *quod ad ſententiam*, vbi fit mentio *d. can.* 4. dum de Electione Athanaſij & Baſilij agitur.

* κατάστασιν de Conſecratione. Sic paſſim apud Athanaſium καταστάσεις accipiuntur in fine *Epiſtola Synodica* Alexandrinæ Synodi.

* Vide Syneſium *pag.* 286.

Agitata iterùm ea quæſtio in Conc. Chalcd. *Actione* XI. *&* XII. in Ordinatione Epiſcopi Epheſini, totius Diœceſeos Aſianæ Exarchi: vbi remotis Baſſiano, & Stephano, prauè & vitioſè, contra *dd. canones Nic.* 4. *& Antioch.* 16. & 17. ordinatis, alius ſubſtitutus eſt, nec ſemel fit mentio, ψήφῳ τῶν λαμπροτάτων, καὶ τῶν λογάδων, καὶ τοῦ εὐλαβεστάτου παντὸς κλήρου.

ϰ τ̃ λοιπῶν πάντων τ̃ πόλεως πάσης: eoſque opponit ὄχλῳ ἀτάκτῳ, *ſeditioſorum turba*, ſicur ſuprà in *can.* 13. *Laodic.* explicauimus. Anarolius Patriarcha Conſtantinop. in *d. Actione* XI. ita cenſet. Dabitur Epiſcopus Epheſiorum Metropoli, ὁ παρὰ Θεοῦ αἱρεθησόμενος, ϰ παρὰ πάντων τῶν μελλόντων ποιμαίνεσθαι ψηφιζόμενος: & in *Actione* XII. ὁ ἐκ ἐκλογῆς πάντων τ̃ μελλόντων ποιμαίνεσθαι ψηφιζόμενος, idem Anatolius, qui & ibi χειροτονίας. id eſt Conſecrarionem diſtinguit ab Electione aperriſſimè: quam Conſecrationem ſibi vindicabar, contra Aſianæ Diœceſeos Epiſcopos; & pluribus exemplis Philippus Presbyter Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ confirmat, in fine *dictæ Actionis* XI. ad quam iunge Palladium in *Dialogo elegantiſſimo de vita Ioannis Chryſoſtomi, cap.* 7. *&* 8.

In fine verò *dictæ Actionis* XI. dilatam fuiſſe conſtat quæſtionem de Priuilegio Patriarchæ Conſtanrinop. in ordinatione Epheſini Metropolitani; quæ deciſa poſteâ fuit *Actione* 16 licèt contradicenribus Paſchaſino & Lucentio Sedis Apoſtolicæ Legatis, & confirmatum Conſtantinopolitano Patriarchæ ius ordinandi, ſiue per ſe in vrbe Regiâ Metropolitas Aſianæ, Ponticæ, vel Thraciciæ Diœceſeos; vel etiam iubendi in ſuis Prouinciis, & Locis ordinari: ſeruato tamen Electionis Iure Clericis vniuſcuiuſque Metropoleos, Poſſeſſoribus, atque Clariſſimis Viris κτήτορας, & λαμπροτάτους vocat: *Ordinem* Latini, *& Honoratos* vocare ſolent, *& Plebem.* Omnibus præterea Epiſcopis Suffraganeis, & Comprouincialibus, vel maiori parti eorum Ius eligendi ſeruatur.

De Electione verò totâ, ab omnibus Eligentibus Relatio mitti debet Conſtantinopolitano Patriarchæ; cui & Ius Confirmationis Electionis antea factæ, & Conſecrationis competit. Meritò enim illi, cuì permittitur Conſecratio, per conſequentias Electionis inquiſitio, & examinatio diligens, conceſſa inrelligitur; ſicut plenius in *articulo de Conſecratione* dicemus. Vide *can. pen.* Chalcedon. Synodi, cuius vera ſententia, ex locis ſupra citatis elucet: ea verba potiſſimùm, ψηφισμάτων συμφώνων κτ̃ τὸ ἔθος γινομένων, ϰ ἐπ' αὐτὸν ἀναπεμπομένων. Adde *l.* 16. *&* 17. *init. Cod. de Sacroſanct. Eccleſiis*, *& l.* 29 §. *vlt. C. de Epiſcopali audientia.*

Supereſt, ut in Electionum iure oſtendamus conueniſſe Eccleſiam Orientalem cum Romanâ, & eodem ſenſu accepiſſe *d can.* 4. *Nicænum & Laodicenum* 13. vt nempè integrum & illibatum retinerent ius ſuffragij *Clerus*, *Ordo*, *ſiue Honorati*, *& Plebs*, *ſiue Poſſeſſores*: non autem ſolis Epiſcopis permiſſam ſimul Electionem, & Ordinationem; & ademptam reliquis Electionem.

Et quidem initio tituli confirmauimus, ante Concilium Nicænum, vniuerſæ Eccleſiæ Ius eligendi competiiſſe, ſiue in Oriente, ſiue in Occidente. Poſt Nicænum, & Laodicenum, idem Ius in Oriente retentum diutiſſimè probauimus: quin & in Occidente ſtatim, ex Concilio Sardicenſi indicauimus. Studium tantùm fuit Patribus, ſcilicet Concilij Nicæni, & Laodiceni, autoritatem Metropolitanorum conſeruare; & ne à paucioribus, quàm tribus Epiſcopis, Ordinationes, & Conſecrationes Epiſcoporum fierent: itemque ne præualerent viles & ſeditioſæ Plebeculæ in Electionibus, Syricius *Epiſt.* 4. *cap.* 1. 2. *&* 3. Vide ſupra vbi

Digitized by Google

quæ ita Ferrandus citat *nu.* 4. *&* 6. Concil. Zellenſe *ex Epiſtolâ Papæ Syricij*, quam totidem verbis exſcripſit Innocentius I. in *Epiſtola ad Victricium Rothomag.* ex qua *can. extra conſcientiam Diſt.* LXIV. Concilium II. Carthag. ſub Genethlio *can.* 12. Carthag. III. *can.* 39. *&* 40. Qui duo canones in Concilio Africano vulgò dicto, in *Codice canonum veteri* 16. *&* 17. habentur: *dicti* verò *can.* 12. Concilij Carthag. II. particula refertur in *Collectione*, vulgò Carthaginenſis Concilij in *d. Codice* appellata, *cap.* 13. quod diſcerptum miſerè ex tribus Canonibus d. Concilij II. 10. 12. *& vlt.* Quare mirum non eſt, ſi vera mens *d. can.* non fuerit percepta à Zonara, vel Balſamone; nec potuerit percipi, turbatis fontibus, ex quibus manauit.

Summorum Pontificum antiquos canones plurimos ſimiles habemus, Bonifacij I. *Hilario Epiſcopo Narbonenſi*, in quo, *Clerus*, *Ordo*, *& Plebs Lutubenſis*, *petitione ſua ceſſante*, *conqueruntur Patroclum Arelatenſem eis Epiſcopum ordinaſſe.* Celeſtinus *vniuerſis Epiſcopis per Viennenſem & Narbonenſem Prouinciam conſtitutis*, *cap.* 18. *in Cod. veteri Eccleſiæ: Cleri*, *Plebis*, *& Ordinis conſenſus*, *ac deſiderium requiritur.* Leo Magnus acerrimus Nicæni Concilij aſſertor, in *Reſponſionibus*, *ad Inquiſitiones Ruſtici Narbon. Cap.* 1. *Tomo* 1. Concil. Gal. pag. 112. & plenius in *epiſtola ad Anaſtaſium Theſſalonic. Epiſcopum*, *cap.* 32. 35. *&* 36. *in d. Cod. veteri Eccleſiæ*: qui locus omninò coniungendus cum verbis vltimis *can.* 25. Concilij Chalced. ſuprà citatis. *De perſona autem conſecrandi Epiſcopi*, *& de Cleri*, *Plebiſque conſenſu*, *Metropolitanus Epiſcopus ad Fraternitatem tuam referat*; *quodque in Prouincia bene placuit*, *ſcire te faciat*, *vt ordinationem ritè celebrandam*, *tua quoque firmet autoritas.* Non dedignantur Leges noſtræ canones illos ſequi, eoſque ſua autoritate confirmare: *Nouella* Theodoſij & Valentiniani *de Epiſcoporum ordinatione:* Leonis & Maioriani, *de Epiſcopali iudicio*, *& de cæteris negotiis*, *&c. in Cod. Theodoſian. l.* 31. *&* 42. *Cod. Iuſtin. de Epiſcopis*, *& Clericis*, *ſincero omnium iudicio eligendus Epiſcopus dicitur. Nou.* 6. *cap.* 1. *Nouella* 123. *cap.* 1. *& Nou.* 137. *cap.* 2. *forma eligendi*, *& Decreti electionis conficiendi præſcribitur.* Sicut enim inuitus Clericus, vel Epiſcopus; ita nec inuitis, & non petentibus Populis, debuit ordinari.

Ex illis originibus multa in Concilia Gallicana, antiqua præcipuè, tranſlata fuerunt. Taurinenſe *cap.* 3. Celeberrimum Regenſe in cauſa Armentarij, *Tomo* 1. Concilior. Galliæ. Plura exempla ſuppeditabit Lectori doctiſſimus Sirmondus, in *Appendice ad Tomum* 11. Conciliorum Galliæ, *de antiquis Epiſcoporum Promotionibus.*

Poſtremis tandem temporibus, in Oriente primò; poſteà in Occidente ſeriùs, Cleri, & Populi conſenſus reiectus, *cap.* 56. *hoc tit.* Notauerat Gratianus ad *can.* 34. *Diſt.* LXIII. Subſtitutus paulatim aſſenſus Principum, quem poſt liberam Electionem, Pontifices poſtremi tantùm concedunt, *cap.* 14. *&* 28. *hoc tit.* [Sed fruſtra: obnitentibus contra, & ius ſuum ſedulo & obfirmato animo aſſerentibus Regibus; noſtris præſertim, ut ex S. Ludouici *Pragmatica de liberis Electionibus* conſtat, & infra docebimus, vbi *de Iure Regio in Electionibus.*]

Digitized by Google

Separandum verò diligenter ab Electione Ius Nominationis, Præſentationis, ſiue Patronatus, quod etiam hodie Laïcis competit.

Item notandum, quod ait Gratianus in *dicto can. 34.* in aliquibus Eccleſiis Electionem Epiſcoporum pertinuiſſe ad Clericos tantùm maioris Eccleſiæ: quod probari ait ex Concilio VII. Nicæno; & in Gangrenſi, autoritate Ferrandi Diaconi Carthaginenſis in *Breuiatione Canonum*: quem locum rectè doctiſſimus Pithœus notauit corruptum eſſe, & legendum, *Ex Concilio Septimunicenſi, & Macrianenſi.* Extat locus integer, apud Ferrandum in *Breuiat. canonum, nu. 11.* [Quare rectè in *cap. 3. de Cauſa poſſ. & propriet.* ſecundùm Statuta Canonum, Electiones Epiſcoporum ad Cathedralium Eccleſiarum Clericos dicuntur regulariter pertinere. Vide Molinæi *notam ad d. cap.* Nec tamen Canones, quos ad eum locum Gloſſa citat, probant ſolos Eccleſiæ Cathedralis Clericos electionibus Epiſcoporum interfuiſſe, remotis reliquis Conuentualium Eccleſiarum Clericis: imò contrarium manifeſtè probant, vtroſque nimirùm electionibus ſimul adhibitos.]

Choppinus hoc non obſeruato, grauiter lapſus eſt. *lib. de Domanio pag. 290.*

Sicut autem Clericorum Matricis, ſeu Cathedralis Eccleſiæ præcipua eſt in Electione autoritas, in quâ etiam fieri ſolet Electio *cap. 28. hoc titulo*: ita æquiſſimum eſt, de gremio illius Eccleſiæ Epiſcopum aſſumi, & reliquis præferri, qui ſunt alterius Eccleſiæ, *cann. 11. 12. & 13. Diſt. LXI. Decreta* Celeſtini *cap. 17. & 18. in Cod. veteri Eccleſiæ Romanæ.* Primùm enim illi, inquit Celeſtinus, (propriæ ſcilicet Eccleſiæ Clerici) reprobandi ſunt, vt aliqui de alienis Eccleſiis meritò præferantur. Vel ſi non in ea Ciuitate occurrunt, digni ſaltem peti debent ex eâdem Diœceſi. Si ex aliâ; petenda eſt facultas ab Epiſcopo proprio, *can. 34. Diſt. LXIII.* vide Hincmarum Remenſem *Tom. II.* Conciliorum Galliæ, pag. 641. 645. *ſub finem, & 649.* Aliquando enim iuſtæ ſunt cauſæ, cur eligatur ex aliâ Eccleſiâ Epiſcopus, vel Abbas, *cap. 8. de Poſtulatione, et cap. 13. hoc tit.* & hæc de iure ordinario. Nam extra ordinem, ſiue de plenitudine poteſtatis, Pontifices Romani, Epiſcopos conſtituendi, vel confirmandi ius ſibi reſeruarunt: imò & ſuis Legatis à latere, vel aliis aliquando contulerunt *cap. 5. hoc tit.* His omnibus adde Sidonij Apollinaris *lib. 4. Epiſtolam 25.* & Hincmari *Epiſtolas pag. 585. & ſeq. Editionis Pariſienſis*: vbi plurima ad Electiones Epiſcoporum Galliæ pertinentia, & ad Cleri, Regis, & Populi autoritatem in dictis Electionibus, tam ex Hincmaro, quàm ex aliis, referuntur.

De Metropolitanorum Electionibus.

NVNC DE METROPOLITANORVM Electionibus, in quibus etiam Cleri, Regis, & Populi ius idem ſuprà probauimus, quod in Epiſcoporum Electionibus. Præterea Comprouincialium Epiſcoporum conſenſus requiritur: qui omnes ſimul, in ſedem Metropolitanam conuenientes, qui omnibus præeſſe debebat, communibus ſuffragiis eligebant: ei tantùm ordinandi Metropolitani priuilegio ſeruato, quem conſuetudo requirebat.

Eligebatur autem ex Preſbyteris, vel Diaconis eiuſdem Eccleſiæ; vel etiam ex Epiſcopis Comprouincialibus *cap. 6. de temporibus Ordinationum, & in hoc tit. cap. 9. in 1. Collect.* In fine hæc verba notanda.

Digitized by Google

Illud autem quod de Archiepiſcopi Conſecratione, Ordinatione, &c. ut in tractatu Ordinandorum. Quibus verbis *& ceterà*, nos remittit ad *can.* 1. *Diſt.* LXVI. Tractatus enim Ordinandorum incipit à *Diſt.* XXIII. vſque ad *Cauſam* 1.

Patriarchæ autem quatuor ſummi confirmant Electiones Metropolitanorum: imò & ordinant, id eſt, conſecrant, vel ex eorum præcepto; eiſque Pallium tribuunt, & obedientiam cum iuramento exigunt, tam ſibi, quam ſummo Pontifici. Quæ Priuilegia, ex Conſuetudine, paulatim ſibi Patriarchæ vindicarunt.

Vide infra, vbi *de Conſuetudinis & Priuilegiorum poteſtate in Electionibus.*

Pontifex verò, vel eius Legatus, Electiones omnium Metropolitanorum Occidentis, qui eius Patriarchatui ſubſunt, confirmat: quæ probamus *can.* 10. *&* 18. *Diſt.* LXIII. maximè verò ex his, quæ collegit Antonius Auguſtinus *Epitomes Iuris Canonici parte* 1. *lib.* 3. *tit.* 1. *cap.* 4. *hoc tit. & cap.* 4. *ſupra de Poſtulatione*: vbi ſub finem notanda hæc verba; *quamuis honeſtius videretur, ſi Suffraganei ad Metropolim ſuam accederent.*

Obſeruandum etiam ſummè, Metropolitanos in Africâ, vocatos fuiſſe Primates, & Primæ Sedis Epiſcopos, aliquando abſolutè *Senes.* Non enim, ſicut in reliqua Eccleſia; ita & in Africa ius Metropoleos Eccleſiaſticum, in vnâ aliquâ certâ Ciuitate Prouinciæ conſiſtebat: ſed inter Prouinciales Epiſcopos, qui primus ordinatus fuerat Epiſcopus, ipſo iure erat etiam Metropolitanus. Ratio habebatur tantùm temporis, quo quis Epiſcopus fuerat ordinatus, non autem Ciuitatis. Soli Carthaginenſi Eccleſiæ priuilegia multa in reliquas omnes Eccleſias Africæ tributa fuerunt. Quænam verò illa ſint, doctiſſimè explicauit primùm V. C. Iacobus Sirmondus in *Propemptico lib.* 2. *cap.* 8. Quæ priuilegia nominatim confirmauit Iuſtinianus, poſt receptam Africam, in *Nouell.* 37. *&* 131. *cap.* 4. vbi legendum, *Epiſcopo Iuſtinianeæ Carthaginis, totius Africæ Diœceſeos*: malè, *Ciuitatis*, legitur in verſione. Diœceſis enim nomen, hoc loco, omnes Africæ Prouincias ſub ſe comprehendit; quibus, & vniuerſo Concilio totius Africæ, præeſſe ait Iuſtinianus Epiſcopum Carthaginenſem, initio *Nouellæ* integræ, quæ habetur in fine Iuliani *Nouellarum*; cuius tantùm Epitome refertur in *dicta Nouella* 37. Quare rectiſſimè, ſecundum hoc ius ſpeciale Africæ, corrigendus eſt *titulus* 5. *Nomocanonis Photij*, ἡ τῶν ἐν Ἀφρικῇ λεγομένων Πειμάτων; vbi malè Πεδιάτων: quem errorem Balſamo retinuit. Primas in Africâ, ſiue Primæ Sedis Epiſcopus, is eſt, qui in aliis Eccleſiis appellatur Metropolitanus, vel Archiepiſcopus. Et hi quidem Primates, vt diximus, conſtituebantur, non ſecundùm potentiam alicuius Ciuitatis, ſed ſecundùm tempus ordinationis. Omnibus tamen totius Africanæ Diœceſeos Epiſcopis præerat Carthaginenſis Epiſcopus: quod totidem verbis expreſſit Leo IX. *Epiſt.* 3. *&* 4.

Subodoratus eſt Clariſſimus & ſagaciſſimus Nicolaus Faber; cuius *notam MS.* bona fide exſcribimus, ad *ſuppoſitam Epiſtolam* cuiuſdam Stephani Archiepiſcopi, & trium Conciliorum Africæ, *ad Damaſum Papam de Priuilegio, &c. Suppoſititia eſt hæc Epiſtola. Nam tempore Damaſi nondum Pontifex Romanus, ſummus omnium Præſulum Pontifex dicebatur, vt ſuprà fol.* 12. 14. 18. *& infrà* 113. *Item, nulli erant Archie-*

piſcopi in Africa. Is enim Primas vniuſcuiuſque Prouinciæ cenſebatur, qui conſecrationis tempore antiquior erat, vt appareт ex Epiſtolis Leonis IX. &c. Sicut olim, & nunc, Primates inter Epiſcopos Prouinciales dicuntur, qui tempore ordinationis priores fuerunt. Ad Primatum Africanum pertinet Gregorij Magni *lib. 1. Epiſt.* [72. &] 75. ex qua ſumptus eſt *can.* 8. *Diſt.* XII. quem canonem τοπικὸν, *localem*, propter ignorationem Conſuetudinis Eccleſiæ Africanæ, non intellexerunt Interpretes; & textum corruperunt, hoc loco, *Clericorum ordo deferat:* delenda vox *Clericorum*; vt hic ſit ſenſus. Ad Primatum promoueantur in ſingulis Prouinciis, qui priores ſunt ordinatione, & tempore Epiſcopi.

Notandum etiam doctiſſimum Auguſtinum in *Epitome Canonum* malè inter minores Patriarchas, quos vulgò Primates appellamus, inſeruiſſe *titulum, de Primatib. Africæ.* Primas in Eccleſia Africana, appellatur, qui in reliquis Eccleſiis Metropolitanus. Primates autem vulgò dicimus, qui plures ſub ſe habent Metropolitanos, qualis nullus in Africa, *præter Archiepiſcopum Carthaginenſem*, qui vniuerſæ Eccleſiæ Africanæ præerat. Vide doctiſſimum Sirmondum *lib. 2. Propemptici cap. 9.* Mira Paradoxa, & planè ſingularia de Primatibus Africæ, ſcripſit Abbas Netinus, qui nuper *Notitias Eccleſiarum Sicilienſium* edidit. Lege, ſi ridere velis.

Obſeruandum verò, poſt Electionem Metropolitani, & eius Confirmationem, imò & poſt Conſecrationem; licèt Epiſcopus ea, quæ ſunt iuriſdictionis habeat, nomen tamen Archiepiſcopi vſurpare non poſſe, nec conſecrare Epiſcopos, vel conuocare Synodum; niſi priùs à ſummo Pontifice Pallij vſum obtinuerit, in quo conferri dicitur Plenitudo Pontificalis officij. Præterea in traditione Pallij, ſolemne iuramentum tenetur præſtare Pontifici, *cap.* 4. *hoc tit.* quod integrum extat in *notis* Antonij Auguſtini, *ad veteres Collectiones*, inter omiſſa, & apud Baronium, *ad annum Chriſti* 1102. *nu.* 8. & ex eo, in *Tomo* III. Conciliorum, *parte 2. pag.* 426. vbi inſcriptio aliter ſe habet: nec mirum. Eodem enim exemplo, ad plures Metropolitanos miſſam fuiſſe, varietas inſcriptionum indicat.

Reges etiam & Principes, vix admiſiſſe huiuſmodi iuramentum in traditione Pallij, quæ dicitur fieri per Apocriſiarios, id eſt, Reſponſales Pontificis, *les Nonces*, oſtendemus pleniùs, ad *titulum* proprium, *de Vſu, & autoritate Pallij.*

Quamuis autem Metropolitanus, ante acceptionem Pallij, Epiſcopos non poſſit conſecrare; poteſt tamen iubere, vt conſecrentur à ſuis Suffraganeis

Iſte enim Iuſſus eſt Iuriſdictionis, quam habet poſt Confirmationem Electionis. Et ita Magiſtratus Populi Romani, quamuis de certis negotiis iudicare ipſi per ſe non poſſent, poterant tamen iubere iudicari.

Notandum etiam huic, quod dicitur in *cap.* 4. quod & confirmatur *tota Diſt.* XVII. Pontificem robur tribuere Conciliis Generalibus; illis non teneri; &, vt vulgò dicitur, eſſe ſuprà Concilium; aduerſari manifeſtè Concilia generalia, Conſtantienſe, & Baſileenſe, quæ

non tantùm Eccleſia Gallicana amplectitur, ſed etiam multa alia Regna. Quæ de materiâ vide quæ ad *d. cap. 4. hoc tit.* diligenter adnotata ſunt, in *additionibus ad Panormitanum.* Qui quidem Panormitanus nonnihil immutauit ſententiam, quam in Concilio Baſileenſi defenderat, pro ratione temporis & loci verſatilis. Vide hîc *notas* Molinæi, *& can. ſi Papa Diſt.* XL. attende Gloſſam *cap. 3. de Electione in* VI. ad locum. *Et certè cum constitutio iſta, tam vtilis, tanti Concilij*, &c. & quæ nuper collecta *Tomo* 2. Libertat. Eccleſiæ Gallicanæ *cap. 12.* Verùm hæc ſufficiant in quæſtione celebri.

Vide in *Gallicanarum Libertatum tractatibus in* 4. Hotomani *libri* 1. *pag.* 321. *&* 322. Vide Coquillij *Hiſtor. Niuernenſem pag.* 16.

Nolim tamen Italico aceto perfuſos Doctores Sorbonicos, in *editione Actorum* Concilij Florentini *Romæ 1638. curante, & adnotante Horatio Iuſtiniano, Bibliothecæ Vaticanæ Cuſtode Primario*, qui in *Præfatione in Collectionem Actorum*, ita cenſet de Baſileenſis Concilij ſententiâ: *ſuper hac quæſtione, aſſertas ab eis veritates* (de Concilio Baſileenſi loquitur) *veriùs falſitates, de Poteſtate Concilij ſuprà Papam, damnauerit*, ſcilicet Florentinum Concilium, &c. Quod ne per tranſennam videatur perſtrinxiſſe, pleniſſimè tractat in *notis pag.* 347. Quia tamen Sorboniſtarum Clariſſimum Theologorum Collegium prouocat; manum de tabulâ. Magiſtri adſunt, & quidem laceſſiti. quid aliud eſt, quàm cicadas alis prehendere? Nec proculdubio ei abibit impunè, Gallis vigilantibus inſultare. Agamus quod agimus.

De Electione ſummi Pontificis.

Ad ſummi Pontificis Electionem pertinet, *c.* 6. deſumptum ex *can.* 1. Conc. Generalis Lateranenſis, ſub Alexandro III. quod quidem ſtatim, poſt pacem inter Pontificem, & Fridericum initam, habitum eſt. Occaſionem præbuit huic Conſtitutioni pernicioſiſſimum ſchiſma, quod octodecim annis durauit, aduerſus Alexandrum verum & legitimum Pontificem, à viginti tribus Cardinalibus electum. Autoritate Imperatoris fretus Octauianus quidam inſurrexit, Victoris nomine aſſumpto, qui à duobus tantùm, vel tribus Cardinalibus fuerat electus: cui mortuo, Guido Cremenſis, & poſteà tertius Ioannes Abbas Strumenſis, ſucceſſerunt. Antipaparum partes ſecuti ſunt Germania, & Italiæ pars maxima, quæ Imperatori adhærebat. Alexandri partes primùm Gallia, cuius exemplum plurima Regna ſecuta, Conſtantinopolis, Anglia, Scotia, & reliquus orbis ferè, vt narrat Continuator Aimoini *lib. 5. cap. 55.* ad quod ſchiſma pertinet *cap. 5. hoc tit. & cap.* 1. *infra de Schiſmaticis*, ſumptum ex *cap.* 2. dicti Concilij Lateranenſis. Quin & in Galliam confugere Alexander coactus fuit, ſicut & eius Prædeceſſores, Calixtus, & Paſchalis II. Qua de re ſic Arnulphus Lexouienſis Epiſcopus ſcribit ad Archiepiſcopos & Epiſcopos Angliæ. *Benedictus Deus, qui Eccleſiæ Gallicanæ ſolitam miſericordiam benignus impendit; vt eam ſemper agnitione veritatis illuſtret, &c. Sicut enim omnes, quos ad oppreſſionem Romanæ Eccleſiæ, rabida Teutonici furoris prouexit inuidia, virtus altiſſimi manifeſtata deiecit; ſic omnibus, quos deuotio Gallicana ſuſcepit, victoriam ſemper contulit & triumphum.* Inſignes eam in rem *duæ Epiſtolæ* Theobaldi Cantuarienſis Archiepiſcopi, quæ inter Ioannis Sareſberienſis *Epiſtolas*, 44. & 48. referuntur. Qui quidem Theobaldus Thomæ Cantuarienſis deceſſor fuit, & in cuius poſtrema tempora incidit electio Alexandri III. & ſub

ſub quo etiam in Anglia admiſſa eſt Nam in *fine Epiſt.* 44. ait, ſe fuiſſe infirmæ valetudinis, & ætatis decrepitæ: quod de Thoma Cantuarienſi non poteſt intelligi ex iis, quæ ſcripſit Matthæus Paris in Henrico II. ab *anno* 1159. ad *annum* vſque 1163. Itaque in *d. epiſtolis* litera ſingularis *T.* Theobaldum Cantuarienſem ſignificat, non Thomam, qui ſucceſſit Theobaldo. In *dicta* verò 48. *epiſtola*. Ita loquitur Theobaldus. *Eccleſia verò Gallicana, ſicut nobis veridica relatione innotuit recepit Alexandrum; ab Octauiano receſſit. Quod autem ad humanum ſpectat examen, meliori, ſaniori parti videtur adhæſiſſe: cùm omnibus conſtet, quod perſona Alexandri honeſtior eſt, prudentior, liberalior, eloquentior; cauſa eius ab omnibus inde venientibus ſincerior, iuſtior prædicetur. Et quamuis neutrius illorum adhuc nuncium, aut ſcriptum viderimus; ſcimus tamen, quia omnes Noſtrates, ſi veſter conſenſus adfuerit, proniores ſunt in partem Alexandri. Audiuimus autem quod Imperator vos in partem Octauiani trahere conetur: ſed abſit vt in tanto periculo Eccleſiæ, pro amore & honore hominis faciatis, niſi quod credericis Domino placiturum Nec decet Maieſtatem veſtram, ſi placet, vt in tota Eccleſia Regni veſtri ſuperponatis hominem, qui ſine electione, vt publicè dicitur, ſine gratia Domini, per fauorem vnius Imperatoris, tantum honorem auſus eſt occupare. Nam tota ferè Eccleſia Romana in parte Alexandri eſt. Incredibile autem eſt, quòd pars illa poſſit obtinere, præualere per hominem, cui iuſtitia deeſt, cui Dominus aduerſetur. Eos vero in humili caſu præualuiſſe certa recolimus lectione, quos Gallicana recepit ac fouit Eccleſia: & infelicem exitum eorum, quos tentationis impetus introduxit. Sic obtinuerunt temporibus noſtris Innocentius aduerſus Petrum, Calixtus aduerſus Burdinum, Vrbanus aduerſus VVibertum, Paſchalis adverſus tres, Albertum, Maginulfum, Theodoricum: & multi ſimiliter in diebus Patrum.* Quibus ex locis refellitur, quod ſcribitur in *epiſtola* 144. inter Petri Bleſenſis *epiſtolas*, quæ eſt Eleonoræ Angliæ Reginæ ad Celeſtinum Papam; quod ſcilicet, *cum Reges Franciæ & Angliæ variis ab vtraque parte Legationibus tentarentur, cumque Rex Francorum conſiliorum varietate, cui Pontifici faueret, dubius fluctuaret, Henricus Rex Angliæ primùm Alexandro Papæ conſenſit, multaque cautela Regem Francorum ad eaſdem partes ſuis pertraxit conſiliis.*] Ex [reliquis] Arnulphi, Ioannis Sareſberienſis, & Petri Cellenſis *epiſtolis* hiſtoria totius ſchiſmatis poteſt intelligi: potiſſimùm verò ex Radeuico *de Geſtis Friderici lib.* 2. *cap.* 50. 51. 54. 55. 56. 66. *& ſeq.* qui tamen Hiſtoricus, Friderici, & Antipapæ Victoris tuebatur partes. Addenda, quæ Baronius, & poſt illum, Binius diligentiſſimè in Conciliis, ex variis Scriptoribus notauerunt: quibus iunge Guillelmum Neubrigenſem *lib.* 2. *cap.* 9. & Petrum Bleſenſem *Epiſt* 48. *ad Guillelmum Papienſem Cardinalem*; cuius potiſſimum operâ, pax inter Pontificem, & Fridericum tandem facta eſt Venetiis anno 1177. Neubrigenſis *lib.* 3 *cap.* 2. *Auctuarium Aquicinctinum* Miræi *ad Euſebium:* Edita etiam nuper Lutetiæ Pariſiorum anno 1632. *Hiſtoria Concordiæ inter Alexandrum III. & Fridericum I. autore Felice Contelorо, Bibliotheca Vaticanæ Cuſtode*, ex optimis quibuſque Autoribus, & *MSS. Codd.* diligenter collecta. Ex quibus locis illuſtrantur & ex-

plicantur non tantùm *cap. 5. & 6. hoc tit.* ſed etiam *cap. 1. infrà de Schiſmaticis*; quibus benignitas, & Clementia Alexandri III. commendatur. *Vide Geſta* ipſius Alexandri III. *ex Cod. Vaticano M S. in fine dictæ Narrationis Concordiæ, inter Alexandrum III. & Fridericum I. pag.* 189. *omnino*.

Verùm, vt ad *d. cap. 6.* redeamus: in eo ius ſingulare conſtituitur; vt Cardinales tantùm eligant Pontificem: ille verò legitimè Electus cenſeatur, quem duæ partes elegerint; quamuis olim, ſicut in reliquis electionibus maior & ſanior pars ſufficeret *can.* 10. *Diſt.* LXXIX. Quod ſi quis à reliquâ tertiâ parte Cardinalium electus, nomen Pontificis vſurpet, ipſe & Electores excommunicantur, & deponuntur. Rationem iuris ſingularis affert: quia à nemine Pontificis Electio confirmari poteſt, qui ſi quid dubium occurrat, definire poſſit: ideóque, non ſicut in reliquis Electionibus expectatur Confirmatio; ſed ſtatim electus Pontifex conſecratur.

Dicitur initio *huius cap. ſuper Electione Pontificis prædeceſſorum Conſtituta manaſſe*, qualia extant in *can.* 1. *Diſt.* XXIII. *can.* 21. 22. 23. 28. *in fine*, 29. *& ſeqq. quatuor Diſt.* LXIII. *& tota Diſt.* LXXIX. *& initio Regiſtri* Gregorij VII. *ante Epiſtolas*, quibus adde *Epitomen* Antonij Auguſtini, *lib.* 1. *tit.* 5. Et quidem notandus maximè *can.* 1. *Diſt.* XXIII. & iungendus cum *can.* 1. *&* 9. *Diſt.* LXXIX. Sumptus eſt autem ex Concilio Lateranenſi, in Baſilicâ Conſtantinianâ, ſiue Lateranenſi Patriarchio habito, præſidente Nicolao II. Huius verò Decreti meminit Petrus Damiani, qui eo tempore florebat, in *diſceptatione Synodali, inter Regis Aduocatum, & Eccleſiæ Defenſorem*: & verum & legitimum canonem agnoſcit ipſe Defenſor Romanæ Eccleſiæ. Fidem etiam faciunt omnia Gratiani exemplaria Quin & Innocentium III. verba ipſius canonis referentem, infra inducemus: adeò vt non rectè inſpectus videatur illuſtriſſimo C. Baronio. Iunge *Acta* d. Concilij Lateranenſis, edita nuper à Binio, & quæ in *notis* ex Baronio tranſcripſit, & Iuonem *Parte V. cap.* 79 *& ſeq.* in cuius inſcriptione lege *in Conſtantinianâ Eccleſiâ*. Anton. Auguſt. *Dial.* 13. *lib.* 2. *de Emendat.* Gratiani. Petrus Damiani *Epiſtola* 20. *lib.* 1. *&* 11. *lib.* 8.

Ex his omnibus colligimus, ab initio Pontificis Romani Electionem, ſicut & reliquorum Epiſcoporum, fuiſſe penes Clerum, Populum, & Imperatores.

[Et quidem quodammodò Conſtantinus Imperator ſuas partes interpoſuit in Electionibus Epiſcoporum, vt ex Euſebio conſtat *lib.* 3. *de vita Conſtantini cap.* 57. 58. 59. *&* 60. Sed & ipſorum Summorum Pontificum electiones, Imperatorum & Magiſtratuum autoritate firmatas Hiſtoriarum monumenta declarant. Electionem Damaſi Prætextatus, Præfectus Vrbi, aduerſus Vrſicinum, qua pollebat, poteſtate tutatus eſt, eiuſque ſchiſma repreſſit, ex Ammiano Marcellino *lib.* 27. Rufino *lib.* 2. *cap.* 10. Baronio *tomo* 4. quibus adde *Appendicem Cod. Theodoſ. pag.* 86. *&* 87. Vbi ſubiicitur Imperat Gratiani reſcriptum. Bonifacij verò electionem, excluſo Antipapa Eulalio, firmam eſſe iuſſit atque ſanciuit Honorius Auguſtus, Symmachi *Actuarium pag.* 305. *et ſeq.* & Baronius *ad an.* 419. *num.* 34. *&* 43. De qua re Gratia-

Florus in *excerptis* in *fine operum* Agobardi diſertè ait, ſuo tempore Pontificis electionem liberam fuiſſe, & abſque Imperatorum Conſultu.

nus in *can.* 8. *Diſt.* LXXIX. *Diſt.* XCVI. *initio & tota Diſt.* XCVII.]

Quin Carolo Magno Adrianus I. liberam facultatem Pontificis conſtituendi dedit: cui iuri Ludouicus Pius renunciaſſe [quidem dicitur anno Chriſti 817. ſed reſumpſit ius ſuum decennio poſt, anno ſcilicet 827. Quod etiam] iterùm, tranſlato imperio ad Germanos, Leo VIII. Othoni I. conceſſit. Quæ, quamuis & à Baronio, & à Binio, vel ſuſpecta, vel falſa dicantur, & primùm à Sigeberto conficta; apud Collectores tamen canonum, etiam Gratiano antiquiores, & ſaltem Sigeberto coætaneos, reperiuntur. Et, quod notandum, Romani Correctores, nihil contra illos canones notarunt. Otho I. liberam Electionem permiſit: nec tamen ſequentes Imperatores huiuſmodi donationem probauerunt, vt colligitur ex Othonis III. *Decreto*, quod ipſe protulit in Electione Syluestri, vocati ante Gerberti, quæ extat in *fine Epiſtolarum* ipſius, ſub nomine antiquo Gerberti editarum: in quo & alia notatu digna continentur. Sequentes Imperatores liberam Electionem reliquerunt: & tandem ipſe Fridericus I. vt conſtat ex *Actis* Alexandri III. *de Concordia inter Alexandrum III. & dictum Fridericum I.* quæ à Baronio primùm publicata, poſtea nuper pleniùs edita fuerunt, ex Vaticanis Codic. in *hiſtoria Concordiæ ſupra citata.*

Adde Synodum Rauennenſem, habitam ſub Ioanne IX. quæ extat *tomo* 3. Concil. *parte* 2. & Maſſonium in *vita Ioannis IX.*

Denique Alexander III. hoc noſtro *cap.* 6. ex Concilio Lateranenſi, ad ſolos Cardinales definiuit Electionem Pontificis pertinere: quod primùm inchoatum fuerat ſub Innocentio II. ſub quo Populus Rom. & Clerus omninò excluſus eſt ab Electione Pontificis: & ad ſolos Cardinales tranſlata eſt Electio; à quibus, mortuo Innocentio II. primùm Celeſtinus II. reiectis ſuffragiis Populi, & Cleri creatus eſt, quod confirmatur *dictâ Conſtitutione noſtrâ.* Et hæc omnia ex actis publicis, & Sriptoribus illius æui probauit doctiſſimus Onuffrius Panuinius in *notis ad vitas Innocentij II. Clementis III. & Alexandri.*

Commodiùs etiam viſum fuit, Electionis Pontificum formam accuratiorem præſcribere, & Cardinales Electores arctiùs conſtringere, propter magna pericula, quæ ex diutinâ vacatione Sedis, & Cardinalium diſcordiâ, ſæpiùs Eccleſiam turbauerant. Itaque in Concilio Lugdunenſi Generali, ſub Gregorio X. habito, primùm dictum *cap.* 6. *hoc tit.* confirmatum eſt; & præterea introducta Conclauis forma, & Electionis ſolemnia ſubtiliſſimè definita in *can.* 1. dicti Concilij, ex quo ſumptum eſt *cap.* 3. *de Electionibus in* VI. qui canon iterùm confirmandus fuit, & declarandus in *cap.* 2. *de Electionibus in Clementinis*, ſumpto ex Concilio generali Viennenſi ſub Clemente V. Poſteriores enim Pontifices ſenſim receſſerant ab obſeruatione & formâ, à Gregorio X. definitâ: vt conſtat ex *notis* doctiſſimi Onuffrij *ad vitas Gregorij X. Ioannis XXI. & Clementis V.* quibus in locis formam Creationis hodiernæ pleniſſimè exponit: cui iunge *doctam interpretationem* Ioannis Andreæ *ad cap.* 3. *de Elect. in* VI.

Notanda verò maximâ poteſtas, quam Dominis locorum, vbi fit Electio Pontificis, Concilia tribuerunt: vt Cardinales includant, eoſque compellant in Electionem conſentire, & in numerum definitum conuenire.

Vt autem faciliùs id fiat, admittuntur ſuffragia Cardinalium excommunicatorum, interdictorum, vel ſuſpenſorum: itémque vt non tantùm de numero Cardinalium poſſit aſſumi Pontifex; ſed etiam ex perſonis cuiuſcunque ordinis, & conditionis, etiam ſæcularis, & laïcæ. Prætereà non expectantur abſentes Cardinales, poſt decem dies elapſos. Quæ omnia aliter ſe habent in reliquis Electionibus: ſed hoc caſu, ſingulari iure ſunt recepta; tnm propter periculum diutinæ vacationis Sedis, tum propter ſummam autoritatem Electorum. Quâ de re ita eleganter Innocentius III. in *Sermone 3. in Conſecratione Pontificis. Solet dici carnale coniugium, quod eſt inter virum & fœminam initiatum, ratum, & conſummatum: initiatum in deſponſatione, ratum in conſenſu, conſummatum in copulâ: ſic & ſpirituale coniugium, quod eſt inter Epiſcopum, & Eccleſiam, Initiatum dicitur in Electione, ratum in Confirmatione, conſummatum in Conſecratione. Illud autem coniugium, quod ego ſponſus* (de ſeipſo loquitur Innocentius) *cum hac meâ ſponsâ contraxi, ſimul fuit initiatum, & ratum; quia Romanus Pontifex cum eligitur, confirmatur; & cum confirmatur, eligitur. Nonne recolitis, quod de ipſo legiſtis in canone, quoniam electus, ſicut Papa verus, autoritatem obtinet regendi Romanam Eccleſiam, & diſponendi omnes facultates illius?* Deſignat Innocentius III. Canonum periti ſſimus, *can.* 1. *Diſt.* XXIII. verba ipſa vſurpat autor canonis Nicolaus II. in Concilio Lateran. vt ſuprà probauimus.

Vide infra, vbi *de Conſecratione in pr. & cap. vlt. §. porro, vt lite non conteſtata extra.*

NVNC DE ABBATVM, vel Priorum, & Abbatiſſarum Electionibus agendum; ad quas pertinent, *cap.* 10. 13. 16. 28. 37. 38. 47. 49. & 51. *hoc tit.* In conſtituendis huiuſmodi perſonis, progreſſus iuris obſeruandus eſt, qui fuit huiuſmodi.

De Abbatum, Priorum, & Abbatiſſarum Electionibus.

Primis Eccleſiæ temporibus, Monaſteria, & Monachi, in omnibus erant ſubditi Epiſcopis, qui plenam, tam in perſonas, quàm in bona Monaſteriorum poteſtatem habebant. Abbates, Priores, Abbatiſſas inſtituebant; indignos remouebant, & emendabant Monachos & Moniales, *can.* 4. & 8. Concilij Chalcedonenſis: Septimæ Synodi, *can.* 13. & 17. *can.* 12. *Cauſa* XVI. *Quæſt.* 1. *can.* 1. 8. 11. 12. 13. 28. 29. 30. & *vlt. Cauſa* XVIII. *Quæſt.* 11. Antonius Auguſtinus *Epitomes Iuris Canonici parte* 1. *lib.* 9. *tit.* 43. 49. 60. & 61.

Paulatim verò, Regibus exigentibus & Principibus, vel aliis fundatoribus, cœperunt Monaſteria eximi in Fundatione ipsâ, ab Epiſcopis Diœceſanis, causâ cognitâ, & ſæpiùs ad id conuocato Concilio. Et quidem, in primis iſtis Exemptionibus libera Electio Abbatis Monachis permittebatur, & diſpoſitio bonorum Monaſterij. Electus tantùm præſentandus erat Epiſcopo benedicendus, & inſtallandus: & in inſtallatione Epiſcopo obedientiam promittebat ſolemniter, & in ſcriptis, vt infrà dicemus. In reliquis omnibus manebat integra atque illibata iuriſdictio & autoritas Epiſcopi, ſecundùm diſpoſitionem Iuris communis.

Poſtea à Pontifice Romano Exemptiones concedi ſolitæ fuerunt, adhibito tamen Epiſcopi conſenſu. Notandum autem aliquando Epiſcopos ſpecialiter expreſſiſſe in Chartis Exemptionum, quænam iura ſibi potiſſimùm reſeruarent. Exemplum inſigne habemus, in Chartâ Fun-

dationis ſimul, & Exemptionis Monaſterij Andrenſis; cuius ſit mentio in *cap. 8. ſuprà de Conſuetudine.* Charta extat apud Aubertum Miræum, in *in diplomatibus Belgicis lib. 2. cap. 23.* his verbis. *Electus autem, Epiſcopo Teruanenſi conſecrandus præſentetur, à quo ſuſcepta benedictione, ei debitam promittat ſubiectionem; excommunicatos noſtros, aut pœnitentes minimè recipiant; oleum cum Chriſmate, à nobis, per ſe accipiant.*

Procedente tempore, Pontifices ſoli, irrequiſitis Epiſcopis, Exemptiones plurimas conceſſerunt, ſub diuersâ formâ; aliquando adeo prolixas & amplas, vt per omnia ab Epiſcoporum iuriſdictione & poteſtate ſoluerentur; eáſque non tantùm in fundatione, ſed etiam poſteà, cùm libuiſſet.

Qui autem pleniſſimum ius Exemptionis habent, in ſpeciales Eccleſiæ Romanæ filios accepti dicuntur, & nullum Epiſcopum habere, præter Pontificem Romanum *cap. 4. de Parochiis, & alienis Parochianis, in 1. Collect.* vulgò dicimus, *immediatè, ſine vllo medio ſubiici Pontifici:* quod ſæpiùs ægre tulerunt Epiſcopi. Quam in rem inſignis eſt locus apud Glabrum Rodulphum *lib. 2. cap. 4.* Itémque vide querelas Cantuarienſis Archiepiſcopi, apud Petrum Bleſenſem, *Epiſt. 68. ad Alexandrum III.* Iuonis *epiſt. 36. & 195. aduerſus Goffridum Vindocinenſem*; Bernardum *lib. 3. de Conſideratione ad Eugenium, & Epiſt. 42. ad Archiepiſcopum Senonenſem.*

Huiuſmodi verò Abbates Epiſcopi vocare ſolebant *Acephalos*; quorum aliqui profeſſionem Obedientiæ, quæ debetur Epiſcopis, tam ab Abbatibus, quàm Abbatiſſis, denegare ſolebant in Benedictione; cuius profeſſionis forma proponitur in *cap. ne Dei Eccleſia, extrà de Simonia.* Omnino vide Goffridi Vindocinenſis *Epiſt. 7. & 27. & notas* doctiſſimi Sirmondi: Petrum Cellenſem *Epiſt. 3. lib. 1.* Et Antonium Auguſtinum, *locis ſuprà citatis.*

De Benedictione Abbatum infra, vbi *de Cõſecratione & Benedictione* §. *de Benedictione verò.* Quod ſi eam denegent Epiſcopi abſque cauſa, compelluntur autòritate regia; nullo dato vel accepto. Inſigne exemplum apud Ordericum Vitalem *lib. 9. Hiſt. ſuæ.* Vide Autorem *Libelli, de la puiſſance Royale pag. 48. & 49.*

Colligitur ex his, à longo tempore, Electiones Abbatum, & Abbatiſſarum, ab Epiſcopis ad Monachos & Monachas tranſlatas fuiſſe; Confirmationem ſolam, vel Benedictionem Epiſcopo Diœceſano relictam: quod & probant, *can. 1. 2. 3. & 4. Cauſa* XVIII. *Quæſt.* II. quibus iunge *l. 40. & 47. Cod. de Epiſcopis & Clericis, Nouellas 5. cap. vlt. & 123. cap. 31.* Ex quibus etiam conſtat, non habitâ ratione ætatis, ſeniores, ſed probos, & exercitatos in monaſticâ diſciplinâ, eſſe eligendos. Quare qui in regulâ peritus non eſt, qui profeſſus non fuerit, qui non eiuſdem ordinis, ſi eligatur, electio nulla erit: etiam non obſtante contraria conſuetudine, *cap. 27. 37. 38. & 49. hoc tit. & cap. 28. de Electionib. in* VI.

In *d.* vero *ca. 37. hoc tit.* pro *Lexouienſi Abbate*, lege *Luxouienſi, Abbé de Luſſeul*, in Comitatu Burgundiæ. Eiuſdem *cap.* verba hæc ſubobſcura, *Cum nullam ſpem, vel promiſſionem habens, vt Abbas fiat, debeat monachari, &c.* Rectè verſio Gallica vetus: *Car il deut deuenir* (Adde *can. 20.* XXVI. *Q.* VII.)

Moine, ſans auoir nulle eſperance, ne promeſſe d'eſtre fet Abbé.

Quamuis autem huiuſmodi perſonæ non poſſint eligi; cauſâ tamen cognitâ, à ſuperiore poſſunt poſtulari, *cap. 13. hoc tit.* vel etiam propter vtilitatem Eccleſiæ Pontifex, ſuper huiuſmodi Electione diſpenſare poteſt, *cap. 38. hoc tit.*

Eligendus verò ex gremio Eccleſiæ vacantis peti debet potiſſimùm; non ex altero Monaſterio, licet eiuſdem ordinis; niſi de conſuetudine. Quibus iunge *can.* 3. 4. 5. XVIII. *Quæſt.* II. & omnino *Epiſtolam* 13. *lib.* 14. *Regiſtri* Innocentij III. *& notas.*

Electioni autem intereſſe debent Monachi, vel Sanctimoniales Monaſterij illius, in quo Superior deſideratur; non verò alterius Monaſterij: imò nec admittuntur, qui ex illo Monaſterio in aliud Monaſterium tranſierunt; quibus ne in tranſitu quidem licet hoc ius ſibi recipere *cap.* 47. *hoc tit.*

Laïci penitùs excluduntur ab Electione Prælatorum, non tantùm in Eccleſiis Conuentualibus vel Monaſteriis, ſed etiam in Collegiatis: & eis tantùm, licèt ſint Patroni, aſſenſus relinquitur Electioni iam factæ, *cap.* 51. *&* 56. *hoc tit. & cap* 25. *de Iure Patronatus.* Vbi illa verba notanda. *Niſi aliter de ſua iuriſdict one obtineat* (Patronus ſcilicet), id eſt, niſi in ipsâ fundatione expreſſerit Patronus, & conuenerit nominatim, vt Electioni intereſſet; vel etiam, quod ampliùs eſt, niſi ius præſentandi & nominandi Prælatum exceperit. Quod poſteà confirmabimus: priùs enim huc pertinens, *capitis* 51 ſpecies intelligenda eſt.

Infra vbi *de Electione per ſcrutinium* §. *exceptis.*

In *Catalogo* Cœnobij Cluniacenſis, qui nuper à diligentiſſimo viro, in *Bibliothecâ Cluniacenſi*, bono publico editus eſt, inter Prioratus ſubditos immediatè Cluniacenſi, ſub titulo *de Prouinciis Angliæ & Scotiæ*, Prioratus memoratur ſancti Pancratij Leuuenſis, Ciceſtrenſis Diœceſis, in Angliâ: *Quæ*, vt in *dicto Catalogo* dicitur, *de quinque filiabus ſecunda filia: & videatur ſuper hoc quædam Prouiſio facta per Abbatem Bertrandum anno* 1298. *de dicto Prioratu; in quâ inſtitutione Prior ſancti Pancratij Leuuenſis iurauit ſibi plura: licèt dicta Compoſitio hodie ſit reuocata per Decretalem, Sacroſancta Eccleſia, de Electionibus in Authentico: et conſtat etiam, per Litteras Apoſtolicas, quas habemus.* Et in *Statutis* eiuſdem Bertrandi *pag.* 1585. *Bibliotheca Cluniacenſis*, tertius locus inter Priores adſignatur Priori Leuuenſi, poſt Priorem Clauſtralem Cluniacenſem *pag.* 1585. Eiuſdem ad Generale Capitulum conuocati excuſatio habetur in *eadem Bibliothecâ*, ſcripta anno 1259. vbi ſe vocat Priorem ſancti Pancratij *de Leunes.* Imò & in quodam priuilegio conceſſo ab Honorio II. Petro Venerabili, anno 1125. inter Prioratus ſubditos Abbati Cluniacenſi, *Cella ſancti Pancratij de Leunes*, qui aliquando præcisè, *Prieur de Leunes*, appellatur, Thomas de Valſingan ſub Richardo II. *pag.* 1909. Ex quibus teſtimoniis conſtat Compoſitionem, de qua *hoc noſtro cap.* agitur, cuius eſt autor Gregorius IX. multis annis poſt fundatum Monaſterium, factam fuiſſe, vnà cum Patrono, nempè anno 1298. Fundatum enim fuiſſe à Guillelmo Vvarenniæ Comite in Prouincia Suſſexia Card nus in *deſcriptione Britannica* refert. Vide Rogerum Houedenum *pag.* 590. *in fine.* Vnde in

hoc cap. 51. *Comite de Vvarennia*, legendum. Vetus verſio Gallica, *ò le Comte d: Varenne*; id eſt, cum Comite, &c.

Quare non pugnat cum *dicto cap. nobis de Iure Patronatus*. Et ſanè, reiectis ſolutionibus reliquorum Interpretum, vera videtur Goffredi ſententia, quam ad *hoc cap.* 51. refert Ioannes Andreas: in *Prælati Electione in Collegiatâ, vel Conuentuali Eccleſiâ, intereſſe, et habere ius ſuffragij Patronum; vel etiam quod maius eſt, Ius Nominationis, et Præſentationis Prælati; etiam Laicum, Regem, ſeu Principem, aut quemlibet alium: dummodo hoc ius ſibi vindicet, ex vi priuilegij in fundatione conceſſi.* Quod ideò receptum, vt faciliùs Laïci inuitarentur ad fundandas, & dotandas Eccleſias: cuius rei inſigne habemus exemplum *in Epiſt.* 21. *lib.* 13. *et* 192. *lib.* 15. *Regiſtri* Innocentij III. iuncto *can.* 4. XVIII. *Quæſt.* 11. ibi: *poſſeſſionis dominus popoſcerat.*

Nec multùm ab eâ ſententiâ recedit Oſtienſis, qui hæc verba *dicti cap. nobis: de ſua iuriſdictione*, ita explicat, *id eſt, Priuilegio à Papa conceſſo*: nullum enim alium ait tale priuilegium poſſe concedere. Itaque tutiùs eſt, vtrúmque coniungere, reſeruationem primùm in fundatione exprimere; & poſteà confirmationem à Pontifice obtinere; ſicur in *dictis duabus Epiſtolis* Innocentij. Quamuis ſtricto Iure ex his, quæ diximus, ſufficiat expreſſio priuilegij in fundatione, comprobata à Diœceſano; ſine cuius conſenſu notum eſt, Eccleſias, Monaſteria, & Oratoria non poſſe conſtrui.

Poſteaquam verò fundatæ fuerunt Eccleſiæ, & dotatæ, non ampliùs permittendum hoc priuilegium, etiam Patrono; niſi fortè ſuper hoc, priuilegium ſpeciale à Pontifice impetrauerit, ex ſententia Oſtienſis. Quare Gloſſa ad *hoc cap.* 51. malè improbat generaliter Conſuetudinem Bononienſium; quâ qui Patroni ſunt, eligere dicuntur Prælatum in Collegiatâ Eccleſiâ, vnà cum Clericis: quod iure licet, ſi Patroni in fundatione ius illud retinuerint.

Aliud in Præbendis, Rectoriis, & Capellis, in quibus ius habet nominationis & præſentationis Patronus, ipſo iure, ex fundatione; quamuis nec in continenti, nec ex interuallo, ius illud exceperit.

Quod autem regulariter conſenſus Patroni Laïci requiri dicitur poſt Electionem: ne inutilis ſit aſſenſus; ſi diſſentiendi juſtas cauſas habear Patronus, meritò audietur contra Electionem: quæ eſt ſententia doctiſſimi Oſtienſis; cuius verba notanda. *Quia, ſi à Principe temporali temporalia teneat, & ſuſpectus eſt, vel Infidelis; meritò audietur; ſicut in illuſtris Regis Angliæ priuilegio continetur. Idem videtur, & ſi temporalia non teneat.* [Adde Innocentium IV. *in cap. ſuper his de accuſationibus* in verbo *excludatur*. Oſtienſem *eod. tit. num.* 5. & Iuonis *Epiſt.* 61. 161. *aliquorum*, Epiſcoporum ſcilicet, *quia conceſſiones Regum nondum conſecuti fuerant, Conſecrationes diſtuliſſe*, ſcilicet ſummos Pontifices. Iunge *can. Agatho & ſeq. Diſt.* LXIII. & infra, ubi *de iure regio in Electionibus.*] Quod ius commune eſt in Electionibus Epiſcoporum, & Abbatum: in quibus aſſenſus Regius requiritur, poſt electionem factam, *cap.* 14. 18. & 28. *hoc tit* Imò non tantùm aſſenſum, ſed etiam conſenſum iure deſiderari, non autem abuſiuè, contra quod dicitur in *dicto capitulo* 28. initio *huius tractatus* indicauimus, & in fine pluribus confirmabimus.

Eligere autem non tantùm Laïci prohibentur : ſed etiam Monachi, vel Clerici excommunicati, interdicti, vel ſuſpenſi, eligere; nec eligi poſſunt, *cap.* 16. *et* 38. *hoc tit.*

Itemque Electiones contra priuilegia Eccleſiarum, vel formam in fundatione Eccleſiæ præſcriptam factæ, non valent *cap.* 27. *hoc tit.* in *Antiquâ*, *et cap.* 8. *de Conſuetudine.*

Supra *tit. de Poſtulatione initio* §. *definiri poteſt.*

Notandum autem tam in Electionibus Epiſcoporum, quàm Abbatum, non tantùm aſſenſum ſimplicem, ſed conſenſum Regum noſtrorum interueniſſe : imò ſæpè ab eis, facultatem eligendi petitam fuiſſe, tam in ordinandis Monaſteriis virorum, quàm fœminarum : & ad hanc materiam pertinent *d. cap.* 51. *et* 56 *hoc tit.* & in *cap.* 10. *in Antiqua* hæc verba notanda : *quamquam Rex penitus inficietur violentiam*, & in *cap.* 34. ibi, *Patriarcha*, *vel Princeps.*

Vide infra vbi *de Regis Angliæ Iure in Electionibus.* & Ordericum vitalem *Hiſt. Eccleſ. lib.* 3. *ad an.* 1059. cuius locus infra refertur, vbi *de Inueſtituris.*

Idémque ius in Angliâ ſeruatum, & à Guillelmo Conqueſtore inductum diligenter notauit ſtatim in *Præfat. Hiſtoriæ ſuæ*, diligentiſſimus ſcriptor Eadmerus; & Ioannes Sareſberienſis *Epiſt.* 227. *in electione Prioris Cantuarienſis.* & in *Epiſt.* 261. ita Abbas quidam loquitur, *ſe Abbatiam à Ro. Pontifice non habere, ſed curam paucarum, de quibus non curabat, animarum : ſecurúmque eſſe de temporalibus bonis ; quia ei Romanus Pontifex prædia auferre non poterat, quæ ab alio poſſidebat.* Plura de ea re, in *fine huius tit.* vbi *de Inueſtituris.*

* *De Electione Imperatoris.*

*Nec tantvm de Eccleſiaſticis Electionibus, ſed etiam de Electione & Conſecratione Imperatoris, in celebri *cap.* 34 *hoc tit.* & de Electione Senatorum Romanorum in *ca.* 17. *hoc tit. de Electione in* VI. tractatur.

Vt autem intelligamus ſententiam dicti *cap.* 34. repetendum eſt factum ex hiſtoriâ. Mortuo Henrico V. Imperatore & Rege Siciliæ, grauis inter Electores orta eſt diſcordia. Alij Philippum, Fratrem Henrici, Ducem Suauiæ; alij contra Othonem, ex Saxoniæ Ducibus ortum, elegerunt in Regem Romanorum. Ad controuerſiam dirimendam Innocentius III. Legatos duos in Germaniam, Sutrinum Epiſcopum, natione Germanum, & Abbatem ſancti Anaſtaſij Ciſtercienſis Ordinis : quibus in mandatis dederat, vt de Electionis formâ, Electorum perſonis, & de toto negotio diligenter inquirerent; quæ deinde omnia fideliter Pontifici inſinuarent. Vnde notandum, quod & in *hac Decretali* Innocentius III. expreſſit, *nullam iuriſdictionem*, & *poteſtatem*, *Pontificem dediſſe Legatis ; ſed tantùm inquiſitionem.* Huius mandati fines cum egreſſus fuiſſet Sutrinus Epiſcopus, grauiter ab Innocentio III. punitus eſt, & in Monaſterium detruſus, vt nominatim dicitur in *Geſtis* Innocentij III. *pag.* 9. Electores verò Philippi tres Legatos ad Innocentium miſerunt, qui nominantur in *integrâ Decretali*; quibus coràm Pontifice auditis, & plenâ cognitione cauſæ habitâ, improbata fuit Electio Philippi, propter rationes, quæ ſigillatim enumerantur in *hac Decretali*, ſcriptâ *ad Bertoldum Ducem Zaringiæ*; qui conuentu habito Coloniæ, à quibuſdam Electoribus in Regem Romanorum electus fuerat : cui tamen iuri renunciauit, & in gratiam rediit cum Philippo. Ad hunc itaque Bertoldum ſcribit Innocentius III. tentans eum dimouere à tuitione Philippi : idcóque eum abſoluit à iuramento fidelitatis,

litatis, quod præſtiterat. Eo colore, ad obtinendum Imperium Philippo indigno iudicato, atque remoto à Pontifice, amplius Bertoldus non videbatur teneri religione ſacramenti, quod non ratione perſonæ Philippi, ſed ratione Regni præſtiterat. Sed re verâ nunquam Reges & Principes admiſerunt hoc licere Pontifici.

Tertius Otho, vt diximus, eligitur in Regem Romanorum Coloniæ, à Colonienſi Archiepiſcopo, Argentinenſi, & quibuſdam aliis Principibus, tam Eccleſiaſticis, quàm ſecularibus; qui ægrè ferebant ſe in Electione Philippi fuiſſe contemptos. Electus eſt Otho *anno* 1198. cum adhuc in Angliâ verſaretur, procurante & promouente huiuſmodi Electionem Richardo I. Rege Angliæ, Othonis avunculo.

Poſt Electionem, vterque Aquiſgranum, ſedem Imperij feſtinauit. Prior vrbem occupauit Philippus; ex quâ ſubitò pulſus ab Othone, qui in eâ ab Adulpho Colonienſi Epiſcopo, ritè & ſolenniter, maiorum more, in Regem Romanorum coronatus eſt; ſicut in *hac Decretali* exprimitur.

Sciſſum itaque, & diuiſum eſt imperium. Schiſma pluribus annis durauit. Pars Principum Germaniæ Philippum, & Gallia vniuerſa: pars altera Germaniæ, Anglia, & ferè totum Belgium ſequebantur Othonem: imò & ipſe Innocentius III. Quare hiſtorici Angliæ, & Italiæ ſunt propenſiores in Othonem, vt conſtabit ſatis, ſi examinentur ea, quæ ſcripſerunt Rogerus Houedenus *pag.* 776. 794. Matthæus Paris *pag.* 184. *&* 191. *& ex eo* Matthæus Vveſtmonaſterienſis *pag.* 261. *&* 263. quibus iunge omninò *Geſta* Innocentij III. *pag.* 9. *&* 10. vbi & enumerantur, qui vel partes Othonis, vel Philippi ſecuti ſunt. Contra plurima reperies, quæ ad cauſam Philippi firmandam pertinent apud alios Scriptores, Rigordum in *Geſtis Philippi Auguſti pag.* 200. 207. 209. maximè apud Abbatem Vrſpergenſem *pag.* 318. 319. *&* 323. *in vitâ Henrici VI. Philippi, & Othonis IV.* vbi & nominatim *iſtam Decretalem* refert: non quidem ex *Compilatione Decretalium Gregorij IX.* quâ hodie vtimur; ſed ex *antiqua Collect.* 111. & eam diligenter excutit. Vnde recentiores omnia ferè exſcripſerunt, Trithemius in *Chronico Hirſaugienſi*, & Cuſpinianus.

Remoto itaque Philippo, imò & excommunicato, coronatus eſt Romæ Otho, ab Innocentio III. anno Chriſti 1210. *contra voluntatem Philippi Regis Francorum, pro maximâ parte Romanis contradicentibus, & multis de magnatibus Imperij non aſſentientibus:* quæ ſunt verba Rigordi, in *Geſtis Philippi Auguſti ad annum* 1210.

Nec ſerò, ſed ſtatim Innocentium III. pœnituit. Nam eodem anno contra Iuramentum, quod Innocentio ſolemniter, vt moris eſt, in coronatione Otho præſtiterat de tuendâ & defendendâ Eccleſiâ, cuius ſpecialis Filius, & Aduocatus appellari ſolet Imperator; occupauit non tantùm patrimonium ſancti Petri, ſed etiam patrimonium Friderici Regis Siciliæ, cuius tutor Innocentius fuerat à Matre conſtitutus. Quare ab Innocentio III. in Concilio Romæ habito, anno 1210. excommunicatus eſt, & depoſitus.

Vide *tomum* 2. *Hiſt. Leodienſium Epiſcoporum pag.* 166. *&* 167. & maximè *pag.* 179. 183. *&* 197. vbi de excommunicatione Philippi, & cœde Alberti Leodienſis Epiſcopi.

Poſteà, vt Rigordus loquitur, *Alemaniæ Barones, mediante conſilio Philippi Auguſti, elegerunt Fridericum II. filium Henrici VI. anno*

1211. quem antea, adhuc patre viuente, infantem & bimum Principes Germaniæ penè omnes, aſſumpſerant in Regem Romanorum, & ei fidelitatem iurauerant; inter quos Philippus eius Patruus: cui propterea periurium in *hac Decretali* verè obiicitur; quod & Gloſſa non ignorauit. Vide Abbatem Vrſpergenſem in *Henrico V. ſub finem*, maximè *pag. 326. & 327.* Rigordum de *Geſtis Philippi, ad annum 1210. & ſeqq. Chronicon Antiſſiodorenſe pag. 107. & Geſta* Innocentij III. *pag.* 8

In *hoc* verò *capitulo* Celebri reprobat Electionem Philippi: non propter aliquod vitium Principum Germaniæ eligentium, quibus ius eligendi competere agnoſcit, & culpâ caruiſſe in eligendo; ſed propter notoria impedimenta perſonæ Philippi Electi, quæ diligenter enumerat. Primò, contempti multi fuerant ex Electoribus, vt ſupra attigimus. Deinde Philippus excommunicatus fuerat à Celeſtino prædeceſſore Innocentij, propter inuaſionem & deuaſtationem, tam Apoſtolici patrimonij, quàm Friderici II. Cuius excommunicationis fit mentio in *Geſtis* Innocentij III *pag. 9. & 10. & apud* Vrſpergenſem *locis citatis*, maximè *pag. 310.* Idem erat periurus; quia, vt diximus, contra fidem datam filio fratris Henrici, ſe curauerat eligi. Præterea, quod additur in *integrâ, Marcuardo, ſiue Marcualdo*, excommunicato ſæpiùs à Pontifice, vtebatur; & eum fouebat: quamuis & Pontificem, & pupillum Fridericum opprimere conaretur, ipſe licet beneficio Friderici ad ſummos honores prouectus, Vrſpergenſis in *Henrico VI. & Geſta* Innocentij *pag.* 10. *& ſeq.* Poſtremùm, quam rationem facit plurimi Innocentius III: *ius Electionis periturum*, ait, *ſi ex vnâ & eâdem domo, aliquis ſemper ad Imperium aſſumeretur: ita enim fieret, vt potiùs ex ſucceſſione, quàm ex electione deferretur.* Certum autem erat Friderico I. Henricum ſucceſſiſſe eius filium, cuius frater Philippus electus fuerat. Idem tamen ex poſt facto contigit: Nam depoſito Othone, in eius locum ſubſtitutus eſt, atque coronatus ab Innocentio III. filius Henrici Fridericus II. non ſine difficultate; *quia Innocentius progeniem illam non amabat*, vt ait Rigordus *loco citato*, & Vrſpergenſis *pag.* 319. qui Vrſpergenſis tamen plus æquo fauet Philippo. Edoctus nempè Innocentius iniuriis & vexationibus, quas non tantùm Eccleſiæ, ſed etiam vniuerſæ Italiæ illa progenies intulerat, eam meritò oderat. Quare ſtatim initio Pontificatus ſui coniurationi Ciuitatum Italiæ aduerſus Germanos fauerat, quæ inter ſe coniurauerant: *Quod nullum in Imperatorem, & Regem reciperent, niſi quem Romanus Pontifex approbaſſet, pag. 5. & 8. Geſtorum* Innocentij. Enumeratis autem iniuriis acceptis à quatuor Imperatoribus ex illa domo, ideò Philippum reprobat, quod de genere Perſecutorum dicat eum progenitum. Additur & illa ratio in *integrâ Decretali: quod Philippus non vbi debuit, nec à quo debuit, coronam & vnctionem accepit.* Coronatus fuerat non Aquiſgranis; ſed Moguntiæ: nec à Colonienſi Epiſcopo; ſed à Tarantaſienſi, *Geſta* Innocentij *ſupra citata*, & Vrſpergenſis. Poſteà verò idem Philippus, reconciliatione factâ cum Adulpho Colonienſi, iterùm ab eo Aquiſgranis coronatus eſt; Vide *Chronicon Hirſaugienſe pag. 216. & ſeqq.* Idemque Vrſpergenſis in *vita Philippi* refert *pag.* 322.

Digitized by Google

Rectiſſimè autem ex *hac Decretali*, & aliis authenticis ſcriptis, ad eam pertinentibus, contrà vulgarem ſententiam colligit Baronius, Electorum numerum ſeptenarium, poſt Innocentium III. inductum fuiſſe. Multò enim plures memorantur Electioni Philippi, vel Othonis, interfuiſſe.

Hunc verò progreſſum obſeruat in eligendo Imperatore: omnes Imperij Magnates & Vaſſallos maiores fuiſſe adhibitos, ſiue Germani forent, ſiue alterius nationis. Primus Otho III. & Gregorius V. ambo Germani, ad ſolos Germanos ius eligendi tranſtulerunt; nullo tamen certo numero Electorum definito: quem tandem conijcit, vel ab Innocentio IV. in Concilio Generali Lugdunenſi, vel ab Alexandro IV. ad ſeptenarium numerum reductum, *ex prætaxatione Principum, atque eorum conſenſu*. Vide eundem Baronium *tomo* 10. *num.* 38. *&* 39. *ad annum Chriſti* 996. in accuratiſſimá *tractatione*, *de Electoribus, contra librum* Matthiæ Flacci Illyrici, *de Tranſlatione Imperij ad Germanos*. Sententiam Baronij de forma eligendi Imperatoris confirmat omnino Rogerius de Oueden, *pag.* 776. 795. *&* 802. ex quibus locis conſtat, omnes Alemaniæ Magnates Electioni Imperatoris interfuiſſe. Imò Rex Angliæ, vt idem refert, tanquam præcipuum membrum Imperij, ad eligendum vocatus fuit, & Legatos miſit: eoque procurante, quod indicauimus, Otho ex Electis coronatus fuit.

Obſeruare operæ pretium eſt, quod Innocentius III. adiicit nimis præcisè, de Tranſlatione Imperij à Græcis ad Germanos, *omiſiſſe Gallorum mentionem:* apud quos, & à quibus conſtitutum eſt Imperium in Occidente. Itémque quod ait, de ſummâ poteſtate, in confirmandâ, vel reiiciendâ Electione, & de Depoſitione Imperatorum, & Abſolutione à Iuramento Fidelitatis: quamuis confirmari videatur *can.* 4. *alius*, XV. *Quæſt.* 6. *& can. tibi duo, Diſt.* XXXIII. & recentioribus *Decretalibus*, maximè *cap.* 1. *de Iureiurando, in Clementinis*. Galli enim, Germani, & plerique omnes, teſtimonia Pontificum, tanquam in propria cauſa refutarunt: & ſibi ius Electionis Germani vindicarunt; ſpreto aliquando Pontifice. Quæ præcipua cauſa fuit reiiciendi Philippi, vt conſtat ex *Epiſt.* 1. *lib.* 3. *Regiſtri* Innocentij III. quam refert Bzouius *tomo* 13. *ad annum* 1199. *num.* 23.

Falſiſſimum verò, quod Gloſſa, & plerique Interpretes Iuris Canonici notant ad *hoc cap. omnes Reges Imperatori ſubeſſe*. Si enim quoſdam excipias, quorum Regna, tanquam Feuda, ab initio ſubiecta fuerunt Imperio; reliqui omnes, ſuo iure, & virtute propria nituntur, à Deo nullo mediante, nec Pontifice, nec Imperatore, [conſtituti.]

Quod quidem de Regno Galliæ Interpretes Iuris Canonici, quamuis addicti Decretalibus, agnouerunt. Eaque ratione potiſſimùm confirmatur; quia ipſum Imperium à noſtris Regibus fuit conſtitutum: quibus ademptâ parte, id eſt, Imperio ad Germanos tranſlato, reliquum ſaltem, iure optimo maximo retinuerunt, ſicut pluribus authen-

ticis ſcriptis confirmauit nuper Collector *tomi 2. Libertatum Eccleſiæ Gallicanæ cap. 4. & 17.*

Quatenus verò dicitur in *Antiquâ*, Philippum *non fuiſſe coronatum Aquiſgranis, vbi, & à quo debuit*, confirmatur priuilegium Colonienſis Archiepiſcopi.

Itémque, quod de examinatione Coronandi in Imperatorem dicitur, ſingulare eſt. Quamuis enim reliqui Reges vngantur, & coronentur; nihilominus tamen non pertinet ius examinandi ad Epiſcopos, quibus ex priuilegio, vt deinde dicemus, Ius coronandi competit. Ratio Iuris ſingularis aſſignatur in *hac Decretali: Quia*, nempe, *Pontifices ſibi tribuunt Ius & poteſtatem Imperij transferendi*, ſicut in *dictâ Epiſtolâ* Innocentius III. ſignificat his verbis. *Verùm ad Apoſtolicam ſedem, iampridem fuerat recurrendum: ad quam negotium iſtud principaliter, & finaliter dicitur pertinere:* principaliter, *quia ipſa transtulit Imperium ab Oriente in Occidentem*; finaliter, *quia ipſa concedit Coronam Imperij.*

In *integrâ Decretali* mentionem factam notauimus loci, vbi Electus coronatur in Regem Romanorum, nempe Aquiſgranis, & à Colonienſi Archiepiſcopo. Deinde iterùm Romæ, vel alio etiam loco, iuſſu Romani Pontificis ab Oſtienſi Epiſcopo conſecratur; & poſtremùm Pontifex ipſe coronam imponit. Vide Abbatem Vrſpergenſem, in *Coronatione Friderici II.* facta ab Honorio III.

Idem etiam Mos in plerîſque aliis Regnis obtinet; vt nempe certæ alicui Eccleſiæ ius conſecrandi Reges competat.

In Galliâ hoc Ius ſibi vindicat Remenſis Eccleſiâ: & à Clodouæo reperit. Si alibi, vel ab aliis Epiſcopis præſumatur Coronatio, inhibitorias litteras à Pontifice ſolet impetrare, ad Ius ſuum conſeruandum. Quibus tamen non obſtantibus, ſæpiùs Reges noſtri, publicâ vtilitate flagitante, alibi, & ab aliis Epiſcopis, ſe conſecrari curauerunt. Quæſtio doctiſſimè tractata eſt ab *Iuone Carnotenſi* aduerſus Remenſem Eccleſiam, in Coronatione Ludouici Groſſi, qui à Daimberto Senonenſi Archepiſcopo, & eius Suffraganeis, Aurelianis, ante altare ſanctæ Crucis vnctus & coronatus eſt; dictante potiſſimùm ſapientiſſimo viro Iuone Carnotenſi: cuius extat eâ de re Tractatus, inter *Epiſtolas, num.* 189. cui iunge *Epiſtolam* 13. *& notas*; itémque Sugerium in *vitâ Ludouici pag.* 107. *Chronicon Antiſſiodorenſe ad annum* 1154. Andream quemdam Hiſtoriæ noſtræ veterem Scriptorem, & Continuatorem Aimoini *lib.* 5. *cap.* 50.

Idem Ius in Angliâ Cantuarienſi Archiepiſcopo competit: cui ſimiliter aliquando derogatum: [& quidem à Guillelmo I. Conquæſtore: de quo ſic Eadmerus *Hiſt. Nouorum lib. 1. initio. In Natiuitate Domini vnctus eſt in Regem apud Veſt-monaſterium à beatæ memoriæ Ealdero Archiepiſcopo Eboracenſi & nonnullis Epiſcopis Angliæ. Quam conſecrationem licet ipſe Rex & omnes alij optimè noſſent debere ſpecialiter fieri & propriè à Pontifice Cantuarienſi: tamen quia multa mala & horrenda crimina prædicabantur de Stigando, qui eo tempore ibi Pontifex erat; voluit eam ab ipſo ſuſcipere, ne maledictionem videretur induere pro benedictione.*] Et Anſelmo Cantuarienſi exulante; à Thoma Eboracen-

ſi Henricus I. coronatus fuit; Anſelmus *Epiſtola 90.* Henricus etiam II. filium ſuum Henricum III. in Regem Angliæ coronati voluit, apud Veſt-monaſterium, à Rogero Archiepiſcopo Eboracenſi, in Prouinciâ Cantuarienſi; qui & ideò ab Alexandro III. excommunicatus fuit: & qui cum eo coronationi interfuerunt Epiſcopi, partim excommunicati, partim ſuſpenſi. Quod quidem ius, cum Thomas Cantuarienſis acriùs vrgeret, vtriuſque odium incurrit; eaque inter cædis cauſas præcipua memoratur. Quam in rem vide Matthæum Paris *pag.* 117. Rogerium Ouedenum *pag.* 518. 519. *& ſeqq.* Ioannem Saresberienſem *Epiſt.* 277. *&* 280.

Idem Priuilegium in Hungariâ Strigonienſi Archiepiſcopo competit, *Epiſt.* 156. *lib.* 14. *Regiſtri* Innocentij III.

Trinouitano Archiepiſcopo in Bulgariâ, & Blachiâ conceſſit Innocentius III. cuius priuilegium extat in eius *Geſtis pag. 60.*

Pro arbitrio tamen Regum, vel rebus ita ſuadentibus, ab aliis Epiſcopis, & alibi poteſt Conſecratio celebrari. Eadem ratione Bela Rex Hungariæ ab Archiepiſcopo Colocenſi coronatum fuiſſe tradunt, Innocentij III. *Geſta pag. 67.* Quare prudenter in Legibus Regni Sueciæ additum: *quamuis Rex Vpſaliæ ſoleat coronari, alibi tamen, ſi neceſſitas vrgeat, poſſe lib. 2. Legum Suec. cap. 7.* Nec enim per coronationem Regum, eorum præcipuè, quibus, non Electionis, ſed Succeſſionis iure, regna deferuntur, aliquod Ius conferri, rectè Iuo Carnotenſis, *initio Tractatus ſui*, inſinuat: ſed tantùm obſequium & reuerentia, Deo & religioni exhibetur.

Aliter ſe habere in Imperatoribus ex his, quæ diximus, colligitur. Ante Coronationem, & ſuum conſenſum, Pontifices ius & nomen Imperatoris denegarunt.

Poſtremùm de Iure Electorum, Formâ eligendi Imperatoris, de Symbolis, ſiue Inſignibus Imperialibus, quæ Regalia vocantur, vide *auream Bullam* Caroli IV. & doctiſſimum Marquardum Freherum, in *Originum Palatinarum parte 1. cap. 15.* qui & alios eâ de re Tractatus veterum, excudi curauit.

Corollarij loco iuuabit ſubnectere, quæ de Coronationibus Regum & Reginarum collegit, & adnotauit nuper, *ad Capitula* Caroli Calui, eruditiſſimus Sirmondus, & Codinus Curopalata, *cap.* 17. περὶ στεφηφορίας βασιλέως.

Supereſt, vt quæ latiſſimè expoſuimus, in certas Regulas digeramus. Aliæ ſpeciales ſunt, & ad ſubiectam materiam dicti *cap.* 34. pertinent, id eſt, ad Electionem Regis, vel Imperatoris. Aliæ verò ſunt generales, & ad omnes Electiones pertinent.

SPECIALES SVNT ISTÆ.

I. REGIS *Romani Electio competit Electoribus, de Iure, & Conſuetudine: cui faciendæ Pontifex non ſe debet miſcere,* initio *d. cap.* 34.

II. Tempore Innocentij III. incertus fuit numerus Electorum; poſtea ſeptenarius factus. In perſonis autem Electorum mutandis, & aliis ſubrogandis, & Electionis formâ, multa Conſuetudine irrepſerunt: Baronius, & Freherus, *locis citatis.*

III. Electus, à Colonienſi Epiſcopo, Aquiſgranis, non alibi, debet inungi in Regem Romanorum: & in Coronatione Iuramentum fidelitatis, tam ab ipſo Colonienſi, quàm reliquis Electoribus, Electo præſtatur.

IV. Non poteſt tamen Electus, Imperatoris ius & nomen ſibi vindicare; antequam Confirmationem, & Conſecrationem impetrauerit à Pontifice.

V. In Confimatione, & Coronatione, ius ſibi tribuunt Pontifices inquirendi, tam de Electionis formâ, quàm de perſona Electi: imò & certis caſibus, relatis in hac Decretali, reiiciendi, & Electores religione Sacramenti fidelitatis abſoluendi. Imò & tranſlationem Imperij, & poteſtatem eligendi, à ſede Apoſtolicâ profectam contendunt.

Quæ hactenus, à Regula IV. ſæpiſſimè denegauerunt Imperatores: vt multis teſtimoniis confirmauit Matthias Flaccius *dicto Tractatu, de tranſlatione Imperij:* & alij ante Flaccium, & poſtea.

VI. Contra libertatem Electionis tamen fit, ſi in vnâ, & eâdem domo ſæpiùs Imperium continuetur.

VII. Longè diuerſa eſt ratio Epiſcoporum, quibus ex Priuilegio, vel de Conſuetudine, ius coronandi Reges competit. Nullam enim cognitionem cauſæ, vel poteſtatem habent in perſonas Regum: quod eſt euidentiſſimum in Regnis ſucceſſionis iure delatis.

REGVLÆ GENERALES.

I. Prelati, quibus Impoſitio manuum, ſiue Conſecratio competit, licèt teneantur Electionem ritè factam, omnino confirmare; inquirere tamen debent in perſonam Electi, iuxta illud Apoſtoli: nemini citò manum impoſueris cap. 3. hoc tit. cap. vn. de Scrutinio in ordine faciendo, infra; Iuonis *Epiſt.* 54.

II. Vnius contemptus plus nocet, quàm plurium contradictio cap. 28. & 36.

III. In Electionibus non tantùm, quid de Iure, ſed etiam

quid de Conſuetudine obtineat inſpiciendum. Quæ Regula infra probabitur.

IV. Eligentes indignum ſcientes, poteſtate eligendi, pro hac vice, priuantur cap. 7. 20. 25. & ſeq. hoc tit.

V. Hæreticus, vel Excommunicatus, ad Dignitates, tam Eccleſiaſticas, quàm Seculares, ex iure nempe Decretalium, non poteſt admitti. Aliquid enim de temporali ſtatuendi, ſiue circa perſonas, ſiue bona Laïcorum, poteſtatem non admittimus in Galliâ.

VI. Diſpenſatio Sacramenti, licèt illiciti, & iniuſti; propter reuerentiam tamen religionis, impetrari debet.

DE FORMA ELECTIONIS.

EXplicatis, quæ in Electionibus Pontificis Romani, Metropolitanorum, Epiſcoporum, Abbatum, Abbatiſſarum, & ipſius Imperatoris, iure ſingulari obtinent: ſequitur, vt ſubiiciamus, quæ generaliter deſiderantur in Electionibus ritè celebrandis; & quot ſint receptæ Electionum Formæ, ſiue Species. In quâ tractatione notandæ ſunt præcipuè Conſtitutiones Conciliorum generalium; quæ referuntur in *capitulis 7. 42. & 43. hoc tit. & cap. 2. 6. & 7.* [apud Bonifacium.]

Et quidem, in *cap. 7. hoc noſtro tit.* definitur, vt eligatur in Epiſcopum aliquis ſcientiâ, atque moribus conſpicuus, qui XXX. annum attigerit, niſi diſpenſatio interueniat, Zacharias Papa inter *Epiſtolas* Bonifacij Moguntini Archiepiſcopi, *pag.* 214. De legitimo præterea Matrimonio natus.

In reliquis Dignitatibus, & in Rectoriis, ſufficit XXV. annum impleuiſſe. Repetendum, ex legitimo Matrimonio natum.

Si qui contra hanc formam elegerint: non tantùm Electio irritatur; ſed etiam Electores poteſtate eligendi, hac vice, priuantur.

Quamuis autem illegitimi non poſſint Eligi; Poſtulari tamen poſſunt, & cum eis ex iuſtâ causâ diſpenſari *cap. innotuit, hoc tit. iunctâ Epiſt.* 440. *lib. 1. Regiſtri* Innocentij III. *pag.* 289.

In reliquis capitulis citatis de formâ Electionis; cum antea variæ forent, tres tantùm admittuntur in *dicto cap. 42. quia propter, hoc tit.* quod obſeruandum in Galliâ *Concordata* præcipiunt *in fine tit. de Electionibus. Per Scrutinium, Per Compromiſſum, & per Inſpirationem:* vel mixtâ quadam formâ, *Per Compromiſſum ſimul, & per Scrutinium*; ſicut in eleganti ſpecie *cap. 32. hoc tit.* quam non eſſe reuocatam, rectè Bonifacius VIII. definit, in *cap. 39. hoc tit. in* VI.

Antequam verò de ſingulis dicamus: ſeorſim communia quædam Electionibus omnibus proponemus.

Et quidem primùm tempore debito fieri debent, id eſt poſt mortem & ſepulturam Prælati defuncti. [*cap. 36. hoc tit.* De quo infra,

vbi *de Electione per inſpirationem §. publicè itaque.*] Itemque omnes qui ſunt ex Collegio vocari debent, etiam abſentes, ſaltem intra prouinciam; [ſiue in Electione Maiorum Prælatorum, ſiue in Electione Minorum, & collatione Minorum beneficiorum *cap. 18. & 35. hoc tit. cap. cum olim in fine de Sentent. & re iud. & cap. cum in Eccleſiis 35. de Prabendis in* v1.] niſi de Conſuetudine aliter ſe habeat: verbi gratiâ in *cap. 55.* refertur conſuetudo Eccleſiæ Gallicanæ, quâ de toto regno abſentes vocandi ſunt. [Quandoque tamen, ſi ita conſuetudo ferat, præſentium tantum habetur ratio, & abſentes non vocantur *d. cap. cum in Eccleſiis de Prabendis in* v1.] Præcedere itaque debet legitima citatio, tempore debito; id eſt poſt mortem. Debet competens terminus aſſignari: alioqui citatio nulla eſt: & pro contempto ita citatus habetur *cap. 36. hoc tit.* Legitimè autem vocati, licèt venire neglexerint, aut non potuerint, valet Electio. Si tamen per contemptum, vel omiſſionem, vnus non vocetur, nulla eſt Electio; niſi poſtea propter bonum pacis, is qui contemptus eſt, conſenſerit *cap. 28. 34. & 36.* Pupillus tamen, ſiue impubes, poteſt contemni; & in Regularibus Eccleſiis, qui non eſt profeſſus *cap. 32. hoc tit. in* v1. in quâ conſtitutione abuſiuè pupilli vox vſurpatur, pro impubere. Rationem addidit; *quia certum animi indicium non habet:* quâ ratione idem tentari poteſt in furioſo, & demente, qui ſæpiſſimè in iure infantibus comparantur. Idem de Excommunicatis, & interdictis, vt initio *huius tit.* diximus.

Quia vero Electio eſt ex actibus legitimis, qui in iure fieri ſolent, publicè & palàm, non clam & diem; & conditionem abhorrent, *l. Actus legitimi ff. de Regul. Iuris,* [quæ & refertur *cap. 50. de Regulis iuris in Sexto:*] imò inter actus legitimos celeberrimus habetur Electio Pontificum & Prælatorum, [Gloſſa in *d. cap. 50. de Reg. Iuris,* vbi & citat *cap. 2. de Electionibus in Sexto;*] clandeſtinæ Electiones, vota conditionalia, alternatiua, vel incerta, penitùs reprobantur *cap. 2. hoc tit in* v1 *& cap. vnico de Poſtulatione eodem.* Et quidem *d. cap. 2. in* v1. ex Concilio Lugdunenſi Generali deſumptum, pleniùs refertur, ſicut & alij quidam Canones illius Concilij à Matthæo Paris *pag. 655.* quod & Binius notauit.

Eâdem ratione regulariter Procurator conſtitui non poteſt; niſi vno caſu: [nempe ſi quis ſit abſens in eo loco, de quo debeat aduocari, & iuſto impedimento detentus, venire non poſſit; ſuper quo ; ſi opus fuerit, fidem faciat iuramento, & vni de Collegio vices ſuas committat *d. cap. 42. & cap. 46. de Electione in 6.* quod videndum eſt.] Quo caſu vnus & idem, habet duo ſuffragia; alterum proprio; alterum procuratorio nomine *cap. 53. hoc tit. & cap. 45. de appellatio.* Quin & aliquando ſuffragium vnius, pro duobus connumeratur: quod ius, qui Dignitates habent in Eccleſiis, ſibi vindicant, vt in *cap. 12. extra de Sententiâ & re iudic. & ibi* Panormitanus.

Præterea, omnes Electiones, poſtquam peractæ fuerunt, ab vno ex Collegio, non à ſingulis, totius Collegij nomine, publicari debent: *cap. 8. hoc tit. in* v1,

His

His ita præmiſſis, *Per Scrutinium* Electio hac formâ debet fieri. Omnibus præſentibus, qui debent, volunt, & poſſunt intereſſe commodè; aſſumuntur de Collegio tres fide digni, qui Scrutatores appellantur: quia ſecretè ſingulorum vota, & ſuffragia diligenter inquirunt, eáque in ſcripta redigunt. Ab huiuſmodi ſcrutatione & inueſtigatione diligenti, *Scrutinij* nomen huic formæ eligendi impoſitum eſt, quod etiam apud alios Autores inuenitur, *Gloſſar. vetus* ἔρευνα, *Scrutinatio*, & *Indagatio*, & ζήτησις, *quæſtio*, & *Scrutinium.* Vetus verſio Gallica, Scrutinium, *Encherchement*. Apuleius *lib.* 9. Scrutinium vocat exactam furti perquirendi formam, per lancem & licium. Sæpiùs verò Scrutinij nomen in iure Canonico vſurpatur Scrutinia Cathecumenorum, id eſt interrogationes, examinationes, & inſtructiones Cathecumenorum; quæ ſeptem numero fieri ſolebant in Quadrageſimâ, antequam Sabbatho ſancto baptizarentur, *Ordo Romanus ſub titulo: incipit Ordo vel denunciatio Scrutinij ad Electos*; Albinus Flaccus, * *de Diuinis Offi*. *tit. de Sabbatho ſancto*; Amalarius Fortunatus *lib.* 1. *de Eccleſiaſtic. Offic. cap.* 8. In *Canone* 1. *Diſt.* LXXV. fit mentio Scrutinij in Ordinationibus Epiſcoporum, cuius forma refertur in *Ordine Ro. pag.* 97. & *infra tit. de Scrutinio in ordine faciendo*.

De Electione per Scrutinium.

* Non Alcuinus.

Electionis autem per Scrutinium ſæpiùs fit mentio in *cap.* 50. 57. & 58. *hoc tit.* & in *capp.* 7. 8. 21. & 43. *eod. tit. in* VI.

Excepta itaque à Scrutatoribus ſigillatim, & ſecretè ſuffragia in ſcripta rediguntur: ſiue Scrutatores ſint de Collegio, ad quod tantùm ius eligendi regulariter pertinet *cap.* 1. *hoc tit.* ſiue non ſint. Ius enim eligendi poteſt aliis communicari, qui non ſunt de Collegio; vel ab ipſo Collegio, ita volente; vt de finitimis Epiſcopis ex Sidonio ſupra docuimus; vel ita ferente conſuetudine legitimè præſcriptâ; vel ex priuilegio, aut lege in fundatione Eccleſiæ dictâ, quâ hoc ius aliquando nominatim conceſſum Patronis, etiam Laïcis diximus *cap.* 47. & 50. *hoc tit. cap.* 8. *de Conſuetudine*, & *cap.* 3. *de cauſa poſſeſſionis & proprietatis*. In ſcripta autem debent redigi ſuffragia: tum vt commodiùs poſſint publicari, & recitari, & deinde Collationis tractatus inſtitui; tum vt fraudes vitentur.

Supra pag. 126.

Publicatio itaque Scrutinij, quæ & *Publicatio conſenſuum* vocatur, ſtatim facienda eſt, nullo extraneo actu interueniente *cap.* 38. & 48. Poſt publicationem Scrutinij, variare ampliùs non poſſunt Electores *cap. publicato* 58. *hoc tit.*

Publicationem enim ſequitur neceſſariò tractatus Collationis, & Electionis Proclamatio, de qua infra. Collationis tractatus, id eſt, Comparatio numeri ad numerum, zeli ad zelum, meriti ad meritum, quæ neceſſariò deſideratur *cap.* 42 46. 48. & 50. & *d. cap.* 58. *hoc tit.* In quo, *Publicato Scrutinio*, Rectè vetus verſio Gallica. *Apres que li encherchement des volontés eſt publié.* Is enim tantùm eligitur, in quem, vel omnes, vel maior, & ſanior pars Capituli conuenerit. Vtrumque ſi quidem coniunctim requiritur *dd. capp.* 42. 54. & 57. *hoc tit.* & *cap.* 1. *de his quæ fiunt à maiori parte Capituli*. Iterùm maior pars intelligitur, non comparatione numeri eorum, qui præſentes Elec-

Digitized by Google

tioni interfuerunt; ſed totius Capituli: verbi gratiâ, ſi Capitulum duodecim conſtet Canonicis; ſeptem maiorem partem conſtituunt *cap.* 33. *cap.* 48. *&* 50. *&* *cap.* 23. *hoc tit. in* VI.

Sanior autem intelligitur, duobus modis: vel conſilio; quando ab ea eligitur dignior: vel ratione Dignitatum & meritorum eligentium *cap.* 53. 54. *&* 57.

Poſt Collationis tractatum, eodem contextu Electio ſolemniter celebranda eſt; id eſt pronuncianda & publicanda, in communi, ab vno ex Collegio vice omnium, & coram omnibus. Nec enim differri, vel celari debet: nec ea omiſsâ, deportari, id eſt, ſublimari, vel in thronum, aut in chorum Electus introduci *capp.* 42. 48. *&* 55. *hoc tit. &* *cap.* 21. *in* VI.

Formula autem Electionis hæc eſt. Vnus ex Capitulo delectus, hæc verba pronunciat. *Ego talem nomine meo, atque Capituli eligo: Eligo*, inquam. Eâ enim in re, verbum ſingularis numeri, non pluralis deſideratur *cap.* 4. *de re Iudic. in* VI. Quæ tamen obſeruatio ſingularis numeri, ſcrupuloſior videtur. Nam vt aliàs docuimus, Ordinationes per verbum, *eligimus*, & Electionum Decreta in plurali numero concipiuntur. Huiuſmodi autem pronunciatio Electionis communis & generalis eſt, in omnibus Electionum formis, *dicto cap.* 21. *hoc tit. in* VI. vide Speculatorem *lib.* 4. *parte* 1. *tit. de Electione.*

De Electione per Compromiſſum.

SECVNDO, IN *dicto cap.* 42. Proponitur Eligendi forma, *per Compromiſſum.* Quia prona eſt hominum ad diſſentiendum natura, ne diutiùs Electio trahatur, aliquando Capitulum, vel Collegium, ſiue in Sæcularibus, ſiue in Regularibus Eccleſiis, virorum, vel fœminarum, transfert poteſtatem eligendi, in vnum, tres, vel plures, iuramento plerumque adſtrictos *cap.* 30. *hoc tit.* qui omnium vice eligant perſonam idoneam, & ſecundùm formam Concilij generalis, *capituli* 7. *hoc tit.* Quæ conditiones licèt non apponantur expreſsè in compromiſſo, ipſo iure ineſſe cenſentur; quia ſunt de ſubſtantiâ Electionis *capp.* 8. 30. *&* 52. *hoc tit.*

Non aliter autem Compromiſſarij conſtituuntur rectè; niſi ſingulis, qui ius Eligendi habent, vnanimiter conſentientibus: ita vt ſi vel vnus diſſentiat, compromiſſum non valeat.

A formâ verò compromiſſi recedere non licet: ſicut nec Arbitri, nec Procuratores formam compromiſſi, vel mandati, egredi poſſunt *capp.* 30. 32. *&* 52. *hoc tit. &* *cap.* 45. *conſtitutus infrà de Appellat.*

Maior autem pars Compromiſſariorum eligere poteſt: & intelligitur maior, numero; verbi gratia ſi in ſeptem compromiſſum ſit, quatuor ſufficiunt; nec ſicut in Scrutinio, maior pars intelligitur, relatione ad Capitulum facta. Præterea vnus ex Compromiſſariis, non tantùm poteſt eligi, ſed etiam eius vox numerum eligentium auget, vt in ſpecie *cap.* 33. iuncto *cap.* 52. quod locum non habet in Scrutinio. Vide Panormitanum in *dictum cap.* 33. *nu.* 5.

Compromitti autem poteſt etiam in eos, qui non ſunt de Capitulo; dummodo non ſint Laïci *capp.* 8. *&* 21. *hoc tit.* *&* 37. *eodem in* VI.

Quod ſi Compromiſſarij eligant indignum, ſcientes, vel ignoran-

tes, non nocet Compromittentibus; dummodo ipſi Electionem poſteà non comprobauerint, ſed ad eos eligendi Ius reuertitur, *dicto cap.* 37.

Compromiſſum autem huiuſmodi non poteſt reuocari, re non integrâ; id eſt poſtquam Compromiſſarij tractatum de eligendo habere cœperint; re verò integrâ poteſt *cap.* 30. *hoc tit.*

Porrò inſigne exemplum Electionis Eccleſiaſticæ, per Compromiſſum factæ reperies apud Sidonium *lib. 7. Epiſtola 9. Et in Collect. 1. cap.* 10. *eod. tit.* ibi: *Duo, qui omnium vice funguntur, & in cap. 36. hoc tit. in integra.*

Nec tantùm in Eccleſiaſticis Electionibus, ſed etiam in reliquis, maximè in difficillimis negotiis componendis, via Compromiſſi vſurpatur; vt exemplo inſigni in Electione Senatorum vrbis Romæ Innocentius III. comprobauit, ſicut in eius *Geſtis* pleniſſime continetur *pag.* 146. 147. vbi huiuſmodi Compromiſſarij Electores, *Mediani* vocantur.

De Electione per inſpirationem.

Svperest tertia Electionis forma, de qua in dicto *cap.* 42. ibi: *niſi forte quæ per inſpirationem, ſiue viâ Spiritus ſancti dicitur fieri.* Quamuis enim moris ſit, vt in omni Electione, & ante Electionem, Spiritus ſancti gratia inuocetur, *cap.* 14. *&* 18. *hoc tit. & cap.* 3. *de cauſa poſſeſſionis, & proprietatis*; quod nominatim cautum in Concilio Baſileenſi, *ſeſſione* 12. *& in Pragmaticâ tit. de Electione* §. *& cum humanæ*: ſpecialiter tamen dicitur illa Electio fieri *per Inſpirationem*; quando communiter, & ab omnibus concorditer, quaſi diuino ſpiritu afflatis, nullo diſcrepante, aliquis eligitur, abſque aliquo tractatu; ex quo nempe præſumi poſſit aliqua perſuaſio, vel ſuggeſtio, in gratiam eligendi. Rectè enim Panormitanus ait, generales exhortationes, ad Electionem boni Paſtoris, vel ſimiles, non excludi.

Hæ ſunt tres Eligendi formæ: quibus aliquando iuſtis de cauſis aliquid addit Pontifex *c.* 52. *& vlt. hoc tit.* Sicut & valdè notandum, quod additur ex Concilio Baſileenſi dictis locis; *vt Electionem ſolemnis inuocatio Spiritus ſancti præcedat; & iuramento Electores, vel etiam Compromiſſarij, aſtringantur*; cuius eo loco formula proponitur. Quod & confirmatur, *cap.* 30. *hoc tit. Et ita poſt participationem myſteriorum, accedant ad Electionem.* [Sicut etiam ſeruandum eſt, quod fuerit inductum ex Ordinum Inſtitutionibus, & Regulis à Pontificibus probatis.]

De vitiis Electionum.

Hi ſunt modi certi Electionum Iure cogniti, præter quos reliqui omnes rejiciuntur; potiſſimùm verò Clandeſtinæ Electiones reprobantur, *cap.* 42. §. *vlt. hoc tit.* In quo duo ſtatuuntur brevi verborum compendio; ne ab initio clam & furtiuè fiat Electio; deinde ne Electio rectè facta in occulto habeatur, ſed ſtatim publicetur.

Clandeſtina Electio vocanda, quæ celandi animo, furtiuè, λαθραίως, peragitur, per priuata conuenticula, occultas fraudes, & coniurationum ſecretas inſidias, *can.* 2. *Diſt.* xxxix. *importuno tempore, & loco.* Vetus verſio *clandeſtinas* reddit, *en Repoſtailles*: [& Rubricam, *de Clandeſtina deſponſatione*, vertit: *de l'Eſpoſaille fete en repoſt*:] quæ dictio explicatur in *Edicto* Philippi Pulchri *de Duellis*, *couvertement, & en repos, en trahiſon Repoſte*, λάθρα, ἢ ἐν παρέδυσει. Qualem fuiſſe Electionem Magni Atha-

naſij Alexandrini calumniabantur Arriani. [Philoſtorgius Anomœanus *lib.* 2. *num.* 11. *&* 12. & Nicephorus Calixtus *lib.* 8. *cap.* 44. quo loci ſecutus eſt Sozomenum *lib.* 2. *cap.* 16. quem vide.] Sed eum vniuerſum Concilium Epiſcoporum Patriarchatus Alexandrini egregiè defendit, in *Synodicâ*, ſcriptâ omnibus vbique Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopis. Habita verò fuit ea Synodus poſt Nicænam, & ante Concilium Sardicenſe, in quo omnium calculis abſolutus Athanaſius. Verba ipſa Synodicæ operæ pretium erit adſcribere. Continent enim perfectam Electionis legitimæ formam, & euidenter confirmant, quæ ſupra probauimus, etiam Populorum conſenſum, & ſuffragia in Electionibus, poſt Nicænum Concilium requiri. Inſerta eſt *Synodica* in *Apologia* 2. *Athanaſij de Fugâ*, οὕτως εἰσὶν ἀπρεπεῖς, ὡς καὶ τὴν κατάστασιν τῆς ἐπισκοπῆς αὐτοῦ, id eſt, Anathaſij, μέμφεσθαι. Et poſt pauca. Μετὰ γὰρ τὴν τελευτὴν, φασὶν, Ariani ſcilicet, Ἀλεξάνδρου τοῦ Ἐπισκόπου, ὀλίγων τινῶν Ἀθανασίου μνήμην ποιουμένων, ἓξ ἢ ἑπτὰ Ἐπισκόπους, λάθρα καὶ ἐν παραβύστῳ χειροτονοῦσιν αὐτόν. Ταῦτα ἔγραψαν καὶ βασιλεῦσιν, Ariani, οἱ μηδὲν ψευδὲς γράφειν παραιτούμενοι, ὅτι δὲ πᾶν τὸ πλῆθος, καὶ πᾶς ὁ λαὸς τῆς καθολικῆς Ἐκκλησίας, ὥσπερ ἐκ μιᾶς ψυχῆς καὶ σώματος συνεληλυθότες, ἐβόων, ἔκραζον, αὐτὸν Ἀθανάσιον Ἐπίσκοπον τῇ Ἐκκλησίᾳ. τοῦτο ηὔχοντο δημοσίᾳ τῷ Χριστῷ, καὶ τοῦτο ἡμᾶς ὥρκιζον ποιεῖν, ἐπὶ πλείστας ἡμέρας καὶ νύκτας, μήτε αὐτοὶ τῆς Ἐκκλησίας ἀφιστάμενοι, μήτε ἡμᾶς ἐπιτρέποντες ἀφίστασθαι, τούτου καὶ ἡμεῖς μάρτυρες, τούτου καὶ ἡ πόλις πᾶσα, καὶ ἡ ἐπαρχία. οὐδὲ μὲν ἐναντίον, ὡς ἔγραψαν ἐκεῖνοι, Ariani, κατ᾽ αὐτοῦ λέγοντες. πάντα δὲ τὰ βέλτιστα, σπουδαῖον, εὐλαβῆ, χριστιανὸν, ἕνα τῶν ἀσκητῶν, ἀληθῶς Ἐπίσκοπον ὀνομάζοντες. ὅτι δὲ οἱ πλείονες ἡμῶν αὐτὸν ἐχειροτόνησαν, ὑπὸ ταῖς πάντων ὄψεσι, καὶ βοαῖς, μάρτυρες πάλιν ἡμεῖς, nos Epiſcopi ſcilicet, in Synodo Alexandrinâ, ἀξιοπιστότεροι, τῶν ἀπόντων, καὶ ψευδομένων, οἱ χειροτονήσαντες. Ἀλλ᾽ ὅμως Εὐσέβιος τὴν κατάστασιν Ἀθανασίου μέμφεται, &c. Euſebius ſcilicet Nicomedienſis, ſignifer Arianorum. *Tom.* 1. *operum* Athanaſij, *pag.* 565. *editionis Commelin. & Pariſienſis vltima, pag.* 728.

Vide ſupra *pag.* 113. & 114. & *tractatu de tranſlat. ad cap.* 2. *de Elect. initio.*

Sicut autem conſtat, falsò obiectum Athanaſio vitium Clandeſtini; ita meritò & verè obiectum Maximo, qui [ab ijs, quos Petrus Alexandrinus, Timothæi Alexandrini deceſſor, Conſtantinopolim miſerat,] furtiuè conſecratus eſt in Conſtantinopolitanum Epiſcopum, aduerſus Gregorium Nazianzenum, adhuc ſedentem in eo Throno, ex ordinatione, & tranſlatione Meletij Antiocheni, de quâ dicemus *tit. de Tranſlatio. & de Renuntiat.* Inter vitia verò Ordinationis Maximi, *clandeſtini* vitium notauerunt hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Scriptores, Sozomenus *lib.* 7. *cap.* 9. ἀκυρώσαντες τῆς χειροτονίας, Ἐπίσκοπον Κωνσταντινουπόλεως καταστήσαντες, οἱ τότε ἐξ Αἰγύπτου συνεληλυθότες. Apertiſſimè Nicephorus Calliſtus loco valdè ſingulari. *lib.* 12. *cap.* XI. [fortè ex Gregorio Presbytero, Scriptore vitæ Gregorij Nazianzeni, qui idem ſcribit: imò & ex ipſo Nazianzeno, maximè in *verſibus de vita ſua pag.* 16.] ἐν παραβύστῳ, παρά τινι χοραύλου οἰκίᾳ, τοῦτον ἐ Κωνσταντίου τυμβῷ ἐχειροτόνει: quàm Conſecrationem clandeſtinam Concilij Conſtantinopol. Patres irritam & nullam declarauerunt, *can.* 4. Synodi Conſtantinop. cui pro commentario Sozomenus *loco citato*, Μάξιμον δὲ, μήτε γεγενῆσθαι, μήτε εἶναι Ἐπίσκοπον, &c. Irrita & inanis fuit Conſecratio Maximi, non tantùm quod Clandeſtina; nec enim ſufficeret: ſed præterea quia Maximus erat, vt rectè Teodoretus obſeruat, τῆς Ἀπολιναρίου τερθρίας ἀνάπλεως. *Hiſtoria Tripartita lib.* 9. *cap.* 13. Adde Gregorium ad-

huc in eadem ſede conſtitutum, necdum remotum, abdicantem, aut cedentem. Maximus tamen, cuius verſutos, & Ægyptio dignos mores, ad viuum Gregorius, ipſe à Maximo deceptus, expreſſit in *verſibus de vita ſua*; ijſdem dolis & artibus illuſit Ambroſio, & reliquis Epiſcopis, in Concilio Italiæ.

Publicè itaque in Eccleſiâ, vel loco conſueto, vocatis opportunè & commodè vocandis, liberè & non per impreſſionem, fieri debet Electio, tempore, [& loco condicto,] & opportuno, poſt exequias defuncti Epiſcopi, vel Prælati, ritè peractas, non antea, *cap. 36. hoc tit. can. 7. nullus Diſt.* LXXIX. Vnde tanquam valde ſingulare, in Procli Tranſlatione notatur, quod ſtatim poſt Maximiani mortem, tranſlatus eſt Conſtantinopolim: κειμένου τοῦ λειψάνου αὐτοῦ ἐν τῷ διακονικῷ: Maximiani corpore nondum ſepulturæ tradito. Quin & funus Maximiani curauit Proclus, ornatus inſignibus Patriarchalibus, vtilitate Eccleſiæ id exigente, Socrates *Hiſtor. Eccleſ. lib. 7. cap. 39. Hiſtoria Tripartita lib. 12. cap. 10. in fine.* Nicephorus Calliſtus *lib. 14. cap. 37. in fine, Catalogus Patriarcharum Conſtantinop. in Iure Orientali* Leunclavij, *pag. 298. & initio tractatus de Translationibus in eod. Iure Orient. pag. 293.* Plenius *in tit. ſeq.* de Procli tranſlatione. Addamus tantùm, & firmemus exemplo Procli ſententiam Gloſſæ, quæ ad *d. cap. 36. hoc tit.* non ideo irritam eſſe Electionem ex eo, quod nondum ſepulturæ tradito corpore defuncti Prælati, alius fuerit Electus: dummodo nihil aliud canonicum obſtet, & Electi perſona idonea ſit.

Poſt celebratam Electionem, ſecundùm aliquam ex legitimis formis; in Epiſcoporum, & Abbatum Electionibus, aſſenſus Regis, vel Patroni requirendus eſt; non autem ante factam, vel publicatam Electionem. Solemnis enim Electio, id eſt, completa & abſoluta, debet eis præſentari iure Decretalium, *cap. 14. 28. & 51. hoc tit.*

Itemque ipſius Electi conſenſus, poſt Electionem, non ante, exploratur *cap. 34. hoc tit.* ibi: *dummodo Electioni de ſe factæ conſentiat, & cap. 46. hoc tit.* Ex *cap.* verò *6. hoc tit in* VI. ſtatim præſentari debet Electio Electo, qui à tempore præſentationis, intra menſem, conſentire debet: alioquin iure ſuo cadit.

Per huiuſmodi autem mutuum conſenſum Eligentium, & Electi, quaſi coniugale vinculum ſpiritualiter contrahitur: & Electores ampliùs reſilire non poſſunt *cap. 21. & 22. hoc tit.* Nam inuitis Electoribus, poteſt Electus Confirmationem obtinere à Superiori: &, vt vulgò loquuntur Interpretes, ius habet ad rem.

Ante Confirmationem tamen, nec in ſpiritualibus, nec temporalibus, per ſe, vel per alium, quolibet colore, immiſcere ſe poteſt: alioquin iure ipſo, quod ei Electione quæſitum fuerat, priuatur. Excipiuntur Epiſcopi, & Abbates, extra Italiam conſtituti, qui vel immediatè pendent à S. Pontifice, vel ab ipſo Confirmationem obtinere tenentur: quibus ob diſtantiam locorum benignè permittitur, vt in ſpiritualibus & in temporalibus interim adminiſtrent *cap. 9. & 28.* iuncta *Antiqua. & cap. 44. §. Epiſcopi, hoc tit. & cap. 5. hoc tit. in* VI.

Electores autem, intra tres menſes eligere debent. Alioquin ius de-

uoluitur ad proximum ſuperiorem. *Nouella Inſt.* 123. ſex menſes concedebat Electoribus.

Electus autem, vt diximus, intra menſem conſentire debet; & intra tres menſes ſequentes confirmationem petere *can. poſtquam Diſt.* 1. *cap.* 41. *& vlt. hoc tit.* pleniùs *cap.* 6. *&* 16. *eodem tit. in* v1. Quibus ex locis conſtat, tempora ſupradicta à canonibus ſtatuta, non eſſe continua, ſed vtilia, nempe à die notitiæ currere; & præterea iuſto impedimento ceſſante, *cum ſcierint, potuerintque.* Alioquin deuoluitur ius ad Superiores ad ſupplendam negligentiam Prælatorum & Electorum.

Contra eos, qui indignos eligunt, vide S. Chryſoſtomū *lib.* 4. *de Sacerdotio cap.* 2.

Ex aliis etiam cauſis Ius deuoluitur ad proximè Superiorem: nempe propter dolum & malitiam Electorum, qui ſcientes indignum elegerint, vel illiteratum, vel turpem moribus, vel illegitimum, vel ætate minorem *cap.* 7. *&* 20. *hoc tit.* Quibus tamen caſibus ſi in eodem Serutinio & Electione maior pars Capituli indignum; minor dignum elegerit: minoris partis Electio præualet, & confirmabitur *capp.* 22. 23. *&* 53. *hoc tit.* nec illo caſu ad Superiorem ius eligendi deuoluitur.

Quod ſi omnes indignum eligant, ipſo iure pœnam canonis Electores incurrunt, citra ſententiam Iudicis, pœnâ ab ipſo canone latâ. Hoc enim ſignificant verba *cap.* 7. §. *penult. Eligendi tunc poteſtate priuatos*, & ibi Gloſſa: quod apertè explicauit poſtea Innocentius III. in *cap.* 20. *hoc tit. in integrâ Decretali*, ibi: *Electionem per ipſum canonem irritatam.* Hoc ampliùs: pœna ſuſpenſionis à beneficiis per triennium irrogatur *dicto cap.* 7.

Aliud dicendum, quoties in Electionis formis peccatum eſt; de quibus egimus. Tunc enim ſententiâ opus eſt, per quam priuentur Electores *dicto cap.* 42. ibi: *priuentur*, & *cap.* 50. *Cumana Eccleſia hoc tit.* Diligenter itaque ſeparanda ſunt Electionis vitia: ſi per dolum, verbi gratiâ, quando ſcientes indignos eligunt; vel per imperitiam; vel vtrùm in forma Electionis peccatum ſit. Quòd ſi per negligentiam non elegerint intra tempus; vel ſi dolus arguatur; ſtatim ius deuoluitur ad proximè Superiorem: ſi verò in forma eligendi tantùm, plerúmque redit ius eligendi ad Electores. Excipiendum tantùm, niſi ius Confirmationis, ad Sedem Apoſtolicam pertineat; velut in Exemptis, vel in illis Electionibus, quæ per appellationem, ad Sedem Apoſtolicam deducuntur. Tunc enim ius omne deuoluitur ad Summum Pontificem immediatè: qui aliquando ad Ordinarios Electores remittere ſolet; aliquando ipſe Prælatum conſtituit, *cap.* 16. *cupientes, hoc tit. in* v1. *& capp.* 20. 22. *&* 23. *& paſſim hoc tit.*

Quæ ſuprà explicauimus de Electionum variis formis, licèt ex verbis *cap.* 41. *&* 42. *hoc tit.* videantur pertinere tantùm ad Electiones Epiſcoporum, & aliorum Prælatorum, qui Cathedralibus Eccleſiis, vel Regularibus præſunt; æquitas tamen ſuadet, extendi debere ad reliquas inferiores Dignitates electiuas. Quod & *Concordata noſtra* ſignificare videntur *tit. de Electionibus in fine.* Itemque notandum, ex *initio dicti cap. quia propter*, per appellationis obtentum canonicas Electiones non poſſe impediri; & confirmatur *cap.* 18. *&* 19. *hoc tit.*

Vide *cap.* 5. §. 1. *vt lite non conteſtata & cap.* 6. *&* 7. *de Dolo & Contumacia.*

De Confirmatione Electionum.

CONSEQVENS EST, vt de *Confirmatione* Electionum dicamus. Electionum inquam. Nam in omnibus Electionum ſpeciebus neceſſaria eſt Confirmatio. Excipitur ſola Pontificis Romani: de quâ; itemque de Electione, & Confirmatione Epiſcoporum, Metropolitanorum, Abbatum, Priorum, & Abbatiſſarum; imò & ipſius Imperatoris, ſeparatim tractauimus. Addemus tantùm, quatuor elegantes Epiſtolas Sidonij *vltimam lib.* IV. 5. 8 *&* 9. *lib.* VII. Ex quibus, & ex *Collectis* à quodam Floro, qui ſub Ludouico Pio, [& eius filiis] vixit, *de Election: Epiſcoporum, & Metropolitanorum*, in *fine Operum* Agobardi, confirmantur ea, quæ diximus; nempe ab initio in Galliâ, Electionem Cleri, & Populi fuiſſe, quam Confirmatio, & Conſecratio ab Epiſcopis facienda ſequebatur.

Confirmatio autem omnis à proximè Superiore obtinenda eſt: niſi aliud vel Priuilegio, vel Conſuetudine obtineat; verbi gratiâ in Exemptis, quorum Confirmatio immediatè ad Summum Pontificem ſpectat. Quam vel perſonaliter, ſi fieri poſſit, aut ſaltem per idoneas perſonas, ad id ſpecialiter deſtinatas, petere tenentur *cap.* 44. §. 1. *hoc tit.* Ad Confirmationem potiſſimùm referenda ſunt *capp.* 3. iuncto *cap.* 13. *in* 1. *Collect. hoc tit.* 4. 7. 9 19. 20. 22. 28. iunctâ *antiquâ*, 35. 44. & 57. *hoc tit.* ex quibus colligitur, Confirmationem fieri, cauſæ cognitione diligenti habitâ. Et ſiue aliquis impugnet Electionem, ſiue non, ex officio confirmantis inquiſitio diligens inſtituitur, tam de Electionis proceſſu, & formâ, an canonica fuerit, & ſecundùm ea, quæ diximus, ſolemniter celebrata; quàm de perſona Electi potiſſimùm, an idonea ſit: in quâ quatuor præcipuè requiruntur, ætas legitima, morum honeſtas, litteratura ſufficiens, & vt de legitimo Matrimonio ſuſceptus ſit. Si Electio ritè peracta ſit & Perſona idonea, Superior non poteſt Confirmationem denegare *cap.* 3. *hoc tit.*

Per Confirmationem autem confertur libera adminiſtratio, tam in temporalibus, quàm in ſpiritualibus, exceptis his quæ ſunt ordinis: quæ per Conſecrationem accedunt. Ante Confirmationem omnis adminiſtratio interdicitur Electo. Excipiuntur tantùm Electi, qui extra Italiam conſtituti, Electionis ſuæ Confirmationem à Pontifice tenentur obtinere. His enim cum hac limitatione, *ſi concors facta fuerit Electio, nec vllus ſe opponat*, adminiſtratio diſpenſatiuè permittitur interim in ſpiritualibus & temporalibus, propter neceſſitates viduatarum Eccleſiarum, [cap. 44. de Electione,] *& vt citiùs Regalia recipiant*, vt nominatim additur, in *cap.* 28. *hoc tit. in Antiquâ.* Quæ verò ſint Regalia, dicemus, vbi *de Iure Regio in Electionibus.*

Obſeruandum verò in hoc articulo ſtatuendam differentiam inter Electum, & Poſtulatum. Poſtulatus, etiam extra Italiam, & antequam confirmationem obtinuerit; in ſpiritualibus, vel temporalibus miniſtrare non debet: alioqui Poſtulatio de ipſo facta, irrita declaratur; & Electores, ſi conſenſerint huiuſmodi adminiſtrationi, poteſtate eligendi priuantur: quæ ad reliquos, licèt pauciores deuoluitur, in eleganti ſpecie *cap.* 23. *hoc tit.* in qua concurrit Poſtulatio cum Translatione. Ratio differentiæ inter Electionem & Poſtulationem: quia Electio iuris eſt Ordinarij; Poſtulatio iure non nititur;

ſed ex mera gratiâ, & diſpenſatione Pontificis pendet. Itaque cum in admittendâ Poſtulatione Pontifex ius conferat potiùs, quàm antea datum confirmet; inconſulto Pontifice Poſtulatus non debet adminiſtrare.

Notandum autem in *d. cap.* 23. Poſtulationem Lupoldi, antea Vormacienſis Epiſcopi, à Canonicis Moguntinenſibus, tribus tantùm exceptis, fuiſſe factam, poſt mortem Conradi. Quam hac potiſſimùm ratione, ſupreſſa tamen à Raymundo, Innocentius III. reſcidit: quia fuerat facta, adiuuante, & præſente Philippo Duce Suauiæ, nuper electo in Regem Romanorum; cui infenſus erat Innocentius, quia partes Othonis tuebatur. Quod nec Gloſſa inficiatur, in verbo, *metuebant*, & pluribus docuimus, ad celebre *cap.* 34. *hoc tit.* Quare Suffridi Electionem, qui antea fuerat ſancti Petri Moguntinenſis Præpoſitus, comprobauit *hac Decretali*; licèt à tribus tantùm factam, qui metum & vim prætendebant, arrepta occaſione de præſentiâ Regis Romanorum. Quod nec Bernardus ignorauit, *loco citato*. Quare, vt initio *huius capituli* in Gloſsâ notatur ex *antiquâ*, qui per impreſſionem Laïcorum aliquem poſtularunt, ipſo iure priuati ſunt poteſtate eligendi, quæ ad paucieres, qui non conſenſerunt, deuoluitur. Tamen aduerſante Philippo, Siffridus, cuius Electionem Innocentius III. confirmat *hac Decretali*, nunquam potuit acquirere temporalium adminiſtrationem. Conradus Vrſpergenſis in *Philippo*, vbi de hac Decretali locutus, audacter ſubiicit. *Super Electione hac, fecit non iudicium, ſed iniuriam.* Prætereà in *integra Decretali*, quam *MS.* habemus ex *lib.* 5. *Regiſtri nu.* 14. notanda hæc verba. *Nobilem virum, Philippum Ducem Suauiæ moneatis, vt ſe prædicto Archiepiſcopo*, id eſt Siffrido, *non opponat, quominùs Moguntinam Eccleſiam, tam in ſpiritualibus, quàm in temporalibus, ſalubriter valeat gubernare*. Super eâdem re ſequuntur Epiſtolæ duæ, quarum altera Siffrido Electo ſcribitur; cui etiam ius Pallij concedit, quod deinde Romam profectus, ab ipſo Innocentio accepit. Multa ad hiſtoriam huius Decretalis pertinentia reperiuntur in *Chronice Monaſterij Hirſaugienſis ad annum* 1200. *pag.* 213. vbi à Guidone Cardinali Prænestino, tunc in Germania Legato, Siffridum in Sacerdotem, & Archiepiſcopum Moguntinum, ait fuiſſe Coloniæ ordinatum. Ex his omnibus explicanda verba ſubobſcura Decretalis noſtræ: *& ſi ei de vi, quam ipſe, & ſui metuebant, conſtaret.*

Appellatio verò, cuius fit mentio, interpoſita fuerat à Siffrido, & quibuſdam Canonicis, qui eum poſtea elegerunt. Forma autem appellationis huiuſmodi fuit, *ne ſine ipſo ac ſociis eius, Canonici Moguntiæ reſidentes, haberent in Electione proceſſum.* Nam dictus Siffridus, & eius ſocij, in oppidum Bingen, metu Philippi ſeceſſerant; & ibi Siffridum elegerant, poſt appellationem. Quâ non obſtante, iuſtas cauſas eligendi habuiſſe, propter vim ſcilicet maiorem, Innocentius probat.

Quod autem generaliter notat Gloſſa, ſi vtraque pars indignum eligat, ius deuolui ad Pontificem, non autem ad proximum Superiorem

perioren ; falſum eſſe ſupra diximus. In caſu tamen noſtræ Decretalis, ideo ad Pontificem immediatè ius deuoluitur ; quia nullus erat ſuperior Moguntinenſis Eccleſiæ, præter Romanum Pontificem. Eſt enim ſpecialis Eccleſiæ Romanæ filia : ita eam appellat Innocentius in *integrâ Decretali*; id eſt, immediatè pendet ab Eccleſiâ Romanâ, ab eo ſcilicet tempore, quo Bonifacius à Zachariâ Pontifice miſſus Apoſtolicus in Germaniam, fidem collapſam in illis partibus inſtaurauit, & primus illius Sedis Archiepiſcopus conſtitutus fuit. Quam poſtremam rationem in deciſione *capituli* Innocentius prætuliſſe videtur. Hoc enim poſito, quòd vtraque pars deliquiſſet, indignum eligendo ; Pontifex vtriuſque partis Electione neglectâ, potuit alium præficere. Itaque Siffridi Electionem, à paucioribus factam, aut quâ alia ratione vitioſam confirmando, proprio ſuo iure vſus eſt : id eſt, potiùs præfecit & conſtituit Archiepiſcopum, quàm confirmauit Electionem : quæ deciſionis ratio verior eſt.

Imò Magdeburgenſis Archiepiſcopus eſt ſuperior : ſed Eccleſia Moguntinenſis eſt exempta.

Notandum etiam quod dicitur in *dicto capitulo* eum, qui contra appellationem aliquid fecit, non poſſe aduerſario obiicere, ſi pariter delinquat *cap. 23. de appellation.*

Itémque quod dicitur, *vbi quid notorium publicum, & manifeſtum occurrerit*, nec teſtibus eſſe opus, nec accuſatore, nec vocatione partis ; imò nec appellationis, nec recuſationis obſtare obſtaculum : præſertim in criminibus *exceſſus notorius examinatione non indiget* : confirmatur *cap. 13. 14. 24. & 25. infra de appellationibus.* Ad maiorem tamen cautelam, tutius eſt ſeruare iuris ordinem. Nam vt prudenter ait Alexander III. in *dicto capitulo 14. cum multa dicantur notoria, quæ non ſunt ; prouidere debes, ne quod dubium eſt, pro notorio videaris habere.* Quot autem modis dicatur quid notorium, vide *cap. 8. & vlt. de cohabitatione mulierum* : vbi Publicum, vel Notorium ex rumore publico, ex famâ, reiicitur, quam etiam inter cœca teſtimonia Rhetores locant. Iunge *Pragmaticam tit. de Publicis concubinariis §. Publici autem, & notas*, [& Ioc. Fabrum in *Præfationem Inſtitutionum.*]

Verum vt abſoluamus, diximus in Confirmatione cauſæ cognitionem neceſſariam eſſe ; item qui confirmat, poteſtatem confirmandi habere, & iuris ſolennitates obſeruare debere : alioqui Confirmatio declaratur irrita : rata tamen manente Electione, ſi canonicè facta fuerit ; cuius à proximo Superiori, petenda erit Confirmatio, *capp. 10. 39. 44. §. verum, & cap. vlt. hoc tit. in VI.*

De Conſecratione & Benedictione.

CONFIRMATIONEM ſequitur Conſecratio, ſiue Benedictio. Nam vt ſuprà diximus [*pag. 124.* vbi *de Electione ſummi Pontificis,*] ex Innocentio III. ſpirituale coniugium, quod eſt inter Epiſcopum & Eccleſiam, initiatum dicitur in Electione, ratum in Confirmatione, conſummatum in Conſecratione.

Sæpiſſimè verò, ad quos Confirmatio Electionis pertinet ad eos etiam pertinet Conſecratio : quo caſu ſtatim poſt Confirmationem, celebrari ſecratio.

Si ad alium pertineat Confirmatio, ad alium Conſecratio ; non

temerè tamen, & abſque cauſæ cognitione, Conſecratio debet perfici, *dicto cap. vlt. de Electionibus in* VI.

Ad Conſecrationem autem pertinent *capp. 7. initio, 15. 28. §. 1. & 44. in fine hoc tit. cap. 4. eodem tit. in 1. Collect. cap. 7. de temporibus Ordinationum, cap. vnicum de ſacra Vnctione*; quibus iunge *can. 1. Diſt.* LXIV. *can. 1. & 2. Diſt.* LXXV. *& can. 1. Diſt.* C.

Ex his locis conficitur, Conſecrationes Epiſcoporum, poſt tres menſes, à Confirmatione numerandos, fieri debere, Anſelmus Cantuar. *lib. 3. Epiſtola 149.* Non tamen, ſicut in Ordinationibus Clericorum, certa tempora ſunt præfinita, [in quibus tantùm peragi debeant Conſecrationes Epiſcoporum.]

Peraguntur verò à Metropolitano, aut ſaltem eius mandato, omnibus Comprouincialibus Epiſcopis conuocatis, vel ſaltem tribus præſentibus, & reliquis conſentientibus in ſcriptis [*can. 4. & 6.* Conc. Niceni, de quibus ſupra, vbi *de Electionibus Epiſcoporum §. quod ad Nicanos*, & infra *tit. de Tranſlatione ad cap. 2. de Electione initio*. Nec verò Suffraganei debent à Metropolitano contemni; aliis Epiſcopis vocatis, Fulbertus *epiſt.* 28. 31. *&* 81. ad quarum intellectum adde quæ habentur *tomo 4. Hiſtoria Francorum pag. 387. in fine, 440. & 446.* Ex quibus locis conſtat, Senonenſis Metropoleos primum ſuffraganeum olim fuiſſe Carnotenſem Epiſcopum, eumque abſente Metropolitano, vel ſede vacante, Metropolitani vices geſſiſſe; ſicut eas Auguſtodunenſis Epiſcopus gerit, Lugdunenſi Sede vacante.]

Quin & aliquando, vt ſolemnior actus foret, finitimi Epiſcopi inuitabantur *d. can. 4. & 6.* Concilij Nicæni: quos Latini omnes de Conſecratione accipiunt; quamuis quidam ex Græcis, eos ad Electionem referant.

Quod ſi nulli, vel pauciores Epiſcopi in eâ Prouinciâ ſuperſint, vbi ordinandus eſt Epiſcopus, finitimi vocantur, *can. 5.* Concilij Sardicenſis, *πλησιόχωροι*: ex quo *canon vlt. Diſt.* LXV. & ad eum Romani Correctores. In Concilij Conſtantinopolitani I. *Synodicâ in fine, ὅμοροι.* Confirmatur præterea eleganti *Epiſtolâ* Sidonij *5. lib. 7. & canonibus 19.* Antiocheni, 12. Laodiceni, & Carthaginenſis II. *in vulgatis, cano. 12.* Ferrandus Diaconus Carthaginenſis *num. 4. 5. & 6.*

Porrò hæc Ferrandi verba notanda, *cum confirmatione Metropolitani, vel Primatis.* Loquitur ſecundùm conſuetudinem Eccleſiæ ſuæ, id eſt, Africanæ: in quâ Epiſcopus ordinatione antiquior, in ſingulis Prouinciis Metropolitani vice fungebatur, & appellabatur Primas, & primæ Sedis Epiſcopus, vel ſenex; idémque erat, qui in aliis Conciliis, atque Scriptoribus Metropolitanus dicitur. Ex quibus notandum, in *Epiſtola 4.* Syricii ſcriptâ, *Epiſcopis per Africam conſtitutis*, hæc verba eſſe interpolata, *vt extra conſcientiam Sedis Apoſtolicæ, hoc eſt Primatis*: legendum, *extra conſcientiam Primatis.* Nempe vſus eſt Pontifex Primatis verbo vſitato Africanis. Ferrandus loco citato, obſcuritatis vitandæ cauſa, addidit, *Metropolitani, vel Primatis*; eoſque comparat: imò citat *Epi-*

ſtolam dictam Syricij, *ex Concilio Cellenſi, vel Zellenſi.* Scilicet in illo Concilio Africæ, ſuſcepta eſt *dicta Epiſtola* Syricij, & comprobata; & quæ in ea decreta erant, inter canones dictæ Synodi relata fuiſſe omnia, probari poteſt ex Ferrando. Nec enim rectè inter ſuppoſitias Epiſtolas Summorum Pontificum nuper inſerta fuit. Quinimò Innocentius I. qui quatuor annis tantùm poſt Syricium vixit, in *Epiſtola ad Victricium Rothomagenſem cap.* 1. ait ſimpliciter, *extra conſcientiam Metropolitani:* quod & Concilio Arelatenſi II. tempore [Leonis Magni circa *an.* 452.] habito *can.* 5. *&* 6. continetur: [qui Leo editos à Conciliis, Vaſione *anno* Chriſti 442. & Arauſicæ *anno* 447. congregatis, Canones ſanciuit.] Eoque ſenſu vox Primatis accipienda eſt in *can.* 5. *Diſt.* LXV. qui ſumptus eſt *ex can* 12. Concilij Carthaginenſis II. ſub ipſius Syricij Pontificatu habiti: quo loco Gratianus, propter vſum vulgarem, deceptus eſt. Primatem enim alium eſſe ibi putat à Metropolitano; nempe pro eo, qui in plures Metropolitanos habet autoritatem. Ita enim ſummam conficit *can.* 4. *&* 5. *Diſt.* LXV *Abſque Primatis conſenſu Metropolitanus Epiſcopum non ordinet.* In *inſcriptione Diſtinctionis* dixerat, *conſentiente Primate.* Quamuis in illa *Diſtinctione* vnicus *can.* 4. ſententiam Gratiani iuuare videatur; reliqui omnes impugnant. Sed *dictus can.* 4. ad Conſuetudinem & Priuilegium Eccleſiæ Romanæ pertinet, cuius vices Theſſalonicenſis Epiſcopus, ad quem ſcribit Leo Papa *dicto canone* ratione ſuæ Eccleſiæ gerebat: vt ex pluribus eiuſdem Leonis *Epiſtolis*, & aliis locis conſtat.

Certum itaque maneat, in Epiſcopis conſtituendis, Metropolitani præcipuam eſſe autoritatem, & irritas eſſe Epiſcoporum Ordinationes, quæ abſque eius conſenſu, & à paucioribus, quàm tribus Epiſcopis fiunt.

Excipit Ferrandus *num.* 6. Eccleſiam Romanam: quod ex *dictâ Epiſtola* Syricij probat, & ex Ferrando ſupplendum. Nihil enim tale, in *ea Epiſtola* reperitur. Confirmatur tamen ex *Ordine Rom.* vbi ab vno Oſtienſi Epiſcopo conſecrari Pontifex dicitur. Irrita eſt reliquorum Conſecratio ab vno, vel duobus Epiſcopis facta: nec valet conſuetudo contraria contra canones, quos ſupra retulimus. Quam in rem notatu digna Anſelmi Cantuarienſis *Epiſtola* 147. *lib.* 3. in quâ reprobatur Hiberniæ conſuetudo, quâ Epiſcopi, ſine certo loco conſtituebantur; & ab vno Epiſcopo, ſicut quilibet Preſbyter, ordinabantur. [Vide *Topographiam Hiberniæ* Sylveſtri Giraldi *parte* 3. *deſcriptionis Hiberniæ cap.* 17.

Et hic nota ex *cap.* 7. *de Dolo & Contumaciâ*, & ex Vrbani *Epiſtolis*, inſertis initio *Epiſtolarum* Iuonis, in prouincia & in partibus peragendam Conſecrationem, non Romæ. Itemque aduerte priuilegium Carthaginenſis Eccleſiæ, & Anglicanæ in Orchadas Inſulas, Scotiam & Hiberniam, ex *notis ad epiſt.* Anſelmi 149. *lib.* 3. & ex iis, quæ ad 8. Iuonis *epiſt.* notauit Doctiſ. Iuretus. Ex quibus conſtat non paſſim hanc poteſtatem ſibi vindicare debere Romanos Pontifices.]

Conſecrationis autem formæ & ceremoniæ variæ ſunt, pro Con-

ſuetudine locorum : neceſſariò tamen deſideratur manus Impoſitio, & Vnctio *tit. de ſacrâ Vnctione infra.* [De Impoſitione manus, vide Ignatij Antiocheni *Homiliam de Laudibus tomo* 1. *edit. Pariſ. pag.* 500. *initio*, & Doctiſ. Habertum *ad Pontificale Eccleſiæ Græcæ*]

De variis ſolemnibus, quæ Conſecrationem antecedunt, vel ſequuntur, videndus *Ordo Romanus, & Autores rituum ſimul editi*; qui & Gallicanæ Eccleſiæ formam in Conſecrando referunt. Obſeruatione dignum, non tantùm manus Ordinatorum, ſed etiam Codicem ſacrum Euangeliorum, capiti Conſecrandi Epiſcopi imponi, Palladius in *Dialogo de vita Chryſoſt. cap.* 15. [Quòd ideò fit, vt intelligat Epiſcopus ſe, licet aliis imperet, Euangelio ſubeſſe, vt ait S Chryſoſtomus *Sermone de vno Legiſlatore, tomo* 6. *editio. Pariſ. pag* 10. & ibi Fronto Ducæus in *notis.* Librum quoque Canonum, & Regulam Paſtoralem Gregorij Conſecrandis Epiſcopis à Metropolitano tradi conſueuiſſe notat Hincmarus in *Præfatione Operis* LV. *Capitulorum pag.* 4. *&* 5. editionis in 4.]

Imò altorius, vt Blondellus ſentit. Adnotandum etiam locum corruptum Albini Flacci, in *cap. qualiter Epiſcopus ordinetur in Romana Eccleſia*, ita reſtituendum: *Tunc Pontifex iubet inquiri eum, de quatuor Capitulis canonicis; hoc eſt Arſenoquita, pro ancilla Deo ſacrata, pro quadrupedibus, aut ſi coniugem habuit ex alio viro, quod Græcè dicitur* δευτερογαμία. Quæ quatuor capitula rectè vocat canonica; id eſt ex antiquis canonibus deſumpta. Verba ſatis indicant, à Græcis petita: quorum hic eſt ſenſus. Interrogatur, vtrum ἀρσενοκοῖται; maſculis; aut ὁμονυμίοις beſtiis, aut ſanctimoniali, ſe commiſcuerit; vel viduam duxerit. Ad veterem illum morem alludit Bonifacius Martyr, primus Archiepiſcopus Moguntinus in *Epiſtola* 19. *ad Ethibaldum Regem Merciorum in Anglia. Apud Græcos & Romanos, quaſi blaſphemiam Domino irrogaſſet, qui hoc reus ſit; vt propriè de hoc peccato, ante Ordinationem interrogatus, ſi reus inuentus fuerit, vt cum velata & conſecrata Domino Nonnâ concubuiſſet, ab omni gradu Dei Sacerdotij prohibetur.* Deinde ſubiicit, *diuino myſterio alteris abiicit*, illud ſcilicet peccatum; *ſicut* & alia tria ſupra memorata, *licèt ante peracta pœnitentia, reconciliatus ſit Deo.* Quare ſuper illis quatuor capitulis Conſecrandus purgare ſe iuramento tenebatur, nunquam fuiſſe inquinatum. Nec enim, vt ait Bonifacius, pœnituiſſe ſufficit. Maior integritas in Epiſcopo deſideratur. Albinus Flaccus *loco citato. Etſi de his inculpabilis inuentus fuerit, iurat Archidiacono ſuper quatuor Euangelia; deinde confirmat ſuper corpus B. Petri, de his inculpabilem ſe fore.* Partem *Epiſtolæ* Bonifacij Iuo retulit *parte VII. cap.* 129. *in Decreto.*

Conſecrationis autem effectus hic eſt; vt conſequatur per eam Epiſcopus ea, quæ maioris inquiſitionis diſcuſſionem exigunt, quæ vulgò dicuntur eſſe Ordinis; poſſit Clericos ordinare, Sanctimoniales velare, Benedicere Abbates, vel Abbatiſſas, Eccleſias, vel altaria dedicare, conficere Chriſma, & alia quæ notantur *capp.* 15. *&* 28. §. 1. *hoc tit. & can quamuis Diſt.* LXVIII. Quæ omnia tamen denegantur Archiepiſcopo ante Pallij poſtulationem, & impetrationem, *dicto* §. 1. quamuis ei concedatur, conſecrandi Epiſcopi nu-

nus demandare Suffraganeis. Huiuſmodi quippe mandatum eſt Iuriſdictionis, quam habet poſt Confirmationem: ſed & Conſecrationem ſimul *cap.* 11. *hoc tit.* vbi rectè Gloſſa Conſecrationem Archiepiſcopi deſiderat. Nam ante Conſecrationem non haberet poteſtatem huiuſmodi, vt in eleganti *Epiſtola* Anſelmi Cantuarienſis, ſcriptâ *Thomæ Electo Eboracenſi Archiepiſcopo lib. 3. Epiſt.* 149. *quia non pertinet ad eum, dare, vel concedere alicui curam animarum, quam nondum accepit. Accipit enim per Conſecrationem.*

De Benedictione verò Abbatum, quæ multùm differt à Conſecratione Epiſcoporum, ſupra diximus, [vbi *de Abbatum Electionibus.*] Quibus addimus *Epiſtolas* 41. 73. & 78. Iuonis Carnotenſis, ex quibus colligitur, *in huiuſmodi benedictionibus Abbatum, non fieri manus Impoſitionem; ſed ſimplicem orationem; & ea accepta, vel non accepta, debetur à fratribus Abbati obedientia: nec enim promotionem Abbatis facit Epiſcopalis Benedictio; ſed potiùs fratrum communis Electio.* Quare in illis *Epiſto'is* etiam excommunicati Epiſcopi Benedictio non improbatur, cum eius omiſſio non noceat.

Quin & ante Benedictionem, Epiſcopus ab Abbate Profeſſionem obedientiæ exigere poteſt.

Sumptus verò, & expenſæ, quæ neceſſariò faciendæ ſunt; vt præficiatur Prælatus vacanti Eccleſiæ, vel Monaſterio: non ex defuncti Prælati bonis, ſed ipſius Eccleſiæ viduatæ reditibus ſoluuntur: nempe quia Eccleſiæ ipſius negotium vtiliter geritur *cap.* 45. *hoc tit.*

De Conſuetudinis & Priuilegiorum poteſtate in Electionibus, Confirmationibus, Conſecrationibus, vel Benedictionibus.

HACTENVS DE ELECTIONVM variis ſpeciebus, Confirmatione, & Conſecratione tractauimus, ſecundùm Iuris Canonici veteris, & noui regulas. Supereſt, quia in ſingulis articulis & partibus huius Tractatus, ſæpiùs fit mentio *Conſuetudinis, & Priuilegiorum*; vt quædam ſubiiciamus breuiter de vtriſque. Statim in ipſo Concilio Nicæno *canone 6.* Patriarchalium Sedium Conſuetudines, & iura, ſeu prærogatiuæ, in conſtituendis Epiſcopis ab antiquo receptæ, τὰ πρεσβεῖα, τὰ ἀρχαῖα ἔθη confirmantur: cui adde *can.* 2 Conſtantinopolitani I. & *Synodicam*, eiuſdem Concilij *in fine, can. vlt.* Epheſini Concilij, de Epiſcopis Cypri; iunctâ *Epiſtola* Innocentij I. *ad Alexandrum Antiochenum* in *Cod. Canonum Eccleſiæ Roma. cap.* 45. & 46. & *can. pen.* Concilij Chalcedonenſis: quibus tam iura Patriarchalium Sedium, quàm Exarchorum, qui locum obtinent eorum, quos Primates vocamus, in conſtituendis & ordinandis Epiſcopis, & regimine ſuarum Diœceſium, conſtituuntur: quorum prolixior explicatio eſt petenda ex doctiſſimis *Commentariis*, qui nuper de *Suburbicariis* ſunt editi.

Ex eodem fonte, id eſt Conſuetudine antiquâ fluxit, vt non quidem contra, ſed præter ius commune, Primates in Occidente obedientiam, vel Conſecrationem, aut vtrumque ſimul; imò & aliquando Electionem Metropolitanorum ſibi vindicarint: verbi gratiâ, in Galliâ Lugdunenſis Primas; de quo præter cæteros, Iuo Carnotenſis, *Epiſtol.* 50. 60 65. & 217. In Anglia, Cantuarienſis; quam in rem extant Anſelmi Cantuarienſis *Epiſtolæ* 149. 152. 153. & 155. *lib. 3.* Eadmerus *hiſtoria Nouor. lib.* 4. *ſub finem, pag.* 102. & *ſeq. in Henrico I.*

Vide ſupra, vbi *de Metropolitanorum Electionibus in pr.*

T iii

& iterùm pleniſſimè *pag.* 126. 127. *& ſeq.* Ex quibus colligitur, non ſine controuerſia, Eboracenſium Cantuarienſes obtinuiſſe Primatum: quem deinde ſemper retinuiſſe, doctiſſimè probat Matthæus Parkerus in 1. *parte Antiquitatum Britannicæ Eccleſiæ, & in vitâ Richardi initio.* Ex quibus conſtat, Iura Primatus, partim ex antiquitate Ciuitatum, aut Eccleſiarum; partim verò ex ſpecialibus Priuilegiis Pontificum, & Regum, vel Conſuetudinibus antiquis, fuiſſe conſtituta. Specialibus etiam Priuilegiis plurimæ in Occidente Eccleſiæ Cathedrales exemptæ ſunt à Metropolitanis. Quod quidem, non ſimpliciter Iuri Patriarchico, ſed potiùs plenitudini poteſtatis, quam in omnes Eccleſias Pontifex exercet, attribuendum eſt. Adhibendus eſt tamen conſenſus Imperatorum, & Regum, ſine quibus hæc omnia fieri non debent.

Vt redeamus ad autoritatem Conſuetudinis antiquæ in Electionibus: intereſſe poſſunt Electioni, vel eligi, qui iure communi excluduntur, ſi conſuetudo ita ferat; verbi gratiâ, qui non ſunt de Capitulo, vel Collegio *cap* 8. *de Conſuetudine*: itemque in eligendo Metropolitano, Suffraganeis excluſis, quibus Iure Communi competit Electio *cap.* 9. *&* 10. *hoc tit. in* 1. *Collectione*, Cathedralis Eccleſiæ Capitulo tantùm ius eligendi competere poteſt *cap.* 4. *&* 5. *ſupra de Poſtulatione*, *& cap.* 13. *hoc tit.* quod tamen ius Comprouinciales Epiſcopos ægrè ſibi tulerunt adimi. In eam rem notatu digna controuerſia, inter Epiſcopos Comprouinciales Cantuarienſis Epiſcopatus, & Priorem & Monachos ſancti Auguſtini Cantuarienſis: quibus tandem, remotis Suffraganeis, causâ cognitâ, Pontifices attribuerunt ius eligendi. Vnde frequentes rixæ in Angliâ. Vide Petrum Bleſenſem, *Epiſt.* 27. Matthæum Paris *pag.* 205. *&* 206. qui & *Reſcriptum* Innocentij III. inſerit. Sententiæ huius rationem Innocentius III. Priuilegio ſpeciali à Pontificibus conceſſo, & Conſuetudini tribuit, Matthæus Paris *pag.* 206. 207. *&* 213. *fine*, & ex *Mattheo* Florilegus *ad annum* 1206. Lis grauiùs renouata eſt, poſt mortem Huberti Cantuarienſis Archiepiſcopi, in Electione Stephani de Langueton, de quâ vide *Geſta* Innocentij III. *pag.* 240. *&* Parkerum in *vita Balduini pag.* 140. *&* 141.

In pleriſque aliis *Capitulis huius tit.* Conſuetudinum frequens mentio; quarum aliæ probantur, quæ nempe addunt aliquid Canonibus & Iuri communi, nec obuiant Canonibus *cap.* 28. 14. 24. *&* 31. aliæ reprobantur, nempe vel vtilitati Eccleſiaſticæ, vel Canonibus contrariæ *cap.* 18. 34 47. 56. *hoc tit. & cap.* 7. *&* 8. *de Conſuetudine.*

Priuilegia etiam ſpecialia quædam à Pontifice Romano, contra ius commune Electionum conceſſa ſunt, vt ſupra diximus; quæ pendent à plenitudine poteſtatis: quâ etiam autoritate derogant Conciliis. Atque ita, mixto iure, Electiones celebrantur: non tantùm iure communi; ſed etiam conſuetudine, vel priuilegiis.

Quin & aliquando concurrunt ius commune, & Conſuetudo: itémque Priuilegium, & Conſuetudo *cap.* 10. *&* 27. iuncta *antiqua*, *& cap.* 34. *hoc tit.* Conſuetudo debet eſſe legitimè præſcripta, nec obuiare canonibus. Contra, Priuilegia ſæpè derogant iuri communi;

nituntur gratiâ, & autoritate concedentis; qui, ſicut dicitur diſpenſare contra canones *cap.* 4. *&* 22. *hoc tit.* ita & priuilegia, contra ius, indulgere ſolet.

Sicut autem eiuſmodi derogationes, præſertim quæ ad ſtatum publicum Eccleſiæ pertinent, qui potiſſimùm in Prælatorum Electionibus conſiſtit, non admittit Gallia, vt ſuprà diximus; ita nec priuilegia, niſi Regiâ autoritate, cauſâ cognitâ, probata fuerint, & confirmata.

Notanda verò conſuetudo, de qua in *cap.* 31. *hoc tit.* quâ nempe Canonicorum Electio pertinet ad Capitulum ſolum, irrequiſito Epiſcopo. Nam de iure communi, coniunctim pertinet ad Epiſcopum, & Capitulum. Vide Gloſſam *ibidem*. His, quæ de poteſtate Conſuetudinis in Electionibus diximus, adde *lib.* 15. *Regiſtri* Innoc. III. *Epiſtol.* 115. 153. 154. 155.

SEQVITVR, vt de Iure Regio tractemus, in Prælatorum Electionibus, Poſtulationibus, Tranſlationibus: itemque in Epiſcopis, Metropolitanis, vel Primatibus inſtituendis. Conquenter aliquid de Inueſtituris, & Regalibus addemus, quæ cohærent Electionibus. De his enim frequens occurrit mentio in hoc tractatu, tam in Decretis, quàm in Decretalibus.

De Iure Regio in Electionibus, Poſtulationibus, & Tranſlationibus.

POSTREMA quidem Concilia & Decretales concedunt tantùm Regibus aſſenſum Electioni iam factæ, non autem faciendæ. Sed pugnat cum iure communi veteri, quod multi Reges, imprimis noſtri, perpetuò retinuerunt; iure nouo Decretalium neglecto. Ad hunc tractatum pertinent *capp.* 10. *hoc tit.* iuncta *antiqua*, 14. 18. *in fine*, 20. 23. 28. 32. adhibitis ſemper *antiquis Decretalibus*, *&* 43. *hoc tit.* quibus iunge *cap.* 5. *eodem tit. in Collectione* 1. *capp.* 12. *&* 4. *de Poſtulatione ſupra*, *& cap.* 7. *de Dolo & Contumacia*: itemque *Diſtinct.* LXII. *&* LXIII. in qua notandus *canon* 25. *ex* Concilio Toletano XII. *can.* 6.

Vide ſupra *tit. de Poſtulatione in pr.* & hoc tit. vbi *de Abbatum Electionibus* §. *quod autem regulariter & ſeqq.*

Ex his conſtat in Imperio, tam Occidentali, quàm Orientali, in Galliâ, Angliâ, Hiberniâ, Siciliâ, & Hiſpaniâ, maximam Imperatorum, & Regum. in conſtituendis Epiſcopis poteſtatem fuiſſe: nec poſt factam demùm Electionem, nudo illo aſſenſu fuiſſe contentos, quem eis recentiora Concila, & Decretales relinquunt; quæ nunquam obtinuerunt in Galliâ. Nec in Angliâ quidem, ab eo ſaltem tempore, quo Guillelmus primus, ſtatu regni immutato, Gallicanas Leges & Iura intulit in Angliam, vt infra dicemus.

De Angliâ vide *d.* §. *quod autem regulariter*, & infra vbi *de Regis Angliæ Iure in Electionibus.*

Idem in Hungariâ probat *cap.* 4. *de Poſtulatione*, & ipſius Hungariæ Regis *Epiſtola ad Alexandrum III.* quæ extat inter *acta* Alexandri III. nuper edita *in fine Narrationis Concordiæ, inter Alexandrum III. & Fridericum I. pag.* 195. *&* 196.

Idem de Poloniâ, in *Epiſtola* 89. *libri* 14. *Regiſtri* Innocentij III. De Daniâ, in Tranſlatione Abſalonis in Lundenſem Archiepiſcopum: de quâ vide Saxonem Grammaticum *lib.* 13 *ſub finem*. Quibus ex locis colligitur, aſſenſum Electioni iam factæ Pontifices tantùm conceſſiſſe; ante factam Electionem denegaſſe. Adde *cap.* 14. *hoc tit. Epiſtolas* 202. *&* 204. *lib.* 15. *Regiſtri* Innocentij, quæ ad Regnum Cypri pertinent; in

quo obtinebat contraria Conſuetudo. Nempe Regis conſenſus præceſſerat Electionem.

Pertinet ad 2. ſtirpem Regum noſtrorum.

Eodem iure ſemper vſa eſt Gallia: vt non tantùm Electionibus factis Reges noſtri aſſenſum accommodarent; ſed etiam ante ab eis eligendi facultas impetraretur. Agnouit Nicolaus I. *Epiſt. 66.* Quin & ſæpiùs offerebant è Palatio Clericos, qui ſi digni forent, ſtatim poſt examinationem Metropolitani conſecrabantur, Concilium Valentinum *can.* 7. [*tomo 3. Conciliorum Galliæ. Sed & ſi à ſeruitio pij Principis noſtri aliquis Electorum venerit, vt alicui Ciuitati proponatur Epiſcopus, timore caſto ſollicitè examinetur, primùm cuius vita ſit, deinde cuius ſcientia: & vigore Eccleſiaſtico ſub oculis omnipotentis Dei agat Metropolitanus in hac parte, Epiſcopis ſicut Dei Miniſtris adiutorium ferentibus, ne maculata vita, & pompis ſæculi turbidus, & ſimoniaca hæreſi pollutus, humilibus & mundis membris Chriſti, Eccleſiaque ipſius ſuperponatur.* Et Clotarij II. *Edictum tomo 1. Concil. Galliæ. Ita vt Epiſcopo decedente, in loco ipſius, qui à Metropolitano ordinari debet, cum Prouincialibus à Clero & populo eligatur: & ſi perſona condigna fuerit, per Ordinationem Principis ordinetur: vel certe ſi de palatio eligitur, per meritum perſonæ, & doctrinæ ordinetur.*] Quâ de re accuratè diſſeruit doctiſſimus Sirmondus in *fine tomi* 2. Conciliorum Galliæ: adiunge *Tomum 2 de Priuilegiis Eccleſiæ Gallicanæ tit. 15.*

ADDAMVS pauca: Primùm ex Floro, qui ſub Ludouico Pio, [& eius filiis floruit,] in *fine operum* Agobardi; quamdiu Romanis Gallia paruit, Clero & Populo Electiones permiſſas. [Sed & requiſitus conſenſus Magiſtratus ex electione Germani, & *formula* Marculphi colligitur, de quibus ſupra *pag.* 103. *in fine & ſeq. nota 1.*] Poſtea, ſub Regibus ſtirpis primæ, ſæpius ſola autoritate Regum, & electi, & conſtituti fuerunt Epiſcopi. Inter *Epiſtolas* Bonifacij, notanda eſt *Epiſtola 92. & tomo* 1. Conciliorum Galliæ, Concilium Leptinenſe *pag.* 537. *can.* 1. [quem vide], Concilium Sueſſionenſe *can.* 3. *pag.* 344. iungendus Autor *vitæ Bonifacij Martyris cap.* 7. 8 9. 10. Bonifacij Moguntini *Epiſt.* 97. Quibus locis conſtat ſub [tribus poſtremis Regibus Merouingiis,] Maiores domus conſenſum ſuum, vice Regiâ, in Electionibus Epiſcoporum præbuiſſe.

Vide ſupra *tit. de Poſtulat.* ferè initio, & hic infra vbi *de Regis Angliæ iure in Electionib. §. non tantum & ſeqq.*

Parciùs verò ſub ſecundâ ſtirpe. Nam ſæpè permiſſæ fuerunt Electiones Clero, & Populo. Conſenſus tamen Regis, ante & poſt Electionem requirebatur. Imò & Iuramentum fidelitatis ab Epiſcopis præſtabatur. Quod de ſeipſo Agobardus Lugdunenſis Archiepiſcopus fatetur, in *tractatu de comparatione vtriuſque regiminis pag.* 362. Eadem de re Florus. *Quod vero in quibuſdam Regnis poſtea Conſuetudo obtinuit, vt conſultu Principis Ordinatio fieret Epiſcopalis, valet vtique ad ciuilem fraternitatem, propter pacem & concordiam.* Vide Lupi Ferrarienſis *Epiſtolas*, [maximè 81. & *notata* à doctiſſimo viro ad *tomum 2. Libert. Eccleſ. Gallic. cap. 15.*]

Sub tertia ſtirpe idem obſeruatum conſtat, ex *Epiſtolis* Fulberti Carnotenſis Epiſcopi, qui ſub Roberto Rege floruit. Iuonis, & aliorum, frequentes ſuper ea re *Epiſtolæ*, & teſtimonia ſuperſunt. [De autoritate Regis Galliæ in Electionibus vide Igneum. in *repetitione* §. *non alias*

alias ff. de S.C. Syllan. num. 382. & ſeqq. & n. 608. & ſeqq. vſque ad 620.]

Ivs ſimile in Hiſpaniâ, ſub Regibus Viſigothorum. Nam in Concilio Toletano XII. *cap. 6.* conſtitutum, vt omnibus Epiſcoparibus præficiendos Epiſcopos Rex eligeret, & Toletanus Archiepiſcopus Electos probaret, & ordinaret; cum antea conſenſu Cleri, & Populi, Electiones Epiſcoporum celebrarentur, ſecundùm formam traditam in Concilio Toletano IV. *can. 19. & ex tribus formulis* in fine dicti Concilij additis: in quarum *primâ*, hoc loco, *quod conuenientia ſeruorum tuorum fuit pro tali*, legendum, *conniuentia*. Nam Scriptores illius æui, *conniuentiam*, pro conſenſu accipere ſolent; Iuretus ad *Iuonis Epiſtolam 220.*

Regis Hiſpaniæ Ius in Electionibus.

Poſt varias mutationes, quæ in Hiſpaniâ contigerunt, reuocatum & rerentum fuit Conſtitutum dicti Concilij Toletani XII. vt notat ad dictum Concilium Garſias; & in ſingulari *Tractatu* eiuſdem *de Primatu Toletanæ Eccleſiæ*, edito in fine dictæ Synodi Toletanæ. *Quæ Synodus non eſt in Canone.* Ita enim diſtinguit Rodericus. *Alia Synodi ſunt in Canone*, id eſt, in Collectione vetere; *alia non habentur, inter quas iſta de Primatu; quia ius ſingulare & τοπικὸν continebat.*

Svmmvm etiam Ius in Electionibus Angliæ Reges retinuerunt, ad exemplum & inſtar Regum noſtrorum. Vnde ſtatim in *Præfatione Hiſtoriæ* Eadmeri Cantuarienſis, ita de Guillelmo I. Conqueſtore. *Ex eo quippe tempore, quo Guillelmus Normaniæ Comes, terram illam debellando ſibi ſubegit, nemo in eâ Epiſcopus, vel Abbas, ante Anſelmum factus eſt, qui non primò fuerit homo Regis, ac de manu illius Epiſcopatus, vel Abbatiæ inueſtituram, &c.* Ipſe Anſelmus *Epiſtola 149.* ita loquitur, de Electione Thomæ Eboracenſis Archiepiſcopi. *Quoniam autem Regi placuit, conſilio Baronum ſuorum, & noſtra conceſſione, vt veſtra perſona eligeretur ad Archiepiſcopatum.* Confirmant paſſim Ioannis Sareſberienſis *Epiſtolæ 292. 295. 297. & ſequentes*; vbi de Richardi Cantuarienſis Archiepiſcopi Electione. Licet enim poſt cædem Thomæ Cantuarienſis, liberas Electiones vacantium Eccleſiarum fieri conceſſiſſet [Henricus II.] tamen ab eo facultas eligendi petebatur: quod ius nominatim confirmatur à Lucio III. in *cap. 5. hoc tit. in 1. Collectione.* Et Electus in locum Thomæ Cantuarienſis Richardus, fidelitatem Regi iurauit, *ſaluo ordine ſuo ante Conſecrationem*, quam poſtea ab Alexandro III. accepit.

Regis Angliæ Ius in Electionibus. De quo vide etiam ſupra, vbi *de Abbatum Electionibus in fine.*

Quin imò & Henricus Iuuenis, poſt ſuam Coronationem factam viuo Patre, Electionem Richardi, & aliorum, irritas eſſe contendebat, quia conſenſus eius non fuerat requiſitus, Ioannes Sareſberienſis *Epiſt.* 298 Vide Matthæum Paris *ad annum* 1173.

Tandem obtinuit Electionum forma, quæ præſcribitur in vno ex XVI. *Capitulis Conſuetudinum, ſiue Libertatum*, quæ tot turbas concitauerant in Angliâ. Extant apud Matthæum Paris ad *annum* 1164. Richardus enim Cantuarienſis Archiepiſcopus, Succeſſor Thomæ, & illius exemplo cautior factus, per omnia in Electionibus Epiſcoporum, atque Abbatum, morem geſſit Regi: eámque ob rem Alexandri III. increpationes meruit in *cap. 25. de Appellation. iunctâ antiquâ:*

nec omiſit diligens Parkerus initio *vitæ Richardi.*

Non tantùm Regum conſenſus deſideratur ; ſed & eorum, quibus vices Regiæ conceſſæ ſunt : ſiue generaliter; quo caſu ſpeciali mandato non eſt opus; ſiue etiam ſpecialiter. Poſſunt enim Reges ſingulariter, vices ſuas in Electionibus, & Regalium iure, committere alicui : reliquam verò adminiſtrationem alteri demandare. Quod ſolet euenire, propter longas peregrinationes, captiuitates, & morbos. [Vide quæ nos ſupra *ad Tit. de Poſtulatione initio. Tomum 2: Libertatum Eccleſ. Gallic. pag.* 353, *p.* 367. *num.* 12. *p.* 369. *n.* 17. *p.* 343. *n.* 34. & Aimoinum de Brunichilde *lib.* 3. *cap.* 55.]

Primo caſu, quando generaliter, Ruzæus 2. *parte tractatus iuris Regaliorum, priuilegio 16.* fatetur quidem, in ſolum Delphinum, & Regis Filium primogenitum, cum vniuerſâ & liberâ adminiſtratione, illa iura tranſire; & exemplis probat : in extraneos, negat ; vt alij quidam. Contrarium tamen videtur veriùs, pluribúſque exemplis euidenter confirmamus.

Suprà diximus, Maiores [domus Carolomannum] & Pipinum in conſtituendis Epiſcopis conſenſum adhibuiſſe.

Tria præterea illuſtria exempla, ab Interpretibus non animaduerſa, notabimus.

Primùm in *cap. 4. de Poſtulatione*, Regis *aſſenſus* in Strigonienſis Archiepiſcopi Poſtulatione petitus eſt ab Andreâ Duce, qui in *antiquâ Decretali* ita deſignatur, *Andreas tunc Dux, & Regni Vngarici, Ludouici Nepotis ſui Regis nomine*, cuius tutelam & Regni curam, ipſi, frater eius commiſerat, *Gubernator, Regent.* Alterum extat in *cap.* 17. *hoc tit.* ſi conferamus cum *Epiſtolâ* 172. *libri* 2. *Regiſtri*, ex quâ *dictum capitulum* ſumptum eſt. Agebatur de Electione Epiſcopi Pennenſis, qui in Regno Neapolitano ſitus eſt, in Apprutio. Additur in *dictâ Epiſtolâ* ſub finem, quod in *dicto capitulo* 17. *& in antiquâ*, eſt omiſſum, *à nobis, vt dignum fuerit, vice Regiâ, petituri Conſenſum : & Confirmationem, autoritate Apoſtolicâ, recepturi.*

Tertium extat in *cap.* 18. quod coniungendum eſt, cum *cap.* 19. Vtrúmque enim pertinet ad Electionem Metropolitani Capuenſis. Et ita reſtituenda inſcriptio *cap.* 19. *Archidiacono, & Capitulo Capuano* : ſic antiquâ & vetus verſio Gallica. Abſurdè in quibuſdam Codicibus, *Archiepiſcopo, & Capitulo.* In fine *dicti cap* 18. ita loquitur Innocentius III. *ad audientiam noſtram nuncios idoneos tranſmiſſuri, per quos à nobis, vice Regiâ, poſtuletis Aſſenſum, & Apoſtolicæ confirmationis gratiam requiratis.* Quare Innocentius III. præter Confirmationem, quam ait ſibi competere in vicinas Sedes Archiepiſcopales, addit poſtulandum à ſe aſſenſum *vice Regiâ* ? Omnes Interpretes, hunc Nodum ſoluere non potuerunt. Propiùs ad veritatem accedit vetus verſio Gallica, his verbis. *Et ſi pouuons noter que l'Apoſtoile a en aucunes Egliſes cette dignité, que les Princes ont en celles qui ſont ſous eux, que l'on appelle, Regale.* Primus doctiſſimus à Coſta, Præceptor meus, veram huius loci interpretationem indicauit, ex Hiſtoriæ fide. Conſtantia vidua Henrici VI. Imperatoris, & Regis Neapolitani, [ſiue Regni Neapolitani Inuaſoris,] teſtamento tute-

Hæc Electio incidit in *annum* 2. Innocentij III. Chriſti verò 1199. menſe Septembri. Vide integram *Epiſt.* 177. datam menſe Octobri, & 261. *lib.* 2. *Regiſtri* Innocentij III.

Vide Continuatorem Baronij ad *annum*

lam * Friderici filij ſui impuberis, Innocentio III. & Sedi Apoſtolicæ commiſerat. * Itaque in vniuerſo Regno Neapolitano, & Principatu Capuæ, vices Regis, & Domini gerebat: & ſic per conſequentias ſuum aſſenſum præbuit in huiuſmodi Electionibus. Probabat & doctiſſimus Anteceſſor ex *lib. 2. Regiſtri* Innocentij III. *epiſtola 232. ad populum Capuanum, & epiſtola 244. ad populum Ciuitatenſem*: quibus addimus veram ſpeciem *d. capituli 17. hoc tit.* Autorem *Geſtorum* Innocentij III. *pag.* 10. & 20. *epiſtolas 551. 552. 553.* [*554. 555. 556.* & maximè 557. & 558.] *lib. 1. Regiſtri*: & pleraſque *ex libro* 5. *MS.* quas beneficio doctiſſimi & humaniſſimi Andreæ du Cheſne, nacti ſumus, *Balium Regni Imperatrix Conſtantia Domino Papæ dimiſit, ab omnibus iuramento firmandum, quoniam ad eum ſpectabat, tanquam Dominum * principalem.* Regnum enim Neapolitanum, [Siculum, Apulia,] Campania, [& Melfitanus Principatus,] Feudi iure conceſſa fuerunt à ſummis Pontificibus. Et paulò ante mortem Conſtantia poſtulauerat ab Innocentio III. vt regnum Siciliæ, Ducatum Apuliæ, ac Principatum Capuæ, ſibi, & filio ſuo, concedere dignaretur, *Geſta* Innocentij III. *pag.* 9. quod & nuper adnotauit Autor *Notitiæ Eccleſiarum Sicilienſium*, in *Chronologia Regum Siciliæ*, quem adi ſi lubet *pag.* 15. 16. 17. qui *epiſtolam* 507. Innocentij refert ex *lib. 1. Regiſtri editionis Baſileenſis*: alio tamen ordine citatur à dicto Autore *Notitiæ*; mendosè fortè; [vel ex Romana editione Regiſtri.]

Chriſti 1198. *num.* 64. vſque ad *num.* 69. iterum ad *num.* 5. vbi de Electionum Confirmatione.

* Hoc contigit *anno* Chriſti 1198. quo obiit Conſtantia 27. *die Nouembris, anno primo* Pontificatus Innocentij. De cuius Conſtantiæ matrimonio cum Henrico filio Friderici Ænobarbi, vide Monachum Caſſinenſem Scriptorem anonymum *hiſtoriæ Siculæ pag.* 146. 147. & 155. ibi: *Conſtantia Imperatrix filium parit in Marca Anconitana, &c.*

* Vide *Epiſtolam 79. lib. 14. Regiſtri* Innocentij, vbi de Policaſtrenſis Epiſcopi Electione in irritum deducta. Notas in *eandem epiſt. pag.* 125. *Geſta* Innocentij III. *pag.* 8. & Baronij *Tractatum de Monarchia Siciliæ pag.* 77. De forma verò Electionum Epiſcopalium in Regno Siciliæ, Neapolitano, Apulia, & Campania vide *epiſt. 407. 408. & 409. lib. 1. Regiſtri* Innocentij III. *cap. 18. & 19. hoc tit. & Notitiam Sicilienſium Eccleſiarum pag.* 38.

* Alibi Dominum Capitalem vocat, infra *Tract. de vſu & autor. Pallij* ad *cap. 4. de Electione* in fine.

Speciali verò mandato, poſſe cuilibet, vice Regia, demandari Iura omnia Regia circa Electiones, Collationes, Præſentationes, atque Nominationes Beneficiorum, conſtat: quia ſunt in fructu. Poteſt enim à fructuario, non quidem ius ipſum; ſed facultas percipiendi fructus, durante iure vſusfructus, demandari.

Huius mandati ſpecialis plura exempla nuper edita ſunt *tomo 2. Libertatum Eccleſiæ Gallicanæ tit. 16. num.* 3. 12. 13. & 17. [quibus adde Igneum in *repetitione §. non alias ff. de S. C. Syllaniano num.* 330. & *ſeqq.*

Nec tamen tranſeunt huiuſmodi iura Regalia, vnà cum vniuerſitate, id eſt, Conceſſione alicuius Ducatus, vel Comitatus, in quibus, vel Epiſcopatus, vel Abbatiæ ſunt ſitæ: quod rectè loco citato probat Ruzæus. Coronæ enim inhærent, nec ab eâ ſeparari poſſunt. Quam in rem notandus locus Rigordi in *vita Philippi Auguſti*; vbi de bello inter Philippum, & Hugonem Ducem Burgundiæ *pag.* 172. *Reges Franco-*

rum prædictas Eccleſias, Epiſcopatus, & Abbatias præcipuè intelligit, *in ſua libertate ſemper cuſtodire cupientes, quibuſcumque Principibus terras cuſtodiendas tradidiſſent; tamen Eccleſias, ſub poteſtate ſua, & protectione, retinuerunt.* Quod & notat vetus Autor *Tractatus de Exemptionibus*, qui tempore Concilij Baſileenſis ſcripſit ſub Eugenio IV. vt ipſe, in *fine ſui Tractatus* prodidit.

Vide infra ſub finem §. *Poſteaius Cleri.*

Notandum etiam, huiuſmodi Conſenſum, & autoritatem Regum, tam in Electionibus, ſiue Epiſcoporum, ſiue Abbatum, quàm in Collationibus Beneficiorum, habere locum, etiamſi Prælati deceſſerint in Curiâ Romanâ; quamuis Pontifices, & Interpretes contrarium ſentiant. Quam in rem notanda eſt inſignis controuerſia, inter Innocentium III. & Ioannem Regem Angliæ, ſuper Electione Stephani de Lanqueton Angli Cardinalis, in Cantuarienſem Archiepiſcopum, quæ facta fuerat in Curiâ, iuſſu Papæ, à quibuſdam Monachis Cantuarienſibus, pro tempore in Curiâ, ſuper Electione litigantibus, Matthæus Paris *ad annum* 1207. Cum enim Monachi reſponderent, ſibi non licere, *præter conſenſum Regium, & ſui Conuentus*, canonicam celebrare Electionem; reſpondit Pontifex, in Electionibus celebratis apud Sedem Apoſtolicam, non ſolere aſſenſum Principum expectari. Vnde grauiſſimæ turbæ à Rege Angliæ excitatæ, vt ex Scriptoribus illius ſæculi conſtat. *Geſta* Innocentij III. *pag.* 191. & Parkerus *in vita Stephani.*

Nec tantùm Electiones; ſed etiam Conſecrationes, in Curia à Pontifice fieri, Metropolitani Galliæ ægrè tulerunt, Iuo *Epiſt.* 1. 2. 8. & 12. de ſe ipſo ita loquitur. *Dicent me in Maieſtatem Regiam offendiſſe, qui à Sede Apoſtolica præſumpſerim Conſecrationem accepiſſe.* Nam Iuo ab Vrbano II. Papa, conſecratus fuerat, [Fulbertus Carnotenſis *epiſt.* 30. *Leutherico Archipræſuli Senonum. Aurelianenſem Odolricum ego quidem ad Epiſcopatum non elegi, ſicut vobis dictum eſt; ſed à Clero & Populo ſuæ Ciuitatis electum ſacraui Preſbyterum. Quod cum Romam ire velle audiſtis, & ibi creari Epiſcopum, diſſuaſi veſtri honoris gratia. Sed & ipſe gratanter diſſuadenti paruit, ſuggerentibus fidelibus ſuis, Rodulpho ſcilicet & Herfrido.* Adde *tomum* [illegible] *Probationum Libertat. Eccl. Gallic. pag.* 404.]

Vide Pithœi *Tractatum de Libert. Eccl. Gall.* & quæ nos infra ſub *finem huius tractatus.*

Nec etiam habet locum in Beneficiis vacantibus in Curiâ, quorum ſcilicet Collatio, iuræ Regaliæ, ad Reges noſtros pertinet. Idque Gregorius X. declarauit; cuius extat Bulla nuper edita, *Tomo* 2. *Libertatum Galliæ tit.* 16. *num.* 18.

Ex his colligimus, quanta fuerit Regum noſtrorum, & aliorum, autoritas & poteſtas in Electionibus Epiſcoporum, & Abbatum, etiam vigente iure communi; quo Electiones, communi conſenſu Cleri, & Populi peragebantur. Quod Ius Regibus competit, tum propter præcellentem eorum dignitatem, tum propter ſpecialem Tuitionem, & Protectionem, ſeu Cuſtodiam, quam Eccleſiis impertiuntur. Accedit hæc ſumma ratio, quæ in priuato quolibet Patrono locum habet: quia Eccleſias, & pleraſque Abbatias, & Prioratus dotauerunt, & ditauerunt, non tantum amplis poſſeſſionibus & reditibus eis aſſignatis; ſed etiam Ciuitatibus & Ducatibus. Notauit Rigordus *loco citato*

Mirvm igitvr non est, ſi propter huiuſmodi liberalitatem & munificentiam Regum, maximè propter vtilitatem publicam, & ſecuritatem; olim quidem, per annulum, & virgam *, Inueſtituram Epiſcopatuum, & Abbatiarum, *per manum Regis acciperent*; & Inueſtituræ tempore, *hominium, & fidem iurati, in ſcriptis præſtarent*. Conſequenter, quoties opus foret, obſequium atque ſeruitium præbere tenebantur: ſi defuiſſent, Regalibus eorum confiſcatis, emendare cogebantur, & per omnia ferè, cum reliquis Vaſſis dominicis, æquo iure cenſebantur.

De Inueſtituris Epiſcopatuum, Abbatiarum, Prioratuum, & aliorum beneficiorum Eccleſiaſticorum.

*De virgę multiplici ſignificatione vide Chryſoſtomum *tomo 3.* edit. Pariſienſis pag. 325.

Eadem ratione, defuncto Epiſcopo, vel Prælato, *Regalia Vacantia*, ſicut reliqua Feuda, quoties vacant, nomine Regis occupantur: & donec à Rege nouus Prælatus, Sacramento præſtito, Regalia receperit; interim fructus omnes ſuos Rex facit. Fructus, inquam, omnes: & per conſequentias, Collationes etiam Beneficiorum, quæ tempore mortis Epiſcopi, vel iure & facto, vel iure tantùm, vel facto tantùm, vacant.

Excipiuntur tantùm Parochiales Eccleſiæ, iure noſtro, & *conſtitutionibus* Regum noſtrorum: niſi fortè Canonicatui, vel Præbendæ Parœcialis Eccleſia ſit annexa.

Hoc quidem Ius Regium, cum ſit antiquiſſimum, ſimul cum Regno natum. Huiuſmodi Collationes præiudicium non patiuntur, per iura recentiora: nec eis poteſt derogari, per Decretales, Statuta particularia Eccleſiarum, Pragmaticas, Concordata, Indulta, vel Mandata Apoſtolica. Imò, quoties lis de Iure Regaliarum oritur, omnibus Iudicibus interdicitur cognitio, etiam in primâ inſtantiâ. In hoc enim Iure diſceptando ſolos Iudices experimur, qui Curiam in Parlamento Pariſienſi conſtituunt.

Nec tantùm ratione, & iure communi, inducta ſunt *Iura Regaliæ*; ſed præterea diuturno vſu, & longa conſuetudine confirmata fuerunt, *vel ipſorum Pontificum teſtimoniis & autoritatibus*, quorum pleræque fuerunt omiſſæ ab his, qui de Regalibus ſcripſerunt: cum tamen hoc præcipuè fuiſſet probandum. Nam qui aduerſus Regalia ſcripſerunt, omnes ferè Canoniſtæ, vſurpationem & nouitatem obiiciunt. Quidam eorum temerè nimis, corruptelam potiùs, quàm conſuetudinem: qui modeſtiùs, referunt ad priuilegium & indultum Pontificum.

Omnes autem ſimul veteres & noui, inuehuntur aduerſus Inueſtituras, quæ fiebant per traditionem annuli, & virgæ paſtoralis, ante Conſecrationem Epiſcopi, vel Abbatis futuri: ſicut Iure Feudorum, Inueſtitura fiebat, per fictitiam traditionem, Fuſtis verbi gratiâ, Annuli, Enſis, Vexilli, vel alterius ſymboli, Vaſſalo factam: & per eam ius Feudi conceditur, id eſt, obligatio & actio acquiritur, per quam Dominus poſſeſſionem corporalem feudi, cuius inueſtituram fecit, tradere compellitur exemplo emptionis: nec liberatur ſi paratus ſit ſoluere quòd intereſt, *tit. 1. de Feudis §. ſi Archiepiſcopus lib. 4. tit. 15. & cap. 5. infra de Donationibus*: quibus ex locis apertè Inueſtitura, à traditione corporali, & inductione in poſſeſſionem ſeparatur.

Vide ſupra ad *tit. de Conſuetudine pag. 99.*

Eadem ratione Inueſtitura vſurpatur, non tantùm in Epiſcopatibus,

& Abbatiis; ſed etiam in minoribus Dignitatibus, & Officiis, in quibus *per Annulum*, vt in *cap. 4. de Conceſſione Præbendæ*, vel aliud Symbolum Inueſtitura fiebat. Canonicus inueſtitur *per librum & panem, in integra epiſtola* Innocentij III. *lib. 5. Regiſtri MS.* ex quâ ſumptum *cap. 7. de Conceſſ. Præb. & cap. 4. eod. tit. in 3. Collect.* In *cap. 3. de his quæ fiunt à maiori parte Cap.* in ſignum Inueſtituræ Præpoſituræ Auguſtenſis, *Annulus aureus mittitur.* Iunge *Epiſtolam 6. libri* 1. Goffridi Vindocinenſis, *& notas* doctiſſimi Interpretis *ad d. epiſtolam 6.* & ad *epiſtolam 25. lib. 5. in tabulis Conceſſionis Decimarum*, quas Adelardus de Caſtro Gunterij obtulit ſancto Albino. *Donum Inueſtituræ porrigere* in *cap. 46. de Appellation.*

Inueſtituras huiuſmodi, ſiue fictitias & imaginarias traditiones, à poſſeſſione corporali rectè ſeparant Interpretes *ad cap. 22. de Prælendis*: quæ quidem corporalis poſſeſſio, in Beneficiis *Inſtitutio* appellatur; de quâ *tit. de Inſtitutionibus infra.* Malè tamen ibi, cum *inueſtitura*, ab Oſtienſi, & aliis quibuſdam confunditur. Inſtitutio namque eſt inductio corporalis in poſſeſſionem; verbi gratiâ in Præbendis in *cap. 22.* cùm ea, quæ ad Canonicatum pertinent, cum Stallo Chori, & Loco Capituli aſſignantur.

Huiuſmodi autem ius, & conſuetudo inueſtiendi Epiſcopos & Abbates, per Annulum, & Virgam, poſt Electionem, ante Conſecrationem, inoleuerat ferè per vniuerſam Europam: eoque Imperatores per Germaniam & Italiam vtebantur. Imò & Pontifices Romanos, & inſtituendi, & inueſtiendi poteſtatem ſumebant. In Galliâ, Angliâ, Hungariâ, & Poloniâ, idem vſurpatum.

Mortuo nempè Epiſcopo, vel Abbate, Baculus, Ferula, vel Virga paſtoralis, & Annulus, deferebantur ad Imperatorem, vel Reges: qui poſt Electionem, quam & ſæpè pro arbitrio ſuo fieri curabant; vel omnino etiam, præcipuè in Germaniâ, omittebant, futuro Epiſcopo, vel Abbati dabant; eúmque inueſtiebant. Cum verborum, & rerum compendio Hiſtorici, & alij Scriptores loquuntur, *Epiſcopatus, & Abbatias, per manus Imperatoris, vel Regum accipere.*

Verùm huiuſmodi Inueſtituras, quæ per conceſſionem & traditionem Epiſcopalium Inſignium peragebantur, in pluribus Conciliis damnauerunt Romani Pontifices, [inter quos præcipuus meritò] nominatur Gregorius VII. quem ſecuti ſunt proximi Succeſſores, maximè Vrbanus II. & Paſchalis II. ſub Henrico IV. & V. Imperatoribus, [quorum plures Canones referuntur à Gratiano in *Cauſa* xvi. *Q. 7.*] Vnde Inueſtitura vocabatur paſſim, *Henriciana hæreſis & Simonia*

Donec tandem, ſub Calixto II. in Concilio Lateranenſi [I. Generali IX. *anno* 1119. conuocato, & *anno* 1122. celebrato cuius *Præfatio* omnino legenda,] pax & concordia inter Pontificem, & Henricum V. Imperatorem, compoſita eſt; eâ conditione nempe, vt Imperatores in omnibus Eccleſiis, & Monaſteriis, liberam fieri Electionem, & Conſecrationem concederent: itemque, vt non ampliùs inueſtituras facerent, traditio annulo, vel virgâ Paſtorali; ſed vt Regalia & eorum fictitiam poſſeſſionem traderent, *per Sceptrum*; eiſque ab Epiſcopis, & Abbatibus hominium & fides, per iuramentum ex-

hiberetur. Pleniſſimè concordiam illam retulit Conradus Vrſpergenſis *ad annum Chriſti* 1122. & Anſelmus Gemblacenſis *ad eundem annum.* Adde omnino Othonem Friſingenſem *lib. 7. cap. 16. & 17.* Vvilelmum Malmesbur. *lib. 5. pag. 166. 167. & ſeq.* Martinum Polonum in *Henrico IV. Imperatore, & Paſchali II.* ex quibus deſumpra ſunt, quæ notauerunr Baronius, & Biuius *in Conciliorum tomo 3. parte 2. ad Concilium Lateranenſe, ſub Calixto II.* [Præcipuè videnda *hiſtoria d. Concilij Lateranenſis I.* & quæ habentur *tomo 1. Hiſt. Francicæ pag. 89. 288. 289. & 366. in fine.*]

Has autem atque alias de Inueſtituris controuerſias; earúmque progreſſus, & euentus, pleniſſimè & doctiſſimè retulit doctiſſimus Iuretus ad *epiſtolas* Iuonis 8. 60. 233. 236. 237. 238. *& ſeq.*

In huiuſmodi difficillimis temporibus, præſentiſſimum Galliæ auxilium ſenſerunt Pontifices: pulſi nempe ab Imperatoribus Vrbanus II. Paſchalis II. & Gelaſius II. in Galliam confugerunt: vbi & multa Concilia habira ſuper inueſtituris. Vide Goffridi Vindocinenſis Epiſtolas; & inter eius opuſcula, *tres de Inueſtituris tractatus.*

Vide ſupra hic, vbi *de Electione ſummi Pontificis*, initio.

In illa quæſtione Goffrido conuenit cum Iuone. Non rectè quidam diſſentientes Iuonem, & Goffridum inducir. Nam in *opuſculo 4.* agnoſcit, *aliam eſſe Inueſtituram, quæ perficit Epiſcopum, in Conſecratione ſcilicet, quæ iure diuino Epiſcopis ſolis permittitur, Laicis nunquam: aliam quæ paſcit, & ex iure humano habetur* [quæ ſcilicet exterior Inueſtirura dici poteſt.] *Poſſe autem Reges ſine offenſione, poſt Electionem canonicam, & Conſecrationem, per Inueſtituram Regalem, in Eccleſiaſticis poſſeſſionibus. conceſſionem, auxilium, & defenſionem Epiſcopo dare: quod quolibet ſigno factum extiterit, Regi, vel Pontifici, ſeu Catholicæ Fidei, non nocebit.*

Doctiſſimus Iuo *Epiſt. 60. Dominus quoque Papa Vrbanus Reges tantùm à corporali Inueſtitura excludit, quantùm intelleximus: non ab Electione, in quantùm ſunt Caput populi, vel Conceſſione; quamuis VIII. Synodus, (vide Can. 1. Diſt. LXIII.) ſolùm prohibeat eos intereſſe Electioni, non Conceſſioni. Quæ Conceſſio, ſiue fiat manu, ſiue nutu, ſiue lingua, ſiue virga, quid refert? cum Reges nihil ſpirituale ſe dare intendant; ſed tantùm, aut votis petentium annuere, aut villas Eccleſiaſticas, & alia bona exteriora, quæ de Regum munificentia obtinent Eccleſiæ, ipſis Electis concedere.* Iterùm Iuo *Epiſt. 236. in fine. Si vero congrua nomina rebus dare volumus, poſſumus dicere, quod illa manualis Inueſtitura, per Laicos facta, alieni iuris eſt peruaſio, & ſacrilega præſumptio, quæ pro Libertate Eccleſiæ, & honeſtate, ſaluo pacis vinculo, ſi fieri poteſt, funditus abſcindenda eſt. Vbi ergo ſine ſchiſmate auferri poteſt, auferatur: vbi ſine ſchiſmate auferri non poteſt, cum diſcreta reclamatione differatur.* [Ioannes Lugdunenſis apud Iuonem *epiſt. 237.* circa finem. *Et licet exteriores Inueſtituras, per Laicos factas, non ſatis propriè hæreſis nomine cenſeamus: ſentire tamen ac defendere fieri debere, indubitata hæreſis eſt.* Adde *Notas* Iureti ad *Epiſt. 60. 236.* Ordericus Vitalis *Hiſt. Eccleſ. lib. 3.* ad *an.* 1059. loco inſigni *pag. 477. Anno ab Incarnatione Domini* 1059. *Indictione 12. Vticenſes Rodbertum de Gentemaiſnilio ſibi elegerunt Abbatem, rationabiliter conſiderantes in-*

In Regno Scotiæ, Inueſtituras Epiſcopatuum, ſaltem per annulum, à Regibus factas fuiſſe, autor optimus eſt Eadmerus *lib. 5. hiſtoriæ pag.* 130. 131. *& ſeqq.* vbi notanda ſunt verba cuiuſdam Eadmeri electi ab Alexandro Scotiæ Rege, in Epiſcopum ſancti Andreæ. *Annulum,* ait, *quem de manu Regis ſuſcepi, libens reddam, eâ re, quòd nihil poteſtatis, quæ in eo ſignificatur, in illo accepi; Laico ſcilicet dante, cui tale quid nihil attinet. Baculum autem, quem ſuper altare, præſentibus duobus Epiſcopis ſumpſi, ponam vbi aſſumpſi, & eum diſpoſitioni Ieſu Chriſti commendabo.*

Reges Hungariæ pariter Inueſtituras Epiſcoporum, & aliorum Prælatorum remiſerunt, quas vſquè ad tempora Paſchalis II. facere conſueuerant, Martinus Polonus in *vita Paſchalis II.* In Electionibus tamen, Depoſitionibus, vel Tranſlationibus Epiſcopotum*, ius ſuum retinuerunt: imò & ius Regaliæ, cuius nominatim mentio fit in diplomate Belæ Regis Hungariæ ad Alexandrum III. *anno* 1169. Extat inter *acta einſdem* Alexandri III. nuper edita *poſt Concordiæ Narrationem, inter Alexandrum III. & Fr dericum I. pag. 196.*

Tardiùs in Polonia, huiuſmodi reſtitutionem factam fuiſſe reperimus: vix ſub Innocentio III. eius Pontificatus *anno 14.* ex *epiſt. 89. lib. 14. Regiſtri* Innocentij. In qua præterea notanda cautio, & εὕρημα Eccleſiæ Poſnanienſis. Cùm enim tantùm poſt Conſecrationem annulus & virga tradi ſolerent; ſtatim poſt Electionem, ante Confirmationem, Electus annulum & virgam acceperat: adeóque meditatè & conſultò, ad abolendam Conſuetudinem, imò Corruptelam potiùs: quia antea Duces Poloniæ Epiſcopatus conſueuerant pro ſua voluntate conferre, inſigniis huiuſmodi aſſignatis.

Quinimò Imperatores Germanorum, Reges Angliæ, & Scotiæ, ſtatim poſt mortem Prælatorum, antequam de Electione tractaretur, iubebant ad ſe deferri *annulum, & virgam.* Paſſim confirmatur, tam ex *Hiſtoria Eccleſiaſtica Archiepiſcoporum Hamburgenſium, ſcripta* ab Adamo Bremenſi, quàm ex *Chronico Cameracenſi*, à Balderico Nouiomenſi Epiſcopo *ſcripto:* ex quo notandum *lib. 3. caput 63. in fine, & 64.* vbi mortuo Gerardo Epiſcopo Cameracenſi, cum Caſatis, ſeu Vaſſalis, reportaſſe dicuntur Baculum Pontificalem, atque nunciaſſe Epiſcopi ſui depoſitionem Henrico II. Imperatori. Præterea in *dicto cap. 64.* dicitur, *Henricum II. Imperatorem donaſſe Epiſcopatum Cameracenſem, & Atrebatenſem Lietberto, qui poſtea fidelitatem Imperatori promiſit*, id eſt, fidelitatis Sacramentum. Paſſim etiam in *dicta hiſtoria Archiepiſcoporum Hamburgenſium*, Imperatores donare Epiſcopatum, *per ferulam, virgam,* vel *cambucam* dicuntur.

Idem de Anglia, & Scotia, Eadmerus ſtatim in *Præfatione hiſtoriæ, & lib. 5. pag. 132. & ſeqq.* vbi de Epiſcopatu ſancti Andreæ in Scotia diſputatur, vt modo diximus. [De Hibernia, quam Scotiam maiorem vocatam pluribus nuper confirmauit Iacobus Vſſerius Archiepiſcopus Armachanus, & totius Hiberniæ Primas in *Antiquit. Eccleſ. Britan. cap. 16.* paulò ſupra diximus ex Innocentij III. *lib. 13. regiſtri epiſt.* 48. quibus adde quod ſupra notauimus *pag.* 147. & infra §. *An-*

iquitatem autem.] Vide Spelmannum in *Gloſſario*, dictionibus, *Cambuca*, & *Ferula*.

Hactenus de Inueſtituris, & donationibus Epiſcopatuum, & Abbatiarum factis ab Imperatoribus, & Regibus; quibus illuſtrantur plurimi canones, quos Gratianus retulit, *Diſt.* LXII. & LXIII. *can.* 1. 2. 22. & *ſeqq.* maximè verò, *can.* 11. 12. 13. 14. 16. & 17. *Cauſa* XVI. *Quæſt.* 7. quibus explicari poteſt, quod dicitur in fine *capituli vnici, de ſacra vnctione: Romanum Pontificem non vti baculo Paſtorali, propter hiſtoriam*, quam explicat idem Innocentius III. *Myſteriorum Miſſæ lib.* 1. *cap.* 62. & Gloſſa tangit. Nec tamen abs re videbitur, ſi dicamus in odium Inueſtiturarum per virgam, quam damnauerunt ſemper Pontifices, eos abieciſſe baculum Paſtoralem. Conſtat itaque iure & exemplis retinuiſſe Imperatores & Reges, in Epiſcopatibus, & Abbatiis, iura Electionum, ac Regalium.

De Iure Regalium.

SVPEREST VT DE REGALIBVS ordine, & methodo certa tractemus.

Sed primùm ambiguitatis vitandæ cauſa, diuerſæ ſignificationes diſtinguendæ ſunt.

Primùm, Regalium nomine latiſſime ſumpto, res & iura omnia Regia, & fiſcalia continentur; vt *legibus Neapolitanis* Friderici II. *lib.* 1. *tit.* 6. *lege* 1. & *lib.* 3. *tit.* 1.

ALIQVANDO verò Regalia apud Scriptores hiſtoriæ Germanicæ, ſignificant inſignia Imperij, Enſem, Globum, Sceptrum, & Coronam, de quibus doctiſſimè Freherus in *Originibus Palatinis*. [Inſignis locus initio *libri* 2. *Regum*. Amalecites, qui mentiebatur ſe occidiſſe Saülem, ita loquitur. ἔλαβον τὸ βασίλειον, τὸ ἐπὶ τὴν κεφαλὴν αὐτῦ. *Et ſumpſi regale, quod erat ſuper caput eius, & armillam de brachio illius, & attuli ad te Dominum meum huc.* Vulgata: *Et tuli Diadema, quod erat in capite eius*, &c. Iunius & Tremellius, *Coronamentum*. Eadem figura loquendi, Corona oblata à Rege Clodouæo Papæ Hormiſdæ, *regnum* appellatur, *Pontificale* in *vita Hormiſdæ. Eodem tempore venit Regnum cum gemmis pretioſis, à Rege Francorum Clodouæo Chriſtiano, donum beato Petro Apoſtolo.*] Significant etiam Regalia, iura quædam eximia, quæ ſolis Imperatoribus, & Regibus competunt: qualia ſunt ea, quæ in *Conſtitutione* Friderici numerantur *lib.* 5. *Feudorum*; ad quam vide Cuiacium.

De Diademate, & Imperij Inſignibus, quæ Imperatores Eccleſiam ingreſſuri deponebant, vide Frontonem Ducæum *tomo* 4. Chryſoſtomi *editio Pariſ. pag.* 78. *in fine Notarum.*

Præterea Regalia dicuntur, Feuda & poſſeſſiones, quæ munificentia Imperatorum, & Regum, tam Eccleſiis, quàm Xenodochiis, & reliquis veneralibus locis fuerunt conceſſa: quorum ratione ſubiiciuntur communi iuri, & conditionibus Feudorum omnes eorum Poſſeſſores, licèt Eccleſiaſtici. Ideoque obſequium, hominium, & iuramentum fidelitatis præſtare tenentur. Hoc ſenſu pia loca dicuntur *Regalia*, & per Beneficium Regis haberi; eſſe in Regis Mundio, ſiue cuſtodia: quod iam inde ſub Pipino obtinuiſſe leges Longobardorum probant *lib.* 3. *tit.* 1. *lege* 19. & 30. [Regalia in eadem ſignificatione ſic explicat Iuo *epiſt.* 60. *Villas Eccleſiaſticas, & alia bona exteriora, quæ de munificentia Regum obtinent Eccleſiæ.* Vide *cap.* 8. *de rebus Eccleſiæ non alien.* vbi Regalia appellantur res à Regibus in

Eccleſiam collatæ, ad differentiam aliorum bonorum Eccleſiæ. Eodem ſpectat data Henrico V. Imperatori à Calixto II. Regalia per ſceptrum Inueſtiendi facultas, in refutatione Inueſtiturarum facta ab eodem Henrico V. ſiue in Concordia inter ipſum & Calixtum II. inita, quæ habetur in fine Concilij generalis IX. ſub Calixto II. vulgo Lateranenſis I. dicti, de qua ſupra, vbi *de Inueſtituris*. Adde Othonem Friſingenſem *lib. 2. de Geſtis Friderici cap. 12.*]

Eadem forma, & figura verborum, *Regalia ſancti Petri* vocantur, quæcunque libertate Imperatorum, & Regum; noſtrorum maximè, Romano Pontifici conceſſa fuerunt. In hunc ſenſum Regalia accipiuntur in *celebri epiſtola* Friderici *ad Adrianum*, & in *Compoſitione* ſupra citata inter Henricum V. Imperatorem, & Calixtum II. in formula iuramenti ſolemni à Gregorio VII. traditâ, & ab omnibus Epiſcopis præſtanda, his verbis. *Papatum, & Regalia ſancti Petri, adiutor ero ad defendendum.* Ita legendum videtur Antonio Auguſtino in *cap. 20. de Electione in 1. Collect.* ex quo ſumptum eſt *cap. 4. extra de Iureiur.* Confirmat apertè formula iuramenti ab Innocentio III. præſcripta Trinouitano Archiepiſcopo, quæ extat in *Geſtis* eiuſdem Innocentij *pag. 64.* In illa formula ita explicantur Regalia, [latiùs paulò,] *honores, dignitates, & rationes Apoſtolicæ Sedis, defendam pro poſſe.* In iuramento à Comite Hildebrandino præſtito Innocentio III. in *fine lib. 2. Regiſtri: Papatum Romanum, & Regalia beati Petri, & nominatim Montem altum, & quicquid aliud teneo de ipſis Regalibus.* Toſcâu.

Mirum itaque non eſt, cum Feuda poſſideant Epiſcopi, & reliqui Prælati; ſi ratione bonorum, ſeruitium & obſequium compellantur præſtare. Olim cogebantur & perſonaliter in bello intereſſe, cum hominibus ſuis: niſi iuſta ex cauſâ excuſationem à Regibus impetrauerint; vt per vicariam perſonam huiuſmodi muneribus defungantur: quod ius antiquiſſimum eſſe colligitur ex *tomo 2. Libertatum Galliæ tit. 39. num. 1. & 2.* & ex *Notitia omnium Monaſteriorum Galliæ, & Germaniæ*, facta præcepto Ludouici Pij, quâ continentur, quænam Monaſteria debeant Regi; vel *ſimul Militiam, Dona, & Orationes*; vel *Dona & Orationes*; vel *Orationes tantùm.* Notitiam illam edidit doctiſſimus Sirmondus *in Notis ad tomum 2. Concil. Galliæ pag. 685.* Frotharius Tullenſis Epiſcopus, qui eiuſdem Ludouici Pij tempore ſcripſit in *epiſtolis 24. & 25.* quas *tomo 2. Scriptorum Hiſtoriæ noſtræ* diligentiſſimus Du Cheſne primus publicauit. [Adde Concilium ad Theudonis Villam ſub filiis Ludouici Pij poſt obitum Ludouici *tomo 2. Concil. Galliæ pag. 14.* & *Capitularia* Caroli Magni in voce *Pontium Reſtauratio.*] Idem ſeruitium præſtitum Germanis Imperatoribus ab Epiſcopis, propter Regalia docebit Otho Friſingenſis *lib. 2. de Geſtis Friderici I. cap. 12.* Dubito reliquos Reges huiuſmodi exempla ſecutos. Hùc fortè alluſit in *inſcriptionibus ſuarum epiſtolarum ad Henricum I.* Anſelmus Cantuarienſis *humile ſeruitium, & orationes.* Denegabant enim hominium.

Reges verò noſtros feudalia ſeruitia, etiam perſonalia in bello retinuiſſe, Hiſtorici noſtri, & exteri confirmant. Extat inſigne exem-

plum Philippi Belluacenſis Epiſcopi, ſub Philippo Auguſto, apud Guillelmum Neubrigenſem *lib. 5. cap.* 30. qui tamen inſultat acerbiùs capto: ſed Epiſcopum excuſat ſatis Ius & Conſuetudo Feudorum, & natalium ſplendor. Extat & aliud notatu digniſſimum, ſub eodem Philippo Auguſto, apud Rigordum *ad annum* 1209. de Regalibus Aurelianenſium Epiſcoporum, & Altiſiodorenſium Epiſcoporum, *à quibus emendari petebat Philippus Auguſtus, quòd ab exercitu milites eorum defeciſſent: eo colore, quòd ſe non teneri contenderent ire, vel mittere; niſi quando Rex perſonaliter intereſſet. Conſuetudine autem generali contra eos faciente, atque nolentibus emendare, Regalia eorum confiſcauit, & per biennium occupauit.*

Notandum hoc ampliùs. Innocentius III. ſæpiùs à dictis Epiſcopis interpellatus, noluit tamen Conſuetudinibus, Iuribus Feudorum, & Regni derogare: adeò vt tandem coacti fuerint, antequam à Rege occupata Regalia per biennium recuperarent, emendam Regi perſoluere. Ad hanc inſignem controuerſiam pertinent multæ Innocentij III. *Epiſtolæ*, maximè 39. & 40. [52. 106. & 107.] *lib.* 15. *Regiſtri*, & reliquæ, quæ ab Interprete notantur, quibus iunge *tomi* 2. *Libertatum Eccleſiæ Gallicanæ tit.* 22. *num.* 2. & *tit.* 39. *num.* 5. 6. & 7.

Quibus ex locis; potiſſimum verò ex *Epiſtolis* 39. 40. & 52. *lib.* 15. & ex Rigordi *loco*, explicatur poſtrema Regaliorum ſignificatio, & vſus eorum in Gallia. Nempe vacantibus Epiſcopatibus, non tantùm temporalia Epiſcopatuum, quæ à Regibus conceſſa fuerunt, ſed etiam omnes omnino reditus occupari. Ita enim peritè & ſecundùm vſum, Rigordus *loco citato. Rex Regalia confiſcauit; ſcilicet, ea tantùm temporalia, quæ ab eo feodaliter tenebant: Decimas, & alia ſpiritualia, eis in pace dimittens*, &c. Innuit ſatis hoc loco, *Decimas, atque alia ſpiritualia*, Regalium nomine generaliter comprehendi in vacantibus Epiſcopatibus. Innocentius ſimiliter *epiſtola* 40. *Illud fortè, cum Sedem Epiſcopalem vacare contingit, fieri tantummodo conſueuit: & tunc, non ſolummodo domos; verumetiam Decimas, & Oblationes, & alia quæ inuenis, facis omninò ſaiſiri, & in quibuſdam Eccleſiis confers præbendas vacantes.*

Notandum quod vtróque loco dicitur nominatim de Decimis, euertere omninò contrariam Ruzæi opinionem, quæ rectè poſtremis Senatus Decretis improbata eſt. Choppinus *Monaſt. lib.* 2. *tit.* 3. *num.* 6. & *lib.* 2. *de Doman. tit.* 9. *art.* 16. Itemque probatur manifeſtè ex *dictis epiſtolis* Ius Galliæ, quo Reges noſtri manus iniectionem habent, & rei controuerſæ occupationem, ipſo iure, lite pendente; nec aduerſus eos locum habere iura de reſtitutione ſpoliatorum: *le Roy plaide main garnie.*

Præterea nullos alios Iudices agnoſcere Reges noſtros, quàm Parium Curiam. Quæ iura cum dictis epiſtolis Innocentius impugnaret ab initio; cedere tamen coactus eſt, poſtquam de re tota certior factus fuit.

Vide quæ ſupra de Hiber- Antiquitatem autem Regalium, præſertim vacantibus Prælaturis, confirmant *cap.* 28. *hoc tit.* iuncta *antiqua* quæ ad Hiberniam perti-

net, & 32. *cap.* juncta etiam *antiqua*, quod ad Galliam, ubi mentio *Regalium*, ſicut & in *cap.* 2. *de Conceſſ. Præb.* & in *cap.* 1. *de his quæ fiunt à majori parte Cap. in* 3. *Collect.* à Raymundo detracta fuit. Quibus addere licet *Reſcriptum* quoddam Innocentii III. *Tom.* 2. *Libertatum Galliæ tit.* 16. *num.* 3. in quo Jus Collationum Præbendarum, Eccleſiâ Laudunenſi vacante, dicitur pertinere ad Regem, *ſecundùm antiquam & approbatam Conſuetudinem.* Idemque in [Anglia] apertiſſinè confirmat *cap.* 6. *de Jure Patronatus in* 1. *Collectione.* Quare, ut rem notiſſimam, antiqui Interpretes ad *canonem Imperium Diſt.* x. notaverunt.

Dicti verò *cap.* 6. *de Jure Patronatus* autor Alexander III. cujus tempore in Anglia idem jus obtinebat. Apud Matthæum Paris inter xvi. *Capitula libertatum*, recognitarum Clarendoniæ ſub Henrico II. *anno Chriſti* 1164. hoc caput inſeritur. *Cùm vacaverit Archiepiſcopatus, Epiſcopatus, vel Abbatia, vel Prioratus; in Dominio Regis eſſe debet, in manu ipſius, & inde percipiet omnes reditus & exitus, ſicut dominicos reditus ſuos.* Quod Jus in Angliâ cœpiſſe ſub Guillelmo II. qui vulgò Rufus, notat Guillelmus Malmeſbarienſis *lib.* 4. Nam Guillelmi patris Conquæſtoris tempore, *poſt deceſſum Epiſcopi, vel Abbatis, omnes reditus integrè cuſtodiebantur, ſubſtituendo Paſtori, reſignandi.* Succeſſores tamen Guillelmi II. conſtantiſſimè, ſicut fieri amat, Regalium jura conſervarunt. [Adde *cap.* 3. *de Inſtitutionibus*, ſcriptum ab Alexandro III. Thomæ Cantuarienſi, acerrimo Regalium & ſimilium jurium impugnatori; & quæ præterea ad illud *cap.* & ad *cap.* 1. *ut lite pendente* notavit Molinæus de Jure Regalium apud Gallos noſtros.]

Idem jus Hungariæ Reges ſibi vindicaſſe confirmat diploma ſuprà citatum ipſius Regis ad Alexandrum III. Hoc amplius mobilia Epiſcoporum ab inteſtato decedentium Reges Hungariæ ſibi vindicare ſolebant, *epiſtolâ* 43. *lib.* 14. *regiſtri* Innocentii III.

In Gallia non tantùm Reges, ſed etiam aliqui ex Ducibus & Comitibus, in quorum provinciis Epiſcopatus erant poſiti, idem jus præſumebant, *Tomo* 2. *Libertatum Eccleſiæ Gallic. tit.* 16. *num.* 1. & 4. Ivo Carnotenſis *epiſt.* 94. ad quam vide Juretum.

Hujuſmodi mobilium occupationes ab inteſtato, conceſſionibus ſingularibus certis Eccleſiis ab initio remiſſæ, tandem in deſuetudinem abierunt, tanquam Canonibus & æquitati contrariæ. Jure enim veteri communi Canonico, non tantùm bona inteſtatorum Epiſcoporum vel Clericorum; ſed etiam vacante Eccleſia, reditus omnes ſervandi erant ſucceſſori *can.* 25. Concil. Chalcedonenſis, quem Gratianus retulit *Diſt.* LXXV. *can. Quoniam quidam*, pleniùs *can.* 43. 46. 47. & 48. XII. *Quæſt.* 2. [qui ad explicationem & confirmationem *d. can.* 25. pertinent.] Quibus locis omnimodo direptiones mobilium defuncti Prælati ab inteſtato, non tantùm Laïcis, ſed etiam Epiſcopis, Capitulis & Clericis interdicuntur; non obſtantibus cujuſcunque temporis Conſuetudinibus.

Cùm verò rapacitas & licentia in multis Eccleſiis prævaluiſſet; idem jus iterum renovandum fuit *cap.* 40. *hoc tit. in* VI. & *cap.* 6. *de Electionibus in Clementinis.*

nia addidimus, ubi *de Inveſtituris* in fine. Adde *Capit. ſuper his de accuſationibus*, & Igneum in *repetitione* §. *non alias ff. ad S. C. Syllanianum pag.* 163. *num.* 325. & *pag.* 164. & *ſeqq.*

Vide Æ. le Maiſtre in *tractatu de Regaliis cap.* 1. in fine.

Vide *Supplementum* Matthæi Paris *fol.* 199. & veterem Philippi IV. Conſtitutionem de Regalibus anni 1302. ubi de modo utendi fruendi, & conſervandi boni viri arbitrio, apertè ſtatuitur.

Plurimùm ab illa corruptela differunt Regalium jura, vacantibus Eccleſiis, Regibus & Principibus competentia, ſummis rationibus munita, quas ſupra expoſuimus: ideoque ſæpiùs Pontifices Romanos probaſſe oſtendimus, & tandem generaliter in Concilio generali Lugdunenſi ſub Gregorio X. confirmata fuerunt *cap. generali* 13. *de Electionibus* in VI. Hujus Gregorii duas ſpeciales Conſtitutiones habemus, quibus Regum noſtrorum Regalia comprobavit, in *Tomo* 2. *Libertatum Eccleſiæ Gallicanæ cap.* 16. *num.* 18. *&* 19.

Hactenus per multa ſæcula, jura Regalium intacta & integra Reges noſtri retinuerant, etiam in Collatione Beneficiorum: donec Bonifacius VIII. infenſus Philippo Pulchro, *Regalia*, præſertim circa Collationes Beneficiorum, irrito licet conatu, revocare tentavit. Cujus contentionis occaſione rapta, utrinque vehementer de Juris Regaliorum originibus & cauſis certatum eſt.

Controverſiæ inſignis Acta nuper edita fuerunt, [curâ & ſtudio D. Vigor in Magno Conſilio Senatoris,] ex quibus quædam adſcribuntur ad *dictum cap.* 13. in *veteri editione Juris Canonici Pariſienſ. anni* 1520. unde in quaſdam alias poſtea derivata: quæ tamen in antiquioribus editionibus, maximè extra Galliam, imò & in editione Molinæi, deſiderantur. Quare imputandum nihil Romanis Correctoribus.

In dicto *cap.* 13. Gloſſa in dictione, *Regalia*, quæ tribuitur Joanni Andreæ, manca eſt. Omittit enim veram in illo *Capitulo* Regaliorum ſignificationem. Sic reſtituenda ex Archidiaconi integris Commentariis, quem Joannes Andreas ſequitur. *Dic Regalia, id eſt quæ capiunt Reges, vacante Eccleſia, ut patet in Francia Regno & Anglia. Nam illic vocantur Regalia, jura Regi in quibuſdam Eccleſiis vacantibus competentia; quibus de Prælato ordinatis, illa percipiunt Prælati, & non Rex.* Quæ poſtrema explicatio vera: omiſſa tamen in *d. cap.* 13. Reliqua aliò pertinent. Adde *cap. hoc conſultiſſimo de Rebus Eccleſiæ non alien. in* VI. cujus autor idem Gregorius X. Speculator *lib.* 4. *tit. ne ſede vacante*: [quod quidem poſtea fruſtra Bonifacius VIII. infirmare tentavit, præcipuè quod ad Collationes pertinet, ſicut conſtat ex *libro Actorum inter Bonifacium & Philippum Pulchrum.*]

Obſervandum ſummè, diverſo longè jure quàm Regaliorum (licèt quidam confundant malè) nempe jure fundationis [lege dicta in fundatione,] *Regibus & Principibus Patronis*, non autem Patronis privatis, competere plenum jus conferendi Dignitates & Præbendas [in Eccleſia Collegiata, v. g. in omnibus Sanctis Capellis regiis,] inconſulto etiam Epiſcopo: cujus juris mentio fit in *cap.* 5. *de Conſuetudine in Antiqua*, [quam vide. Pertinet verò ad Eccleſiam ſancti Petri de Curia Cenomanenſis. Gloſſa ad *Can. Imperium Diſt.* x. malè de Decanatu Andegavenſi intelligit, cujus errorem reliqui ſequuntur Interpretes. Vide Selvam *de Beneficiis parte* 2. *num.* 1. *&* 23. *Quæſt.* 23. *pag.* 426. *&* 438. Ejuſdem quoque juris meminit] *cap. dilectus* 34. *de Præbendis*, [& ibi Cujacius,] & *cap. ult. de Conceſſione Præbendæ*, in quo verbum, *Donationis*, ſicut & in d. *cap.*

Dilectus

Dilectus, non ſimpliciter ius præſentandi [& nominandi;] ſed plenum ius conferendi ſignificat: quibus iunge *cap. 40. de teſtibus & cap. 9. de renunciatione*. Quo iure hodie noſtri Reges vtuntur. [Vide Igneum in *repetitione ad §. non alias ff. ad S. C. Syllan. num.* 354. *& ſeq. & num.* 383. *& ſeq.* Coquillium ad *Niuernenſis Conſuetudinis articulum* 58. & Mareſchal Hum *de Iuribus honorificis pag. 27.*]

Quin & in huiuſmodi Collationibus, ius præuentionis, & Regulæ Cancellariæ ceſſant; niſi quatenus illa noua iura congruunt cum iure antiquo, & cum ratione.

Vide Molinæum ad *Pariſien. Conſuetudinis art.* 42. *Gloſſa* 1. *num.* 10. 11. *&* 12.

Quod ad Electiones verò pertinet: paulatim, & per partes iuri communi derogatum fuit.

Primò Populis omne Ius ademptum ſuffragij, & Regibus ſolis aſſenſus à Pontificibus, poſt Electionem factam relictus, vt diximus.

Poſtea, Ius Cleri valdè imminutum, per reſeruationes, quæ primò quidem in caſu vacationis in Curia irrepſerunt, ex antiqua Conſuetudine: quam etiamnum hodie ſibi Pontifices vendicant, non expectato aſſenſu Regio: [ſed fruſtra; noſtris Regibus ius ſuum acriter retinentibus.]

Huiuſmodi verò reſeruationum in ſingulari caſu vacationis in Curia, præter ea, quæ diximus, extant *Conſtitutiones* Clementis IV. & Gregorij X. in *cap. 2. & 3. de Prebendis in* VI. quas per interpretationem extendit Bonifacius VIII. *cap. 34. eodem tit.* & Ioannes 22. *cap. 4. de Electione in Extrauagantibus communibus.*

Vide ſupra pag. 156.

Ad alios caſus idem Ioannes XXII. & Benedictus XII. reſeruationes produxerunt *cap. 4. execrabilis, & cap. 4. ad regimen de Prebendis in Extrauagantibus communibus*, quæ à ſequentibus Pontificibus receptæ ſunt: eiſque primum locum, inter Regulas Cancellariæ dederunt. [Paulatim etiam ſpecialis alicuius Eccleſiæ Cathedralis prouiſionem ſibi reſeruare cœperunt, etiam ex quauis cauſa, vt loquitur Bonifacius VIII. in *cap. 45. de Electione* in VI.] Poſtremò generaliter omnium Cathedralium Eccleſiarum, & Monaſteriorum Dignitates ſibi reſeruarunt 2. 3. *&* 4. *Regula Cancellariæ in antiquis*, [quarum in Gallia nulla vnquam fuit autoritas.]

Concilio vero Baſileenſi *Seſſione* 12. *&* 23. huiuſmodi nouæ reſeruationes ſublatæ ſunt, & Electionum ius commune reſtitutum.

In Gallia ius Electionum ſemper retentum fuiſſe, ſupra docuimus: nec vnquam nouæ illæ Conſtitutiones, vel Reſeruationes locum habuerunt. Quin etiam in Pragmaticam Sanctionem tranſlata fuerunt Decreta Concilij Baſileenſis: & ſecundùm Pragmaticam Ordinationes Eccleſiarum per plures annos factæ; eligendi facultate priùs à Regibus impetrata, [*Tomo 2. Libertatum Eccleſiæ Gallicanæ tit.* 13. *num.* 10. *&* 11. *& tit.* 15. *num.* 59. *& ſeqq.*]

Pragmaticam ſæpiùs euertere conati fuerunt Pontifices *cap. 1. de Treuga & Pace in Extrauag. commun.* Tandem perfecit Iulius II. in Concilio Lateranenſi nouiſſimo: cui eodem tempore Concilium Piſanum oppoſitum. Vnde natæ graues controuerſiæ inter Pontifices & Reges noſtros, qui ſtrenuè, & diù jus ſuum aſſeruerunt,

tam *Ordinationibus*, quàm *Decretis* ſummi Senatus; quæ commodiùs repetes *ex tomo* 2. *Libertat. Eccleſiæ Gallicanæ tit.* 13. *num.* 10. & 11. & *tit.* 15. *num.* 59. 60. 61 62. & *ſeq.* Conſule *excepta ex Oratione* Prudentiſſimi viri Ioannis Iuuenalis des Vrſins in *Notis ad Hiſtoriam Caroli VI. nuper editam.*

Corruptelas & fraudes, quæ in electionibus à Clero & Populo ſolebant frequentari, eleganter deſcribit S. Chryſoſtomus *lib.* 3. *de Sacerdotio cap.* 15.

His litibus finis impoſitus per Concordata inter Leonem X. & Franciſcum I. plenitudine poteſtatis Regiæ tandem recepta; non habita ratione contradictionum, poteſtationum, & appellationum ad futurum Concilium. Notandum tamen in *cap.* 4. *de Ordine Seſſione* 23. Concilij Tridentini manifeſtè derogari Concordatis, ibi, *ſine ea ſit irrita* * *ordinatio.* Contrarium enim in Concordatis manifeſtè extati, primitur in *tit. de Electionibus* in fine, *decernentes Electiones, contra præmiſſa attentatas, nullas & inualidas exiſtere* Quod quidem præiudicium Regiis Nominationibus illatum pluribus proſequitur Molinæus in *Conſultat. ſuper Concilio Tridentino num.* 34. 35. & *ſeqq.*

Quare non malè hodie vni tantùm Regi & Pontifici Electio permittitur.

* Poterit tamen commodiùs hic locus Concilij explicari, ſi Petri Gregorij Toloſani reſponſionem ad Molinæum conſulas, & excutias diligenter.

Quinimo Ius vetus, etiam poſt Concordata, in *Aurelianenſibus Comitiis* reuocatum fuit *artic.* 1. [ſecundùm Nouellas Iuſtiniani: quem *articulum*] illuſtrant valdè ea, quæ ſuprà notauimus [ex *dictis Nouellis pag.* 116.] & *cap.* 14 *de Electione:* [& quæ doctiſſimus Habertus notat ad *Pontificale Eccleſiæ Græcæ pag.* 482. & *ſeqq.*]

Vide eundem Habertum ad *Pontificale Eccleſiæ Græcæ pag.* 430. & *pluribus ſeqq.* maximè. *pag.* 470. & 485. & *ſeqq.*

Poſtremò in Patriarchæ Conſtantinop. Electione, de qua in *cap.* 40. *hoc tit.* etiam ante Conſtantinopolim à Gallis & Venetis expugnatam, ſimilis Conſuetudo inualuerat: & retenta eſt, poſt expulſos à Græcis Gallos & Venetos. Itémque ab Imperatoribus Conſtantinop. ius tradendi Baculi paſtoralis vſurpatum: Δικανίκιον, Baculum, ſiue Ferulam paſtoralem vocant. Imperator electum Patriarcham in poſſeſſionem inducebat, dato Pedo paſtorali. Vide Codinum Curopalatam *cap.* 20. Περὶ προβλήσεως Πατριάρχου, καὶ περὶ χειροτονίας τοῦ αὐτοῦ, καὶ ἄλλων Πατριαρχῶν τε, καὶ Ἐπισκόπων. Pluribus eruditè confirmat in *Commentario ad Codinum* Iacobus Gretſerus; qui & rectè, πρόβλησιν, diſtinguit à χειροτονίας, quæ illo loco ſignificat Conſecrationem. Nam ab Epiſcopo Heracleæ, * cui olim ſuberat Epiſcopus Conſtantinopolitanus conſecrari ſolet Conſtantinop. Patriarcha: præcedente tamen προβλήσει ſolemni Imperatoris, per traditionem Baculi paſtoralis, * cùm hac formula, ἡ ἁγία Τριὰς, διὰ τῆς παρ' αὐτῆς δωρηθείσης ἡμῖν βασιλείας, προβάλλεταί σε Ἀρχιεπίσκοπον Κωνσταντινουπόλεως, καὶ Οἰκουμενικὸν Πατριάρχην. Ante πρόβλησιν ſolemnem, qua publicè iterùm confirmatur Electio, appellatur Ὑπόψηφος, * [vel Ὑποψήφιος], id eſt, Electus tantùm. Vide ibi Gretſerum. Idem in reliquis Patriarchis.

Προβάλλω, præpono, præficio. Differentiam inter πρόβλησιν & χειροτονίαν explicat rectè ibidem Habertus *pag.* 492. & *ſeq.*

* Vide Philoſtorgij *hiſt. lib.* 9. *cap.* 10. & in *Diſſertationibus pag.* 382.

* Vide quæ *in Pontific. Eccl. Græcæ ad ritum Electionum* idem Habertus ſcripſit.

* Vide quæ notauit idem Habertus ad *d Pontificale pag.* 34. & 35.

Addamus

Addamus locum Antiqui Scriptoris, relatum à doctiſſ. Bongarſio in *Præfatione ad Geſta Dei per Francos*. Agebatur de Electione Patriarchæ Hieroſolymitani: *Iuxta morem vniuerſi Orientis*, ait, *Regi nominatos duos fuiſſe, Guillelmum Tyrlum, & Heraclium* quendam: qui poſtremus, à Rege probatus, & prælatus Guillelmo. Quæ omnia conueniunt optimè cum his quæ ſupra de Electionibus, & Inueſtituris diſſeruimus.

De Beneficiis Electiuis & Collatiuis, & de huius differentiæ origine.

[Quæritur quænam ſint beneficia verè electiua, & quænam electiua & collatiua ſimul. Quæ quæſtio tractatur ad *cap. 41. ne pro defectu*, & ad *cap. 42. quia propter hoc tit.* maximè verò ad *cap. quam ſit 6. eod. tit. in* VI. quod *capit.* ſumptum eſt ex Concilio generali Lugdunenſi ſub Gregorio X. Et quidem paſſim aiunt Interpretes, electiua verè dici ea beneficia, quorum vacatione adueniente dicitur Eccleſia viduata ſponſo, quales ſunt non tantùm Epiſcopatus, ſed etiam Decaniæ & Præpoſituræ, ſiue primæ Dignitates Eccleſiarum, ſeu Cathedralium, ſeu Collegiatarum, ſeu Conuentualium, in quarum Electionibus ſupra dicta *capitula 41. & 42. de Electione & cap. quam ſit* ſeruari debent. In reliquis verò Dignitatibus inferioribus dictarum Eccleſiarum non tanta requiritur ſolemnitas; nec in his confirmatio requiritur, nec forma *dicti cap. quia propter.* Quamuis enim per Electionem minùs ſolemnem conferri aliquando ſoleant; Collatiuæ tamen potiùs, vel Electiuæ & Collatiuæ ſimul dicuntur. Et hanc diſtinctionem ex mente *dictorum cap. 41. & 42.* primus induxit Innocentius IV. *initio d. cap. quia propter* Et meritò. Illud quippe beneficium, vel Dignitas, ad cuius electionem ſimplicem, ſeu nominationem quis aſſumitur ſine ſolemnitate, ſeu confirmatione Superioris, non debet dici propriè electiuum, ſed potiùs collatiuum; cum in talibus per electionem minus ſolemnem ius pleniſſimum quæratur. Vide *Deciſiones Rotæ antiquæ in tit. de Electionibus pag. 367.* & in *nouis eod. tit. pag. 58. & ſeqq. Gloſ. Pragmaticæ ſanctionis tit. de Elect.* in verbo *pro quocumque Prælato*; & apertiùs in *d. tit. §. quibus*, ibi. *Collegiatis Eccleſiis:* vbi ait, iſtas tantùm inferiores Dignitates, & præbendas, quæ ſunt electiuæ & collatiuæ, Nominationibus & Graduatis eſſe obnoxias; in primariis autem Dignitatibus & verè electiuis ius Graduatorum ceſſare. Ita enim intelligit ea verba *Dignitatibus electiuis* in d. §. *quibus*. In *tit.* verò *de Collationibus §. in Dignitatibus* reſtringit ea verba, *in Dignitatibus electiuis*, quæ de Graduatis loquuntur. In his enim liberam manere electionem voluit Pragmatica. Et certè illa verba, *Dignitatibus Electiuis*, ſecundùm titulum *de Collationibus*, ſub quo ponuntur, explicanda ſunt de Electiuis & Collatiuis ſimul; in quibus tantùm Dignitatibus, inferioribus ſcilicet, & Præbendis locum habet Nominatio, *Gloſſa Pragm. Sanctionis ibid.*

Poſtea in *Concordatis* omnis dubitationis tollendæ cauſa, *Electiuarum* verbum ſublatum eſt in *tit. de Collationibus §. præfatique Ordinarij*, & notat Probus ad *Pragmaticam dicto loco*; vbi in additionibus Eccleſiæ Gallicanæ ad Concilium Baſileenſe in *d. tit. de Collatio. §. item placuit*, etiam Dignitatum electiuarum omiſſa eſt mentio. Rebuffus in *Concord. tit. de Regia ad Prælaturas Nominat.* verbo, *verè electiuis*, &

in *Praxi de Electione*, vbi ſic loquitur. *Altera eſt electio, qua non exigit Confirmationem, ſed Canonici, vel alij eligendo conferunt: & hæc viam Collationis habet.* Quod ex Gloſſa Pragmaticæ ſumpſit *tit. de Electione §. ſed quod per Electiones.* Vide eundem Rebuffum plenius in eam ſententiam in *Concord. tit. de Collationibus §. Præfatique Ordinarij* in verſiculo, *omnium Dignitatum*; vbi de Collationibus omnium Dignitatum, id eſt Collatiuarum, vel Electiuarum & Collatiuarum ſimul, de quibus tantùm agitur *eo titulo*; cum de verè electiuis actum ſit *tit. de Regia ad Prælaturas nominatione.* Quod & idem Rebuffus confirmat ad *d. §. Præfatique Ordinarij*, verbo *Dignitates.* Obſerua prætereà præuentiones & mandata Apoſtolica habere locum, ſicut & reſignationes, in Dignitatibus non verè Electiuis, v. g. in maioribus poſt Pontificales ex *Concordatis. §. per præmiſſa tit. de Regia ad Prælat. Nominat.* & ibi Rebuffo. Nec contra Papam conqueri poſſunt Electores: quod decretis Curiæ firmatum, Rebuffus ibid. & Choppinus *lib. 1. de ſacra Politia tit. 2.* Legato tamen Apoſtolico idem non conceditur, ſed ſoli Pontifici *cap. 4. de officio Legati*, Pithœus *Libertatum Eccleſiæ Gallicanæ art. 63. & ſeqq.*

AD TIT. VII.

DE TRANSLATIONE EPISCOPI, (VEL ELECTI.)

TRACTATVS VII.

COHÆRET hic Titulus cum præcedentibus. Tractat generaliter *de Tranſlatione Epiſcoporum, vel conſecratorum; vel electorum, & confirmatorum tantùm, nondum tamen conſecratorum*: de quibus ſpecialiter ſtatim in duobus *primis capp. huius tit.* agitur. In *titulis* præcedentibus *de Poſtulationibus, & de Electione* ſæpiùs mentio ſit Tranſlationis, vt attigimus in *tit. de Poſtulationibus*: item in *tit. de Electione* ſæpè occurrit mentio Tranſlationum *cap.* 2. 4. *&* 13. quod deſumptum eſt ex *epiſtola* 14. *libri* 5. *Regiſtri* Innocentij III. nondum editi; in qua iura Tranſlationum, his verbis exponuntur. *Nobilem virum, Philippum Ducem Suauiæ moneatis, vt ſe prædicto Archiepiſcopo non opponat, quominùs Moguntinam Eccleſiam, tam in ſpiritualibus, quàm in temporalibus ſalubriter valeat gubernare: alioquin cum nullus Princeps Epiſcoporum Tranſlationi ſe vnquam præſumpſerit immiſcere, Eccleſiaſticam libertatem in hoc, & Sedis Apoſtolicæ dignitatem, quæ à Prædeceſſoribus noſtris ad nos hactenus emanauit, nullatenus patiemur infringi*: qua de re infra videbimus.

Quin & aliquando concurrunt ſimul Poſtulatio, & Electio, & Tranſlatio, vt in eleganti *ſpecie cap.* 40. *de Electionibus*; quam poſt explicationem *capitulorum huius tit.* ſubiiciemus.

Hunc verò ordinem ſequemnr. Incipiemus à iure veteri. Progreſſum, & immutationem ſubdemus. Deſinemus in explicatione vſus, tam Gallicanæ, quàm aliarum quarumdam Eccleſiarum.

Origo, & progreſſus Tranſlationum, in Eccleſia Occidentali & Orientali.

AD TRANSLATIONES, & mutationes Sedium, pertinent antiqui canones multi. Sed primus omnium occurrit *can.* 15. Concilij Nicæni, cuius ſententiam explicat factum * egregium Euſebij Pamphili Cæſareæ Epiſcopi, qui noluit transferri Antiochiam, licet à Populo peteretur, & Imperatoris Conſtantini, & Epiſcoporum gratiâ niteretur. Obiecit ſcilicet *dictum can.* 15. Concilij Nicæni, in Concilio quodam Antiochiæ celebrato, paulò poſt Concilium Nicænum, ante aliud Concilium ibidem celebratum, quod vulgò *in Encæniis* appellatur, & ante Sardicenſe, Sozom. *lib.* 2. *cap.* 18. Theodoretus

* De quo vide acta & epiſtolas Conſtantini *lib.* 3. *de eius*

vita cap. 57. 58. 59. & 60.

lib. 1. *cap.* 22. Niceph. *lib.* 8. *cap.* 45. *ſub finem*. [In eo priori Concilio Antiocheno cum præualerent Ariani, Euſtathius Antiochenus Epiſcopus depoſitus eſt, & in exilium eiectus ſub Conſtantino, ac deinde iterum in exilium pulſus ſub Conſtantio. Quin & in eius locum, cùm Euſebius Pamphili in Sedem Antiochenam transferri recuſaſſet, ſuffectus quidam Euphronius. Qui quidem Euſtathius tertiò tandem Biſyam Thraciæ relegatus eſt à Valente. Plura quippe Euſtathij exilia diſtinguenda ſunt. Quare fallitur Baronius, qui Euſtathium vult depoſitum, & eiectum fuiſſe ſub Conſtantio, non ſub Conſtantino. Tria namque exilia paſſus eſt Euſtathius, ſub Conſtantino, ſub Conſtantio, & ſub Valente. Aduerte verò Euſebium *lib.* 3. *de vita Conſtantini cap.* 57. & *ſeq.* ne ipſius quidem nominis Euſtathij per odium meminiſſe. De quo Euſtathio vide Athanaſium *pag.* 547. & 629. *tomo* 1. & quæ *ad Philoſtorgium* notauit Gothofredus *pag.* 14. 48. & 50. & in *notis pag.* 60. 61. 62. 155. & 165.] Græci porrò Interpretes *dictum canonem* 15. Concilij Nicæni, non intellexerunt liquidò.

Ad firmandam & ſanciendam illius *can.* 15. obſeruationem, videntur iterum promulgati *can.* 1. & 2. Concilij Sardicenſis.

Hoc *cap.* 2. iterum explicatur ad *calcem huius Tractatus*.

Ex hoc *cap.* 2 deſumptum eſt eſt *cap.* 2. ſupra *de Electione*, quod ad Electiones non pertinet, ſed ad Tranſlationes Sedium: quibus iunge *canonem* 17. Concilij Ancyrani *can.* 16. 18. & 21. Concilij Antiocheni, & *can.* 5. Concilij Chalcedonenſis, iuncta omnino *Actione* XI. eiuſdem Concilij: & *canonem* 17. & 18. Synodi in Trullo; quorum plerique referuntur à Gratiano *Cauſa* VI. *Quæſt.* 6. *can.* 19. 25. 26. 27. & *paſſim*: ex quibus colligimus, Concilio Nicæno, & Sardicenſi, generaliter & abſolutè, omnes Sedium mutationes, Tranſlationes, & migrationes fuiſſe prohibitas: non tantùm Epiſcopis; ſed etiam Preſbyteris & Diaconis. Sardicenſi autem grauiori ſanctione, & pœna coërcitas, in odium maximè Arianorum, qui crebris mutationibus, & Tranſlationibus, eo tempore, omnes Orientis Eccleſias perturbabant; tum ambitione, tum auaritia ducti; tum etiam, vt hæreſim ſuam latiùs ſpargerent: exemplum ſecuti ducis Euſebij, qui primùm Beryti Epiſcopus; deinde Epiſcopatum Nicomediæ; poſtea Conſtantinopolis ambiuit & obtinuit, ope Imperatoris Conſtantij, apud quem gratia plurimum valebat.

Eudoxij putà, Demophili & aliorum, de quibus vide *hiſtoriam* Philoſtorgij, & eius *Diſſertationes pag.* 382. & 385. Itemque Habertum in *Pontificali Eccleſia Græca*, vbi *de Electionibus ſub Conſt.nt.o.*,

QVINETIAM depoſitis Epiſcopis Orthodoxis, aliquando relegatis, imò & necatis, in eorum Epiſcopatus transferebant Ariani ſuarum partium Epiſcopos: vt conſtat ex *Epiſtola* Synodi Alexandrinæ, relata ab Athanaſio in 2. *Apologia de Fuga ſua*, & in *epiſtola ad vitam ſolitariam degentes tom.* 1. quibus adſtipulantur, poſt diligentem cauſæ cognitionem, Epiſcopi Concilij Sardicenſis, in *Synodicis Epiſtolis Græcè & Latinè editis*, præcipuè *ſub finem*; in quibus etiam pœnam grauiſſimam *dicti canonis* 2. in Euſebium, & aliquot Arianos, communi ſententia Patrum pronunciatam reperimus. Ita Patres loquuntur in *Synodica Græca*, ἐκρίναμεν μὴ μόνον αὐτοὺς ἐπισκόπους μὴ εἶναι, ἀλλὰ μηδὲ κοινωνίας μετὰ τῶν πιστῶν αὐτοὺς χρηματίζειν. in Latina, quam coniiciunt authenticam, *ſeparari ab Eccleſia Catholica, & alienos eſſe à no-*

mine Chriſtiano. Quod & in *dicto can. 2. ne Laicam quidem communionem habere.*

Quare fruſtrà *Auxilius, Autor M S. quem ex Bibliotheca Papyrij Maſſoni nactus V. C. Andreas Du Cheſne, benignè nobis communicauit*, in *Tractatu*, quem ſcripſit eo tempore Leoni Nolano Epiſcopo, tam ad defendendam cauſam Formoſi Romani Pontificis, quàm Ordinatorum à Formoſo, qui tranſlatus fuerat è Portuenſi Eccleſia in Romanam; in illo, inquam, *Tractatu* fruſtra Oſium increpat, & tanquam Nouatianum traducit, & reliquos Epiſcopos, quorum communi conſenſu canones illi fuerant editi. Nam in Conciliis Romæ, & Rauennæ habitis, eodem tempore, ſub Ioanne IX. in ipſius Formoſi cauſa, nominatim probantur illi canones, & verba referuntur; illa maximè, quæ notauit Auxilius, non ſolus, ſed & alij multi, & pars maxima Interpretum *ad d. capitulum 2. de Electione:* cuius *cap. 2.* interpretationem in fine huius Tractatus ſubiiciemus. Verba Patrum in cauſa Formoſi hæc ſunt. *Quia neceſſitatis cauſa, de Portuenſi Eccleſia Formoſus, pro vita merito, ad Apoſtolicam ſedem prouectus eſt; ſtatuimus, & omnino decernimus, vt id in exemplum nullus aſſumat: præſertim cum ſacri canones hoc penitus interdicant, & præſumentes tanta feriant vltione, vt etiam in fine Laicam eis prohibeant Communionem.*

Antiochenæ vero Synodi canones, non abſciſsè & generaliter, Tranſlatioues omnes & mutationes reiiciunt, ſed cum temperamento aliquo. Referuntur & Nicæni, & Antiocheni canones in Synodo Romana *anni* 853. ſub Leone IV. in depoſitione Anaſtaſij, Preſbyteri Cardinalis Tituli ſancti Marcelli; cuius mentio in *cap. 2. infra de Cleric. non reſid.* qui & Leo IV. Antiochenos canones probauit, *can. 1. Diſt.* XX. vt alio loco oſtendimus.

Notandum tamen Synodum Antiochenam, in qua illi canones editi, habitam fuiſſe ab Orientalibus tantùm Epiſcopis Semiarianis: nullos ex Occidente interfuiſſe. In qua Synodo depoſitus Athanaſius, & multi canones oblique compoſiti, tam in Athanaſium, quàm in alios Orthodoxos: quibus poſtea Patres Sardicenſes canones contrarios ediderunt; vt ex hoc articulo, & ex comparatione canonum vtriuſque Synodi colligere facile eſt; potiſſimùm verò ex Nicephoro *lib. 9. Hiſtor. Eccleſ. cap. 13. pag.* 701. Nec alia ſolutio quærenda videtur: pugnant enim manifeſtiſſimè canones Antiocheni cum Sardicenſibus.

Non omnes Ariani: imò ex 97. triginta ſex tantùm Arianiſmo infecti adfuerunt, Iulius in *epiſt. ad Orientales*, Athanaſius *apologia 2.* Et Hilarius *de Synodis*, Synodum Sanctorum vocat Antiochenam, & Baſilium, qui interfuit, ſanctiſſimum virum. Poſtea tamen ſententiam mutauit Hilarius. Vide infra, vbi *de origine & cauſa diſſidij inter Orientalem Eccleſiam & Occidentalem.*

Et quidem meritò improbatas fuiſſe Tranſlationes omnes illo tempore, iudicabit, quicumque perpendet tumultus, & turbas ex depoſitionibus, Tranſlationibus, & mutationibus Epiſcoporum exortas; maximè in dicto Concilio Antiocheno. Qua de re vide Socratem *lib.*

Tranſlationum abuſus ſicut in Occidentali, ita & in Orienta-

taliEccleſia frequentes refert Allatius *de Eccleſiæ Occidentalis & Orientalis conſenſione p. 1147. & ſeq.*

2. *cap.* 5. & 6. & Sozomenum *lib.* 3. *cap.* 4. & 5. & ex his conflatam *Tripartitam*, & Nicephorum.

Sicut autem Occidentis Epiſcopi Antiochenos canones in pleriſque reſpuebant; ita Orientis Epiſcopi Sardicenſes canones non admittebant facilè.

Quinetiam non multò poſt Sardicenſe Concilium, Gregorij Saſimorum primùm Epiſcopi, vt ipſe Gregorius docet *epiſt.* 42. in Sedem Conſtantinopolitanam Tranſlatio, licèt ex iuſtâ causâ, & communi decreto plurium Epiſcoporum, improbata tamen fuit à pleriſque Epiſcopis, in Concilio Conſtantinopolitano I. vt ex Socrate, & Sozomeno diſcimus. Et ex *Catalogo Conſtantinopolitanorum Epiſcoporum*, apud Leunclauium in *iure Orientali*, nominatim Ægyptios Epiſcopos eam improbaſſe conſtat: imò & Occidentales in Italiæ Synodo habitâ poſt Synodum Conſtantinopolitanum, cui præerat Ambroſius. Ita enim loquuntur Patres in Synodicâ. *Reuera aduertebamus Gregorium nequaquam, ſecundùm traditionem Patrum Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ ſibi Sacerdotium vindicare.* De ſpontaneâ abdicatione Gregorij Nazianzeni, ex ipſius ſcriptis, vide quæ pleniſſimè collegit illuſtriſſimus Barouius ad *annum* 381. *num.* 53. 54. 55. & *ſeq.* Adverſarij Gregorij allegabant canones Nicænæ & Sardic. Synodi, quibus indiſtinctè omnes Tranſlationes prohibebantur: quos canones Eccleſia Gallicana olim agnovit, & retulit in Concilio Arelatenſi IV. *can.* 13. *Nullus cuiuſque ordinis Clericus, non Diaconus, non Presbyter, non Epiſcopus, quacumque occaſione faciente, propriam relinquat Eccleſiam; ſed omnimodis excommunicetur, aut redire cogatur.*

Epiſtola Concilij Italiæ *vltima, in appendice Codicis Theodoſiani.*

Fverit hæc vera, & ſimplex Conciliorum dictorum ſententia. Temporum neceſſitati, & imminentibus periculis, accommodata eſt poſtea indulgentia quædam; vt tam ſecundùm Antiocheni Concilij canones, quàm vſum veterem, ante Nicænam Synodum aliquando vſurpatum, ex iuſtâ causâ, Tranſlationes admitterentur; causâ diligenter cognitâ, quoties neceſſitas, vel vtilitas Eccleſiarum flagitaret. Alioquin reiiciebatur, & ad priorem Sedem, tanquam fugitiuus retrahebatur, Liberatus in *Breuiario cap.* 21. *Petentibus Principibus, vt Anthimum Papa* (Agapetus) *in ſalutatione & communicatione ſuſciperet: ille fieri inquit poſſe, ſi ſe libello probaret Orthodoxum, & ad Cathedram ſuam reuerteretur. Impoſſibile eſſe aiebat, Translatitium hominem in illâ Sede permanere.* Vide *Nov.* 42. *de Depoſitione Anthimi.*

Ex iuſta cauſa Tranſlationes factas comprobat Nazianzenus in *verſibus Scholio* 155. *pag.* 1343. *tomo* 2. *in notis.*

Cauſæ autem cognitio habebatur, in Concilio perfecto, ſiue pleno, πλεία Συνόδῳ, id eſt totius Prouinciæ, præſente Metropolitano, ſecundùm canones Antiochenos ſupra citatos: quos notandum fuiſſe confirmatos, *canone* 5. Concil. Calchedonenſis, ſi comparetur cum *Actione* XI. & XII. eiuſdem Concilij, in quâ recitati ſunt dicti canones Antiocheni, in causâ Stephani & Baſſi, & ſecundùm illos pronunciatum.

Eadem œconomiæ, ſeu diſpenſationis ratione, rectè Iuo Carnotenſis, in *Præfatione* doctiſſima Decreti ait, *Romanos Pontifices, Tranſlationes, quæ diſtrictè Apoſtolicis, & Canonicis ſanctionibus prohibitæ ante fuerant, maiori Eccleſiæ vtilitati conſulentes, fieri permiſiſſe.* Rectiùs, & ſinceriùs, vt conſtat ex his, quæ diximus, quàm Balſamo, & Græci recentiores, qui com-

menti ſunt diſtinctionem, inter ἐπίβασιν *Inuaſionem*, μετάβασιν *Mutationem*, & μετάθεσιν *Tranſlationem*. Nec enim ex canonum verbis diſtinctio poteſt elici.

Accommodata tamen eſt poſterioribus canonibus: nec tantùm ab Interpretibus Græcis, & Latinis; ſed etiam multis *Epiſtolis* Pontificum, & Conciliis comprobata fuit.

Quamuis tandem hæc ita conſtituta ſint, & vſu recepta; non tamen ſine grauiſſimis controuerſiis huiuſmodi Tranſlationes, contra Canones admiſſæ fuerunt. Exemplum inſigne ſuprà retulimus de Gregorio Nazianzeno, cuius Tranſlationem improbatam fuiſſe, tam ab Occidentalibus, quàm ab Epiſcopis Ægyptiis diximus: ideo ab Ægyptiis, quia ſicut Meletius Patriarcha Antiochenus è Saſimorum Epiſcopatu Gregorium, Nazenum dictum tranſtulerat Conſtantinopolim; ita & [Petrus,] * Maximum quendam Epiſcopum Conſtantinopolitanum ordinauerat. Videndus Socrates *lib. 5. cap. 5. in fine, & cap 7.* vbi Interpres non intellexit hæc verba, ὡς εἴη ὑπερόριος. Ita verte, *quod fines Diœceſeos ſuæ tranſiliiſſet* Gregorius, tranſlatus Saſimis Conſtantinopolim. Idem Socrates *cap. 8. eiuſdem libri* 5. vim dictionis ſatis exprimit apertè; & *canon* 2. Concilij Conſtantinopolitani: quibus adde Sozomenum *lib. 7. cap. 9. Catalogum Patriarch. Conſtant. in Iure Orientali* Leunclavij, & Nicephorum *lib. 12. c.* 10. 11. *&* 13. Tripartita etiam *hiſtoria* fallitur in illa dictione, ὑπερόριος. Per factionem tamen non tantùm Ægyptiorum, ſed etiam quorumdam Occidentalium, quorum non ſemel ſupercilium perſtringit, queritur ſæpiùs hæc omnia peracta Gregorius Nazianzenus, & Canonum Nicænorum, & Sardicenſium autoritatem non obſcurè eleuat, mentem, & ſententiam potiùs, quàm verba inſpiciens; ſicut & Meletius, qui Gregorium tranſtulerat, Socrates *lib. 5. cap. 7. &* 8. apertiùs Theodoret. *lib. 5. cap.* 8. Sozom. *lib. 7. cap. 7. &* Nicephorus *lib. 12. cap.* 10. *&* 11. Saſimorum Epiſcopum ordinatum fuiſſe Gregorium diximus ex eius *epiſtola* 42. & pleniùs, *verſibus de vita ſua*; Nazianzi nunquam; ſed tantùm in Epiſcopatu Nazianzeno, patris ſui Gregorij Adiutorem fuiſſe, rectè aduerſus vetuſtum errorem illuſtriſſimus Baronius probauit *Tomo* 4. *Annal. ad annum* 371. *num.* 106. *&* 107.

Non tranſtulerat; quandoquidem nunquam Saſimis ſedit; imò ea nec ſalutavit. Vide infra *ad cap. 2. de Electione, circa initium.*

* Supra *pag.* 140.

Iterùm eadem controuerſia renouata eſt in Tranſlatione Procli, qui priùs Cyzicenus fuerat Epiſcopus. Bis enim petita fuerat, & tandem obtenta. In qua obtinenda notandum Celeſtini autoritatem plurimùm valuiſſe, vt docet Socrates *lib. 7. cap.* 34. 35. & 40. *&* ex eo Nicephorus: cui tamen loco ut veritas conſtet; ponendum eſt, Celeſtini litteras ſcriptas fuiſſe ſtatim poſt depoſitionem Neſtorij, ante Maximiani Ordinationem, qui prælatus eſt Proclo ab illis Epiſcopis, qui objiciebant Proclo canones ſupra expoſitos, quibus Tranſlationes prohibebantur: mortuo verò Maximiano, Theodoſij Iunioris autoritate & gratiâ: qui prudentior factus, ob primam repulſam, repentinam Electionem, & Tranſlationem Procli fieri curavit, ut ſuperiori titulo diximus; nondum humato Maximiano. Qua in re Celeſtini, licèt demortui, literas & autoritatem obtendit Theodoſius. Hæc vera videtur mens Socratis, quam etiam expreſſit Nicephorus *lib.* 14. *cap.* 37. *&* 39.

Procli propriè loquẽdo Tranſlatio nulla fuit. Deſtinatus enim Cyzico à Siſinnio Epiſcopo Conſtantinopolitano, à Cyzicenis admiſſus non eſt, nec ſedit vnquam, Socrates *lib. 7. cap.* 28.

Nec tamen inficiandum, ante Gregorium & Proclum, multos Epi-

ſcopos, per vniverſum orbem, iuſtis ex cauſis, fuiſſe tranſlatos. Refert aliquos Socrates *lib. 7. cap. 55.* & ex eo *Hiſtoria Tripartita*, ex qua Auxilius in *Tractatu ſpeciali, de Formoſi Tranſlatione*, Burchardus *lib. 1. cap. vlt.* Iuo in *præfatione Decreti*, & Anteri, [ſuppoſita] *epiſtola can. 34. Cauſa* VII. *Quæſt.* 1. quæ & refertur in *epiſtola* Adriani II. *ad Synodum Duziacenſem tomo 3. Conciliorum Galliæ.*

Multò plura exempla addiderunt Anonymus Autor in *Iure Orientali* Leunclauij, & Nicephorus *Eccleſiaſticæ hiſtoriæ lib.* 14 *cap.* 39: qui & in fine meminir *Epiſtolæ* Anteri, & Calixti Romani Epiſcopi *in ſuis Decretis cap.* 2. ita enim legendum; malè apud Nicephorum, *Celeſtinus in ſuis Decretis*: locus integer extat apud Gratianum *can.* 39. *dicta Cauſa* VII. *Quæſt.* 1.

Notandum tamen, falſam eſſe, & ſuppoſitam Anteri Epiſtolam. Quod enim ait, Euſebium de quadam parua ciuitate, Apoſtolica autoritate, mutatum fuiſſe Alexandriam, falſum eſt. Nullus enim inter Alexandrinos Patriarchas eo nomine appellatut in *Catalogo*, qui in *fine* Theodoreti *hiſtoriæ* ſubiicitur, in *MS.* Nec reperitur in *fine Chronologiæ* Nicephoti. Præterea Euſebius, cuius meminit, fuit Signifer Arianæ factionis. Ita enim nominatur ab Hieronymo, in *ſupplemento Chronici* Euſebij; quem in Concilio Antiocheno in locum depoſiti Athanaſij, Epiſcopum Alexandrinum Ariani conſtituerant. Sed cum intelligeret, ſe non acceptum fore Alexandrinis, recuſauit Epiſcopatum Alexandrinum, & in Emiſenum Tranſlatus eſt. In *dicta* verò *epiſtola* præposterè fingitur ab Emiſa Tranſlatus Alexandriam. Præterea iſta Tranſlatio poſt Anterum mortuum facta eſt; nempè ſub Iulio Pontifice: nec Apoſtolica autoritate, ſed Euſebij tunc Conſtantinopolitani Epiſcopi. Felicis autem Tranſlatio Epheſum, cuius *dicta Epiſtola* meminit, incognita eſt. Clauſula vero illa, *autoritate huius ſanctæ Sedis*; & in fine, *non tamen ſine Sacroſanctæ Sedis Romanæ autoritate*, inſititia eſt, & deſideratur, tam in *dicta epiſtola* Hadriani apud Burchardum *lib. 1. cap. 77.* quàm apud Iuonem *parte 5. Decreti cap. 183.* & Nicephorum: quod & Romani Correctores notarunt. Legitur ſimpliciter, *Sacerdotum, & Populorum Concilio Tranſlatus eſt Epiſcopus.* Falſæ ſimiliter videntur meritò Calixti II. & Pelagij II. *epiſtolæ*, quæ referuntur in *eadem Cauſa, & Quæſtione.* Vide Socratem *lib. 2. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cap. 6.* & ex eo Nicephorum *lib. 9. cap.* 5. Erroris cauſam dedit Pſeudanthero *Tripartita*, quæ *lib. 4. cap.* 9. generaliter, *Euſebium cognomento Emiſenum, conſtituerunt Epiſcopum in Alexandria*; quaſi fuiſſet Epiſcopus Emiſenus, priuſquam transferretur Alexandriam.

Ex *locis* itaque *ſupra citatis*, & ex *canonibus* 30. 35. & 37. *Cauſa* VII. *Quæſt.* 1. Colligimus progreſſum huius Iuris, qui eſt huiuſmodi Ante Nicænum Concilium, circa mutationes, & Tranſlationes Epiſcoporum, & Clericorum, iure incerto vtebatur Eccleſia: quoniam ad conſtituendam, firmandam, & propagandam fidem, plurimùm conducebant huiuſmodi Tranſlationes: quo referenda exempla Petri, qui ex Antiochia, ſe tranſtulir Romam; Narciſſi Epiſcopi Hieroſolymitani, qui non tantùm tranſtulit alterius Eccleſiæ Epiſcopum, ſed etiam ſibi

ſibi in Epiſcopatu ſocium coniunxit, teſte Euſebio *lib. 6. cap. 9. Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ.*

Quæ duo poſtea canonibus Nicænis prohibita fuerunt, 8. *in fine*, 15. & 16. Multa enim primis ſæculis, diuinâ gratiâ, & diſpenſatione fiebant, quæ deinde in exemplum trahi non oportere, docuerunt pericula de nouo emergentia, vt ſupra oſtendimus.

Poſtea modus certus impoſitus eſt Tranſlationibus. Admiſſæ fuerunt iuſtis ex cauſis, propter vtilitatem, vel neceſſitate Eccleſiarum, cauſa priùs cognita in pleno Concilio Prouinciæ, Metropolitano præſente, & totius Prouinciæ Epiſcopis, ad petitionem eorum, quibus ius eligendi competebat.

Procedente tempore, Patriarchæ primùm confirmandi, deinde faciendi Tranſlationes poteſtatem, conſuetudine, & longo vſu ſibi vindicauerunt. Huiuſmodi Tranſlationum, à ſingulis Patriarchis, intra fines ſui Patriarchatus exempla paſſim occurrunt, locis citatis, longè ante ſchiſma inter Eccleſiam Occidentis, & Orientis.

Potiori ratione Romanus Pontifex, qui reliquis Patriarchis præſidet, ſimilem in ſuo Patriarchatu autoritatem exercuit ab antiquo. In ſuo inquam Patriarchatu, qui latiſſimè patet; adeò vt non tantùm Occidentem, ſed etiam vtrumque Illyricum, Occidentale & Orientale contineat. In vtriuſque Illyrici prouinciis Sedis Apoſtolicæ vices Theſſalonicenſis Epiſcopus gerebat.

Eſt autem Theſſalonica, Macedoniæ primæ, ſiue Conſularis, Metropolis; quæ poſtea cum multis aliis Prouinciis, à Sede Apoſtolica, [licet ei ſubiecta ab anno Domini 378.] auulſa fuit, potentia & autoritate Imperatorum Conſtantinopolitanorum, qui Patriarchæ Conſtantinopolitano attribuerunt: ſicut antiquæ *Notitiæ Græcorum* notauerunt, & Miræus in *Notitia Epiſcopatuum Orbis Chriſtiani;* cautè tamen legendus, quia ſæpè labitur: iunge Leunclauium in *Iure Orientali pag.* 101. & Sirmondum in *Propemptico parte 2. cap.* 10.

Adde Leonem Allatium *lib. de Conſenſione Occidentalis & Orientalis Eccleſiæ pag.* 181. & 182. & inter addenda *pag.* 1365. & *ſeqq.* ex *MS.* Concilio Romano ſub Bonifacio II. *anno* Chriſti 530.

Ex his conſtat, Tranſlationem Perigenis à Patrenſi Eccleſia in Metropolim Corinthum, cuius Socrates, & alij ſupra citati meminerunt; à Romano Pontifice factam fuiſſe: intellige, *Iure Patriarcho.* Patras quippè, & Corinthum Patriarchatui Romano ſubiectas fuiſſe, Græci vel poſt Schiſma fatentur.

Anno circiter 420. Acta illius Tranſlationis, & Contradictionis vide apud eundem Allatium *pag.* 1371. & *ſeq.*

Quod verò Socrates, & poſt eum reliqui, narrant de autoritate Celeſtini in Tranſlatione Procli Conſtantinopolitani Patriarchæ, confirmat, autoritatem ſummam, qua potiores fuerunt reliquis omnibus Patriarchis, Romani Pontifices. Ne tamen dicas confirmatam fuiſſe à Celeſtino * Tranſlationem Procli. Nam, vt ſupra docuimus, ante factam Tranſlationem deceſſerat Celeſtinus.

* Celeſtinus de transferendo Proclo nihil ſcripſit, ſed Tranſlationes Epiſcoporum aliquando vtiliter fieri poſſe cenſuit: quod autoritate fuiſſe potiorem non arguit.

Hoc amplius. Confirmat Pontificis autoritatem Tranſlatio Germani, Cyzici primùm Helleſponti Metropolitani, ad Sedem Conſtantinopolitanam, auxilio Artemij, ſiue Anaſtaſij Imperatoris: quod exemplum refert Auxilius *Tractatu de Tranſlationibus cap* 22. Addit Auxilius Decretum ipſum Tranſlationis à Michaële Preſbytero Apocriſiario, ſiue Reſponſali Romanæ Eccleſiæ pronunciatum fuiſſe. Deſumpſit ex *Hiſtoria Miſcella lib.* 20. *cap.* 23. in quo Decretum ipſum Tranſlationis, notatu digniſſimum inſeritur. *Electione, & approbatione religioſiſſimorum Preſbyterorum, & Diaconorum totius venerabilis Cleri, ſacrique Senatus, & amantiſſimi Christi Populi, diuina gratia tranſtulit, &c.* Ita vt, per quos fieret Electio, per eoſdem etiam & Tranſlatio. Additur tamen in fine. *Facta eſt præſens Tranſlatio in præſentia Michaëlis, & reliquorum Sacerdotum, & Præſulum, ſub Artemio Imperatore anno Chriſti* 730.

Facta Tranſlatio *anno* Chriſti 715. Pulſus à Leone Germanus *anno* 730. *menſe Ianuario.*

Quo vero iure Græci recentiores in Tranſlationibus vſi fuerint, vide quæ Zonaras, & præcipuè Balſamo notant ad *can.* 15. *Nicænum, inter omiſſa, in Appendice editionis Pariſienſis pag.* 110. ad *can.* 14. & 15. *Apoſtolorum*, maximè *ad canonem* 16. *Antiochenum*; vbi Balſamo, notat, *Imperatorum autoritate, & mandato opus fuiſſe.* Pluribus exemplis confirmat Nicephorus *lib* 14. *cap.* 39. *in iure Orientali* Leunclauij *cap. de Tranſlationibus ſub finem pag.* 193. Quibus adde, ſi lubet, Conſtantinum Harmenopulum in *Breuiatione canonum tit.* 4. *in Iure Orientali pag.* 5. vbi & refert *Synodicam* Michaëlis Oxitæ Patriarchæ Conſtantinopolitani ſub Emanuele Comneno.

Maneat itaque, iure veteri & nouo Tranſlationes in Oriente factas fuiſſe, vel Metropolitanorum autoritate, vel Patriarcharum: adhibitam præterea fuiſſe Imperatorum autoritatem, præſertim in Maiorum Eccleſiarum, Metropolitanarum ſcilicet, & Patriarchalium Tranſlationibus: quod & ſupra, Theodoſij Iunioris, in Procli, & Artemij, ſiue Anaſtaſij exemplis, in Germani Tranſlationibus, docuimus.

Vide ſupra *pag.* 87.

Non hæc voluit Iulius, cuius epiſtola etiamnum extat, ſed auxit

Tandem poſt varias & longas mutationes, omnes omnino Tranſlationes per vniuerſum orbem Pontifices Romani vindicauerunt; eo iure, quo maiores omnium Eccleſiarum Cauſas ad Sedem Apoſtolicam referendas eſſe contendunt: imò & Canones, & Concilia; generaliter, ad ſtatum Eccleſiæ pertinentia quælibet negotia, abſque Romani Pontificis conſenſu, tractari non poſſe Iulius Pontifex acerrimè propugnauit, contra Orientales Epiſcopos Antiochiæ congregatos, ſub Conſtantio, in cauſa Athanaſij.

Socrates *lib.* 3. *cap.* 13. Blondellus.

Origo & cauſa primi diſſidij, inter Occidentalem, & Orientalem Eccleſiam.

IMO IPSVM Athanaſium, & reliquos Epiſcopos depoſitos in Synodo Antiochena, ſuis Eccleſiis; cauſa cognita, *inconſultis Orientalibus, & contradicentibus reſtituit, autoritate propria.* Socrates *lib.* 3. *cap.* 11. & 13. Sozomenus *lib.* 2. *cap.* 7. & 9. Nicephorus *lib.* 9. *cap.* 8. & 9. quo nullus extat inſignior, & illuſtrior locus *, ad probandam ſummi Pontificis, in vniuerſa Eccleſia poteſtatem, & autoritatem, quæ poſtea Sardicenſi * Concilio pleniſſimè confirmata fuit *can.* 3. 4. & 7. contradicentibus tamen Orientalibus. Hæc prima & antiquiſſima occaſio diuiſionis * inter Eccleſiam Romanam, & Orientalem,

vt conſtat ex locis citatis, maximè ex Nicephoro *lib. 9 cap.* 10. quibus iunge, quæ notauit Antonius Auguſtinus *lib.* 1. *Epitomes Iuris Canonici, tit.* 9. 10. 11. *&* 12. vbi latiſſimè tractat *de Maioribus negotiis ad Pontificem Maximum referendis, & de Epiſcoporum mutatione.*

* Imo inquit Blondellus nihil alienius ab ea, quam ſibi hodie arrogat, poteſtate.

* Nihil tale in Sardicenſium Patrum mentem venit, inquit Blondellus; ſed malè.

* Athanaſium reſtituit, vt iudex à partibus delectus, non vt orbis Papa, inquit Blondellus; ſed malè: niſi occaſionem ex eo deducere velit, quod Orientales ad Iulium priùs ſcripſerant, eius iudicio quodammodo omnia committentes. Sed id non ſatis expreſſum in epiſtola.

Obſeruandum tamen, quæ in hac materia, tam apud veteres Collectores Canonum Latinos, quàm apud ipſum Auguſtinum, tribuuntur Iulio epiſtolæ, falſas eſſe & ſuppoſititias. Illæ enim veræ tantùm & germanæ Iulij epiſtolæ, quas Athanaſius ſuis ſcriptis inſeruit; vel quas Græcæ Hiſtoriæ Scriptores, in locis ſuprà citàtis retulerunt.

Summam verò illam Pontificis Romani autoritatem ingenuè agnouit Iuſtinianus in *celebri epiſtola*, quæ inſeritur in *l.* 8. *Cod. de ſumma Trinitate*, cuius fidem & autoritatem Alciatus primò, deinde Cuiacius confirmauit *lib.* 12. *Obſeruat cap.* 26.

Græci Patriarchæ nihilominus retinuerunt ſemper Transferendi poteſtatem, ſicut & plenam Eccleſiarum ſuarum adminiſtrationem, ius deponendi Epiſcopos, & admittendarum renunciationum, inconſulto Pontifice: quam poteſtatem & autoritatem defendunt autoritate Conciliorum Nicæni *can.* 4. 6. *&* 7. præcipuè autem Conſtantinopolitani I. *can.* 2. Epheſini *can.* 7. & Chalcedonenſis *can.* 29. quibus iura Patriarchalium Sedium conſtituuntur, & deſcribuntur; contradicentibus licèt Pontificibus Romanis, vt videre eſt, in *duabus vltimis Actionibus* Concilij Chalcedonenſis.

Ad Antiochenum autem Patriarcham pertinet *cap.* i. *huius tit.* ſumptum ex 411. *ſollectione*, quæ Prima, autoritate publica, id eſt, Innocentij III. promulgata eſt, qui & omnium Decretalium *huius tit.* eſt Autor. Reperitur verò integra in *lib.* 1. *Regiſtri epiſt.* 48. *pag.* 31. *edition. Colonienſis*, quibus iungi debent eiuſdem *libri epiſtola* 49. & 498. *pag.* 519. *& Geſta* eiuſdem Innocentij III. *pag.* 30. quæ ad idem negotium pertinent.

VT VERO ſpecies *dicti Cap.* 1. intelligatur, ſtatus Eccleſiæ Antiochenæ breuiter perſtringendus, qui eo tempore ita conſtitutus erat. Orientis pars magna erepta fuerat Saracenis, & Turcis, à Latinis Principibus, duce Godefrido. Omnes Prouinčias, quas acquiſiuerunt, in quatuor Principatus diuiſerunt: in Principatum Antiochiæ, ita nominatum, à Boamundo primo Principe, qui in exercitu Princeps ab omnibus vocitabatur; in Comitatus duos, Edeſſanum, & Tripolitanum, quæ tres Dynaſtiæ, in ſpiritualibus, Antiocheno Patriarchæ ſubiiciebantur; & poſtremò in Regnum Hieroſolymitanum, Iacobus de Vitriaco *Hiſtoria Hieroſolymitana cap.* 30. *Status Eccleſiaſticus & Politicus Patriarchatus Antiocheni, ſub Latinis.*

Tripolitanus Comitatus ex veteris diſci-

plinæ præſcripto Antiocheno Patriarchæ ſubdendus fuerat; ſed Hieroſolymitano de facto ſubditus eſt maxima ex parte. Nec aliud factum teſtantur Tyrius & Iacobus de Vitriaco.

& ſequentibus. Specialiter autem *caput* 32. continet ſtatum Patriarchatus Antiocheni, ſub ea tempora: at diſtinctiùs & apertiùs explicatur à Guillelmo Tyrio *lib.* 14. *cap.* 12. 13. *&* 14. qui & ipſe Tyrius, primus numeratur inter Metropolitanos XIII. vel XIV. qui olim ſuberant Patriarchæ Antiocheno. Vtérque tamen fallitur, in reddenda ratione, cur Antiochia, Theopolis poſtea fuerit appellata: nempè poſt ingentem terræ motum diuina gratia ſedatum, Antiochiam reſtitutam Iuſtinianus Theopolin cognominauit, Procopius *de Ædificiis Iuſtin. cap.* 48. *& Miſcella hiſtoria lib.* 16. *cap.* 2. *in fine.*

* Rectè, *olim*: id eſt quandiù ſtetit imperium; nec Latini nouas in Oriente ſedes fixerunt.

Non tamen Patriarcha Antiochenus omnes Eccleſias ſtatim recuperauit; ſed eas tantùm, quæ numerantur in veteri *Notitia*, à Miræo, & aliis *edita pag.* 8. *& ſeq.* Reliquæ Eccleſiæ, vel à Græcis, vel à Saracenis detinebantur. Quæ à Græcis retentæ, Patriarcham Græcum, Antiochenum agnoſcebant; qui tamen, Antiochia à Latinis occupata, alibi coactus erat morari. Latinus verò, Antiochiæ ſedebat, & Pontifici Romano obtemperabat; qui Innocentij III. tempore Radulphus II. nominabatur. Itaque omnia Reſcripta Pontificum, quæ in Decretalibus habentur, & ad Eccleſias Orientis pertinent, referenda ſunt ad id tempus, quo Latini rerum potiti ſunt in Oriente, [& ad Latinos ipſos.]

Explicatio Cap. I.

IN SPECIE ITAQVE dicti capituli primi, Patriarcha Antiochenus, Apameenſem Archiepiſcopum à ſe confirmatum, necdum tamen conſecratum, tranſtulerat in Tripolitanum Epiſcopatum, autoritate propria, & inconſulto Innocentio III. quod factum irritat Innocentius III. ea ratione, quam ſupra [pag. 87. & 178] explicauimus: quia cum ex numero maiorum Cauſarum cenſeantur Tranſlationes, de his referri debuit ad ſummum Pontificem, qui *ſolus diuina potiùs, quàm humana autoritate, tanquam Dei Vicarius, vinculum ſpiritualis matrimonij diſſoluere poteſt.* Præterea, immunitam Maieſtatem Sedis Apoſtolicæ ſeueriſſimè vindicauit. Nec enim tantùm infirmàuit Tranſlationem; ſed etiam Patriarcham Antiochenum ab Epiſcoporum Confirmatione ſuſpendit, & tripolitanum Epiſcopum Tranſlatum, ab executione Pontificialis officij. Ægerrimè tulit Patriarcha: multis enim rationibus, quas ex ſuprà *citatis* Innocentij III. *epiſtolis* licet colligere, rectè factam Tranſlationem contendebat: primùm iure communi, quo omnibus Patriarchis in ſuis Diœceſibus Tranſlationes permiſſas eſſe oſtendimus: deinde exemplo Prædeceſſoris ſui, qui motu propriæ voluntatis, *Mamiſtanenſem* ita legendum Archiepiſcopum in Tarſenſem Archiepiſcopatum tranſtulerat Vterque autem Archiepiſcopatus in Prouincia Cilicia ſitus eſt: de quibus vide Guillelmum Tyrium *lib.* 3. *cap.* 21. *&* 24. *& Notitiam ſuprà citatam.* Mouerat præcipuè Patriarcham, quod ante Conſecrationem Tranſlatio facta fuiſſet: nuſquam verò expreſſum aiebat, de Electo

Confirmato, quod de Epiſcopo. Agnouit ipſe Innocentius III. in *cap. 2. hoc tit. vſque ad noſtra tempora de Electo non eſt expreſſum, quod de Epiſcopis fuerat inſtitutum. Geſta* Innocentij id nominatim ſignificant p. 30. imò & in Canonibus, *Eccleſia dicitur viduata ante Conſecrationem Epiſcopi.* Ergo nullum erat vinculum matrimonij ſpiritualis impediens Tranſlationem. His argumentis ſigillatim, & per partes, Innocentius reſpondet in *hac Decretali, & in ſequenti.*

Quare dicitur coniugij ſpiritalis; fortius eſſe vinculum, quàm carnalis in *cap 2. hoc tit*? An quia non moritur Eccleſia; morte verò mulieris ſoluitur matrimonium? Epiſcopatus vnus & indiuiduus: Eccleſia vna, & indiuidua: nec exciſa Eccleſia ſoluitur à vinculo?

Explicatio cap. II.

SIQVIDEM *caput 2. hoc tit.* quod pertinet ad Galliam, in eadem ferè quæſtione verſatur. Agebatur de Tranſlatione Electi & Confirmati, nondum tamen Conſecrati. Ingenuè fatetur S. Pontifex, quod cautum fuerat de Epiſcopis, non fuiſſe expreſſum de Electis. Celeſtinus tamen apud Socratem *lib. 7. cap. 4.* vtrúmque caſum complexus erat, poſſe transferri, vel exiſtentem, vel nominatum tantùm Epiſcopum: οὐδὲν κωλύει, τόν τι ἑτέρας πόλεως ὀνομασθέντα, ἢ καὶ ὄντα Ἐπίσκοπον, εἰς ἄλλην μετατίθεσθαι. Secutus verò videtur Innocentius Tripartitam Hiſtoriam, quæ multis nominibus meritò ſuſpecta eſt, & mendoſa. Et quidem in *lib. 12. cap. 10.* alterum tantum caſnm exiſtentis Epiſcopi expreſſerat: meliùs Nicephorus Calliſtus, qui vtrúmqne ex Socrate retinuit.

Obſerua electum vocari Nominatum. Vide à Coſta ad *tit. de Poſtulatione.*

Primùm autem *capitulum* differt à 2. Nam in eo agitur de Tranſlatione Archiepiſcopi valdè noua: nempe Archiepiſcopi Apameenſis in Epiſcopum Tripolitanum, qui eſt Suffraganeus Archiepiſcopi Tyrij: de Tranſlatione maioris Dignitatis ad minorem; cum ſoleant fieri de minori ad maiorem, *cap. 1. de Clericis non reſidentibus.* Itémque Archiepiſcopatus, & Epiſcopatus ſuberant Patriarchæ Antiochæno. In *cap.* verò 2. ſicut & in *duobus ſequentibus*, de Tranſlatione à pari ad parem. Nam in *capitis 2. ſpecie* agitur de Tranſlatione Abrincenſis Epiſcopi in Epiſcopatum Andegauenſem. Epiſcopatus autem Abrincenſis ſubeſt Metropolitano Rothomagenſi. Vtrique verò peccauerant: Rothomagenſis; quia Electum, ac Confirmatum, à vinculo, quo tenebatur alligatus Eccleſiæ Abrincenſi, abſoluerat; Turonenſis, quia in Andegauenſem Eccleſiam tranſtulerat, & conſecrauerat: vterque præter & citra mandatum Pontificis Romani. Quare vterque pariter ſuſpenditur à Confirmatione & Conſecratione Epiſcoporum: Tranſlatus verò ab executione Pontificalis officij. Deſumptum eſt *d. caput 2. ex epiſt. 527. libri 1. Regiſtri pag. 334.* cum qua iungi debent *epiſtolæ 438. 439 & 443. eiuſdem libri.*

Non fuit ſubditus Tyrio, quandiu Latini Palæſtinam poſſederunt.

Ex quibus, & *ex cap. 2. huius tit. in antiqua Decretali*, apertiſſimè deciditur, quod & in *cap. 1. huius tit.* Electum & Confirmatum, tam in temporalibus, quàm in ſpiritualibus miniſtrare poſſe, confirmare Epiſcopos, vt in *ſpecie dicti cap. 1. hoc tit.* in quo legendum, ex

βαλανεῶν. *Notitiis ſuprà citatis, Valaneenſem Epiſcopum*, vnum ex Suffraganeis Apameenſis Metropolitani.

Notandum tamen, Poſtulatum & Tranſlatum Metropolitanum, inconſulto Pontifice, non poſſe confirmare Epiſcopos: *Geſta Innocentij* III. *pag.* 31. Confirmatus itaque pleniſſimam habet adminiſtrationem; exceptis tantùm his, quæ ſunt ordinis.

Solent autem Tranſlationes fieri, vel de minori ad maiorem, atque adeo ad Sedem Romanam; vel de pari ad parem. Huiuſmodi Tranſlationum diuerſarum exempla plura refert Innocentius III. in *eleganti epiſtola* 498. *lib.* 1. *pag.* 317. & 318.

Clementer verò agit in *vtróque capitulo* Innocentius III. quia licet grauibus, & pluribus rationibus videretur idem iuris eſſe in Electis confirmatis, quod in Epiſcopis conſecratis; nondum tamen fuerat expreſſum: tum etiam, quia erroris & imperitiæ veniam à Pontifice Epiſcopi humiliter petiuerant, & obtinuerant: ideoque autoritate Pontificis Tranſlationes benignè confirmatæ fuerunt, *priore conſenſu hactenus perdurante, ſicut per litteras intimatum eſt Pontifici*; id eſt, Electoribus, qui primum poſtulauerant, iterato adhuc in eadem ſententia manentibus.

Ex his apparet, Poſtulationem cum Tranſlatione ſæpiſſimè concurrere: quod omnibus *capitulis huius tit.* confirmatur, & ſuprà indicauimus ad *Tit. de Poſtulatione.*

Explicatio cap. III. *& vlt.* SVPERSVNT *Cap.* 3. *&* 4. *quod eſt vlt. huius tit.* in quibus tractatur de Epiſcopo Hildeſemenſi, qui proprio motu, relicta ſua Eccleſia, tranſierat ad Herbipolenſem; inconſultis, tam Moguntinenſi Archiepiſcopo, cui vterque Epiſcopatus ſuberat, quàm Romano Pontifice. Hoc negotium per aliquot annos exercuit aulam Romanam; & argumentum dedit non tantùm *duabus Decretalibus poſtremis*; ſed etiam capitulo 5. *de Maioritate & Obedientia*, & *cap. illud de Clerico excommunicato miniſtrante*: quæ ab Innocentio III. prodierunt.

Caput autem 3. huius tit. ſumptum eſt ex *lib.* 1. *Regiſtri epiſtola* 331. *Caput vltimum* ex *lib.* 2. *epiſtola* 262. ex quibus aliqua pleniùs referuntur in *antiqua Collectione* III. *eodem tit.* quibus iungi debent *lib.* 1. *epiſtola* 568. & *lib.* 2. *epiſtola* 52. 262. & 272. Conradus Abbas Vrſpergenſis *de bellis Philippi & Othonis*, & *ad annum Chriſti* 1125. Pleniùs *Geſta* Innocentij III. *pag.* 30. & *ſeq.* Krantzius in *Metropoli lib.* 7. *cap.* 9. & 17. & Trithemius in *Chronico Hirſaugienſi ad annum* 1201. *pag.* 224.

Ex his locis, veram ſpeciem *huius capituli* repetimus. Conradus, vir potens & induſtrius, Cancellarius aulæ Imperialis, ſub Friderico I. & eius filio, rebus geſtis clariſſimus, Lubecenſis primùm Epiſcopus electus fuit, & confirmatus, nec conſecratus; quia maiorem Dignitatem ambiebat. Quare Epiſcopatui Lubecenſi ſponte renunciauit, & poſtea Hildeſemenſem obtinuit: quo non contentus, Capitulo inducto ad Poſtulationem, ad Epiſcopatum Herbipolenſem, qui & Vvirtzburgenſis appellatur, titulo Ducatus Franconiæ inſi-

gnem, proprio motu tranſiuit: & ſæpius monitus ab Innocentio III. non obtemperauit; ſed in vtróque Epiſcopatu, temporalibus, & ſpiritualibus ſe immiſcuit.

Perturbatiſſimus enim erat eo tempore ſtatus Eccleſiæ in Germania, propter bella inter Imperatores duos, Philippum & Othonem.

Othonem, vt ſuprà diximus *tit. de Electionibus*, Innocentius III. Imperatorem conſtituerat, eiecto Philippo, cuius partes Conradus tuebatur: quamobrem mirum non eſt, ſi eum eo egerit ſeuerè Innocentius III ſicut & cum Vormaienſi Epiſcopo tranſlato in Moguntinum, autoritate Philippi, ſpreto Innocentio III. de quo in *cap. 23. titulo ſuperiori*, iuncta *antiqua*.

Conradum itaque contumacem, & ſæpiùs admonitum, ſecundùm canones, vtraque Eccleſia priuauit: vt ſecunda careret, quam auarè, & per ambitionem cupiuerat; & prima etiam, quam per ſuperbiam deſpexerat. Qui enim motu proprio ad aliam Eccleſiam tranſeunt, primò compelluntur redire ad primam. Quod ſi contumaciter retinere vel ſecundam, vel vtrámque contendant; vtráque ſpoliantur: quod *hoc noſtro capitulo*, & *dicto cap. 23. de Electione, iuxta canones fieri dicitur*, qui extant *Cauſa* VII. *Quæſt. 1. can. 31. & 32.*

Tuebatur autem ſe Conradus, prætextu diſpenſationis, ſiue veniæ cuiuſdam, quam à Celeſtino Prædeceſſore Innocentij obtinuerat; per quam ei in anteceſſum data erat facultas, tranſeundi ad maiorem Eccleſiam: cui diſpenſationi addita fuerat hæc clauſula: *dum tamen, nihil ei de canonicis ſtatutis obuiaret.*

Verùm diſpenſationis tenorem Conradus non ſeruauerat, qui ſeruandus eſt exactiſſimè; in his præſertim, quæ contra canones conceduntur. Ad maiorem enim tantùm permiſſum tranſire, non ad parem, vel minorem. Tranſiuerat autem Conradus ad parem. Quamuis enim ampliores ſint reditus & prouentus in temporalibus; omnes tamen Epiſcopatus, titulo & dignitate pares exiſtimantur.

Requirebantur præterea, tam Confirmatio Poſtulationis, quàm perſonæ examinatio: quæ ſi deſideretur in Electione, multò magis neceſſaria eſt in Poſtulatione, quæ eſt extraordinaria, & contra regulas Iuris Communis. Diſpenſatio enim Celeſtini, ad id tantùm proderat impetranti, vt Poſtulationem admittere poſſet, & eius Confirmationem pro arbitrio obtinere, vel à proximo Superiore; verbi gratia, in noſtro caſu, à Moguntino Archiepiſcopo; vel à ſummo Pontifice, vt rectè notauit Innocentius IV. & poſt eum, Ioannes Andræas *ad hanc Decretalem*: quæ tantùm haberet locum, ſeruatis verbis diſpenſationis, ſi ad maiorem Eccleſiam, non autem ad parem tranſiſſet [: Si enim ad parem]; ſolius Pontificis Confirmatio neceſſaria fuit; [diſpenſationis verbis ſtrictè ſumptis, & prout concepta eſt, de facultate tranſeundi ad maiorem Eccleſiam, non ad parem.]

Negotij exitus hic fuit. Contumacem & renitentem Conradum, & vtriuſque Epiſcopatus reditus occupantem, in iniuriam & dam-

num Hildeſemenſis, qui iuſſu Innocentij III. electus fuerat, tandem excommunicauit Innocentius. Cum poſtea reſipuiſſet Conradus, per Epiſcopos, & Optimates Germaniæ, Innocentium flectere tentauit: ſed fruſtrà. Coactus eſt enim ipſe Romam proficiſci, & veniam petere: quam tandem obtinuit. Quamuis enim Herbipolenſi Epiſcopatu ita priuatus fuiſſet Conradus, vt etiam Canonici Herbipolenſes priuarentur, pro hac vice, iure eligendi, quia Conradum illicitè poſtulauerant, & adminiſtrare permiſerant, tam in ſpiritualibus, quàm in temporalibus: prudentiſſimè tamen Innocentius III. diſtulerat Ordinationem Eccleſiæ Herbipolenſis; locum veniæ & pœnitentiæ relinquens. Itaque poſt annum, ex licentia Pontificis, iteratò poſtulante Eccleſia Herbipolenſi, tranſtulit Conradum, *& eundem humiliatum erexit, quem exaltatum deiecerat.* Vno verbo *obedientiam ſibi præſtari volebat Innocentius*, vt in hoc ipſo negotio clarè exprimit in *cap.* 5. *infra de Maioritate & Obedientia:* vide *Geſta* eiuſdem Innocentij *pag.* 31. vbi corruptè, Conradus appellatur *Caſtellanus Imperialis aulæ*; lege *Cancellarius.* Vitæ verò Conradi finis infœlix, cuius cædes crudeliſſima refertur à Conrado Vrſpergenſi *pag.* 325. pleniùs à Trithemio, *loco citato*; qui & refert Innocentij III. *Bullas*, quibus continetur pœnitentia iniuncta cædis patratoribus, datas Romæ anno 1204.

Ad Cap. XL. de Electione.

ANIMADVERTIMVS SVPRA, aliquando concurrere Electionem cum Tranſlatione, & Poſtulatione; vt in ſpecie *Capituli* 40. *de Electione*, & in *Reſcripto* quodam Elegantiſſimo Eugenij III. relato ab Othone Friſingenſi *lib.* 2. *cap.* 6. 8. 10. *de Geſtis Friderici* I. vbi tractatur de Tranſlatione Guicmanni Cicenſis Epiſcopi in Magdeburgenſem Archiepiſcopatum. Cicenſis autem, ſiue Citicenſis Epiſcopatus ſubeſt Magdeburgenſi Metropoli, & poſtea Neoburgenſis, vel Nauburgenſis, [ſiue *Naumburgenſis*,] appellatus eſt, ſede tranſlata Neoburgum. Tranſlationem autem illam Otho loco citato, potiſſimùm autoritate Friderici I. ait factam fuiſſe, & prælatam tandem Electioni partis aduerſæ: vbi è re nata tractat *de autoritate Imperatorum in Electionibus, Tranſlationibus, & Inueſtituris Epiſcoporum.*

At vt redeamus ad *dictum cap.* 40. *de Electione ſuprà*: ſumptum eſt ex *epiſtola* 154. *lib.* 15. *Regiſtri* Innocentij III. Vacante Sede Patriarchali Conſtantinopolitana, poſt mortem Thomæ Mauroceni Veneti, qui primus fuit Patriarcha ex Latinis, poſt occupatam Conſtantinopolim: pars Electorum Plebanum ſancti Pauli Venetiis, elegerat: pars poſtulauerat Metropolitanum Heracleenſem, qui primus eſt inter Suffraganeos Conſtantinopolitani Patriarchæ, & eum conſecrat. Nam & olim ipſe Patriarcha Conſtantinopolitanus ſuberat Heracleenſi Metropolitano.

In hac itaque controuerſia dirimenda, quæ per tres ferè annos durauit, hanc commiſſionis formam præſcribit Maximo Notario, Legato,

gato ſuo Innocentius III. *epiſtola* 153. *libri* 15. vt ſi duplo maior pars Electorum poſtulauerit, præferatur Poſtulatio Electioni minoris partis: dummodo nihil obſtet Poſtulato de canonicis inſtitutis. Præterea de eius perſona diligenter inquiri mandat. Ex quo notandum, licèt dictus Metropolitanus antea probatus fuiſſet; iterari tamen inquiſitionem, quoties aliquis ad maiorem dignitatem promouetur.

Quod ſi indignum poſtulauerint, vel ſi non fuerit duplo maior numerus poſtulantium; præferri debet Electio Poſtulationi, ſi perſona Electi fuerit idonea. Obſerua quod ait *tam de electo, quàm de poſtulato, eſſe inquiſitionem faciendam Venetiis, vbi nati fuerint, & diutiùs conuerſati.*

Ita quippè conuenerat, occupata Conſtantinopoli à Latinis: vt Imperator ex Francis; ex Venetis verò eligeretur Patriarcha. Et quidem primus electus eſt Thomas Maurocenus. Sed eam conuentionem poſtea improbauit Innocentius III. ita vt coactus fuerit nouus Electus Romam proficiſci, & ab Innocentio potiùs nouam conceſſionem, quàm Confirmationem obtinere, diſpenſatiuè. Patriarcha verò Conſtantinopolim repetens, in tranſitu, per vim coactus eſt à Venetis iurare, ſe neminem facturum eſſe Canonicum in Eccleſia ſanctæ Sophiæ, niſi Venetum natione, vel qui per decennium Venetiis moratus fuiſſet; præterea ſe omnibus modis facturum, vt ſemper in Eccleſia ſanctæ Sophiæ eſſet Venetus Patriarcha: quo pertinet *cap. 5. de Inſtitutionibus infra:* quæ eſt vera *dicti cap.* ſententia, quam primus olim indicauerat Franciſcus Roaldeſius Anteceſſor celeberrimus; ex quo deinde clariſſimi viri, Ioannes à Coſta, & ex eo Berterius in *libris Pithanon*, & deinde reliqui certatim, eam tradiderunt. Vide *epiſt. 18. lib. 13. Regiſtri* Innocentij III. *& Notas.*

Innocentius ait in *d. cap.* 40. *Vice noſtra, poſtulationem admittas.* Speciali enim iure Pontifices, Epiſcoporum Tranſlationes, Ceſſiones, ſiue Renunciationes, & Depoſitiones ſibi reſeruauerunt: adeo vt ea poteſtas Legatis eorum, etiam à Latere, & cum ſumma autoritate, non competat; niſi nominatim in mandatis comprehenſa fuerint huiuſmodi negotia, vel ſpeciali conceſſione, & ſingulari mandato delegata; vt in ſpecie propoſita, Maximo Notario. Sed cum peruenire Conſtantinopolim non potuiſſet, iterùm Pelagio Cardinali Legato à Latere ſpecialiter hoc negotium commiſſum fuit ab Innocentio III. *epiſt.* 112. *lib. 16. Regiſtri.* Per tres enim annos lis protracta fuit, ſuper qua plures epiſtolas reſcripſit, quæ adnotantur ad *epiſtolas* 154. *lib. 15. & ad* 112. *lib. 16.*

Confirmat apertiſſimè opus eſſe mandato *caput 3. de Officio Legati*, qui poſteà de re tota referre ad Pontificem debet, vt Poſtulationem & Tranſlationem ratam habeat *cap. 2. & vlt. de Poſtulat. & cap. 3. de Vſu & autoritate Pallij.* Nec hoc Ius immutatum fuiſſe exiſtimandum eſt *capitulo 36. de Electionibus in* VI. nullum enim in eo verbum de Tranſlationibus Epiſcoporum; ſed de Electione tantùm ordinaria.

Ad Translationis materiam pertinent Incardinationes, quæ differunt à Tranſlationibus, licet pariter ad Diſpenſationis mate- *De Incardinationes, quomo-*

do differat à Tranſlatione: & de origine Commendarum.

Incardinari Gregorio dicitur quiſquis quocumque modo licito Sedi alicui affigitur, ſiue electus, ſiue postulatus, ſiue tranſlatus, ſiue priſtino loco exactus.

riam pertineant. De his tractatur in *canone Fraternitatem Diſt.* LXXI. *Can. Paſtoralis 42. Cauſa* VII. *Quæſt. 1. can. 5. & vlt. Cauſa* XXI. *Quæſt.* 1. qui loci omnes ex Gregorij Magni *epiſtolis* ſumpti ſunt, [iuncta *epiſt. 43. lib. 1. eius regiſtri:*] quibus adde *can. qui plures, eadem Cauſa & Quæſtione;* cuius autor inſcribitur Leo IV. quem prauè, corruptelæ Commendarum autorem veteres & noui Interpretes faciunt, quos retulit Ruzæus initio *Tractatus de Commendis.* Eodem ſpectant Adriani II. & Ioannis VIII. *epiſtolæ*, quas ſuo loco explicabimus, vbi *de vſu Eccleſiæ Gallicanæ.* Græci verò, Zonaras, & præcipuè Balſamo, hanc materiam tractant ad *canones Antiochenos* 16. & 18. maximè *in verſione* Herueti in *Supplemento vltimæ editionis Pariſienſis pag.* 1127.

Hinc Cardinalis ſiue Epiſcopus, ſiue Preſbyter, qui incardinatur, id eſt radicatur; prout mentem ſuam aperit Gregorius; quiſquis creditæ Eccleſiæ proprius Paſtor cenſetur. Cum igitur vocabulum *Incardinationis* [illegible] ſit; de ſola commendatione ad tempus intelligi non debuit, prout hic fieri videtur.

Canonum illorum ſententia eſt. Vacanti Epiſcopo vel Clerico cuiuſcumque gradus, ad tempus, Epiſcopatus, vel locus vacans commendabatur, id eſt, ad tempus concedebatur, autoritate pleni Concilij Prouinciæ. Sicut ſuprà diximus, Tranſlationes eadem autoritate factas fuiſſe: nec enim proprio motu, Epiſcopi vel Clerici, Eccleſiam vel locum, mutare poſſunt.

Vacans autem, hoc eſt σχολάζουσα Eccleſia, vel Titulus dicitur, quoties viduata eſt Eccleſia, vel Titulus. Epiſcopus verò, vel Clericus σχολάζων, *vacans* dicitur, qui ab Hoſtibus, Paganis, vel Hæreticis Sede vel Titulo expulſus eſt, vel quem contumaces Populi non admittunt, nec morari patiuntur in ſuis Eccleſiis, & Titulis. Si enim Hoſtes, Pagani, vel Hæretici, in Prouinciis, & Ciuitatibus, & Titulis ſuis patiuntur morari Epiſcopos & Clericos, & miniſtrare, ſicut hodie in Oriente Turci, & ante Turcos Romani; tunc Epiſcopi vel Clerici *Vacantes* dici non poſſunt: nec per conſequens, cadit in eos iuſta cauſa diſpenſationis, nempè vt vel transferantur omnino, vel quod minùs canonibus obſtat, commendentur eis adminiſtrandæ ad tempus Eccleſiæ, vel Tituli; quæ commendatio ad tempus, propriè *Incardinatio* vocatur, id eſt, depoſitum Eccleſiæ vacantis, ad tempus, vel ex cauſa. Eleganter Niceph. Calliſtus *lib. 12. cap. 11. Hiſtor. Eccleſ. de Gregorio Nazianz.* τὴν παρακαταθήκην τοῖς Ἐπισκόποις εὐθὺς ἀπέδωκεν.

Si quis Meletij aliorumque Orientalium Gregorium Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ præficientium mentem ſpectet, perpetuum

Ad tempus, & *ex cauſa*, diximus. Nam finito tempore, vel ceſſante cauſa, verbi gratia, hoſtili metu, & periculo euidenti, redire compellebantur ad priorem Eccleſiam, vel Titulum, quem iure quodam poſtliminij recipiebant: nec enim ſecundæ Eccleſiæ, quæ Commendata erat, Titulum vſurpabant, nec appellabantur Epiſcopi, vel Diaconi illius Eccleſiæ, cui incardinabantur; ſed tantùm *Cardinales Preſbyteri*, vel *Cardinales Diaconi:* quia incardinabantur tantùm, id eſt conſtituebantur in ſecunda Commendata Eccleſia, vt ibi ad

tempus inſeruirent, in eodem gradu, iiſdémque Ordinibus, & Miniſteriis, quibus in prima, ex qua expulſi erant, & cuius Titulum & nomen retinebant; nec ab eius vinculo atque matrimonio ſpirituali, ſoluti intelligebantur.

fuit depoſitum: ſi euentum; ad tempus commendatum, ſed ex accidenti.

IN QVO maximè à canonica Tranſlatione differebat Commendatio Eccleſiarum, ſiue Incardinatio. Nam in Tranſlatione abſoluuntur omnino à vinculo, quo adſtricti erant priori Eccleſiæ, & cum ſecunda, in quam transferebantur, nouum matrimonium diſpenſariuè contrahebant: in Incardinatione verò primæ Eccleſiæ vinculum & matrimonium durabat; ſecundæ autem adminiſtratio & miniſterium concedebatur tantùm ad tempus, vt diximus. Quare non debuit à Correctoribus Romanis Incardinatio confundi cum canonica Tranſlatione, in *dicto can. fraternitatem Diſt.* LXXI. ad quem tamen diligenter adnotauerunt Correctores *epiſtolas* Gregorij, ex quibus dicti canones deſumpti ſunt.

Vera differentia inter Incardinationem, & Tranſlationem.

Quoniam autem facilè in peius ruere, & labi ſolent omnia: partim ex imperitia; veriùs ex ambitione & auaritia, ſanctiſſimos canones, quos humanitas extorſerat, Interpretes inflectere cœperunt ad *Commendas*; quarum autorem aiunt, optimum Pontificem Leonem IV. cuius reuera non alia fuit mens, quàm Gregorij I. Nempè propter irruptionem & inuaſionem Saracenorum, & deprædationem Siciliæ, & maximæ partis Italiæ, in gratiam Epiſcoporum, & Clericorum, qui ſuis Eccleſiis expulſi erant, *Commendationis*, ſiue *Incardinationis* remedium excogitauerunt: retinentiſſimi quippè fuerunt antiquorum canonum, quibus Tranſlationes atque mutationes prohibentur.

Canonici Abbates ſe fieri contendiſſe etiam temporibus Gregorij Magni colligitur ex *can.* 37. 38. *&* 39. *Cauſa* XVI. *Q.* 1. ſi cum integris *epiſtolis* iungantur. Et ſub Carolo Magno Clerici Palatij venabantur eiuſmodi Abbatias. Locus inſignis in *vita* Benedicti Anianæ *pag.* 29. *&* 30. & in *notis pag.* 43. *&* 44. Quomodo verò, quæ laïcis concedebantur Monaſteria, per Abbates ſui Ordinis interim Ordinarentur, Epiſcoporum Diœceſanorum conſenſu, vide Concilium ad Theodonis villam *tomo* 3. Concil. Gal. *can. penult.*

Et quidem Scriptores *vitæ* Leonis IV. de huiuſmodi irruptionibus Saracenorum meminerunt, & Leonis pietatis in reſtaurandis Eccleſiis. Tantùm verò abeſt, vt Epiſcopo, vel Clerico Eccleſiam habenti commendaret aliam: vt in celebri Concilio Romano Anaſtaſium Preſbyterum Cardinalem depoſuerit, quia in alienis Parœciis morabatur, propria relicta; vt conſtat ex dicto Concilio Romano, *tomo* 3. *Conciliorum ſectione* 2. *pag.* 393. vnde petenda vera explicatio *capituli* 2. *de Clericis non reſidentibus.*

Duobus autem modis hodie abutimur canonibus antiquis. Incardinatus Epiſcopus, vel Clericus, in Eccleſia commendata, eo gradu, & ordine tantùm inſeruiebat, in quo in prima, ex qua pulſus fuerat: atque id quidem non niſi ad tempus. Hodie verò non ſolùm maiora, & ſæcularia, quæ vocant beneficia, commendantur: verùm etiam quæ Sacerdotalia vocantur; nec Sacerdotibus, ſed Clericis tantùm. Imò quod peius: Regularia, etiam non profeſſis & Monachis: contra

Imò aliquando in perpetuum, vt Actardus Nannetenſis Turonibus,

Frotharius Burdigalenſis Biturigibus Præſul ab Adriano datus.

ſæcularia Monachis commendari ſolent; & quidem in perpetuum, non ad tempus.

Secundus abuſus longè perniciosior eſt. Qui enim contra canones, duo beneficia inuadit, quæ vulgò vocantur incompatibilia; in fraudem canonum alterum in Commendam mutari curat, alterum in Titulum retinet: quamuis vtroque pacificè vteretur frueretur, nec vllum ex his ab Hoſtibus, vel Paganis occupetur. Quod primùm occaſione Tranſlationum irrepere cœpit. Qui enim transferebantur ſæpiùs à minori ad maiorem Eccleſiam, non contenti vna diſpenſatione Tranſlationis, aliam ſuperadiiciebant. Nam Commendationis commento adhibito, retinebant priorem. Exemplum huius nouitatis primum in Germania Kranzius *lib. 3. cap. 37. in Metropoli*, ſiue *Hiſtoria Eccleſiaſtica Saxoniæ*, refert ad Giſelerum Merſburgenſem Epiſcopum, qui Othonis III. Ruffi Imperatoris gratia & fauore tranſlatus eſt in Magdeburgenſem Metropolim, & ſimul retinuit in Commendam Epiſcopatum Merſburgenſem. Subiicit Krantzius. *Id verò ætas noſtra iam deſiit pro frequentia mirari, quòd paſſim cernimus, alteram alteri Eccleſiæ, in vna perſona accedere; vt habeat alteram in Titulum, alteram in Commendam. Sed non potuere tum pro rei nouitate placari homines.*

Alterum exemplum. Abſaloni tranſlato in Lundenſem Archiepiſcopatum, ſimul adminiſtratio Roskildenſis Eccleſiæ, cuius erat Epiſcopus ante Tranſlationem, fuit permiſſa, id expetentibus Populis, & vtilitate publica; & accedente Summi Pontificis, cauſa cognita, diſpenſatione ſolemni, Saxo Grammaticus *lib. 14. Hiſtoriæ Daniæ*.

Inualeſcere paulatim, & creſcere priuilegia perſonalia cœperunt: vtilis & popularis res viſa eſt. Vnde ex Iure nouo, contra Ius vetus, noua Regula facta eſt. Ex qua tamen regula ius ſumi perículoſiſſimum; ſicut ingenuè præſtantiſſimus Baronius adnotauit, in Abſalonis facto. Regula illa noua refertur in *cap. 54. ſuprà de Electione:* vbi de duabus Eccleſiis Parœcialibus, quas conſtat eſſe incompatibiles, vnam intitulatam, alteram commendatam habere licet. Vetus Gallica verſio, *vne antitulée, & l'autre baillée comme en garde.*

De Origine, & Vſu Tranſlationum, Incardinationum & Commendarum in Gallia.

EX HIS CONSTAT, quàm parcè, & rarò Tranſlationes admitterentur, potiſſimùm in Gallia, vbi ab initio planè incognitas fuiſſe oſtendimus. Poſt longi temporis lapſum grauibus ex cauſis, cauſa pleniſſimè cognita, aliquando admiſſæ ſunt; ſicut & Incardinationes, ſiue Commendationes Eccleſiarum. Qua de re in *Capitularibus lib. 1. cap. 137. Ne de vno loco ad alium tranſeat Epiſcopus, ſine decreto Epiſcoporum; vel Clericus ſine iuſſione Epiſcopi ſui.*

Exempla duo inſignia excutiamus Tranſlationum, & Incardinationum, quæ ſub Carolo Caluo factæ fuerunt.

Primò, Actardi Nannetenſis Epiſcopi, qui autoritate Epiſcoporum Galliæ, & Caroli Calui, in Synodo Duziacenſi, interueniente decreto Adriani II. tranſlatus eſt in Turonenſem Archiepiſcopatum. Extat decretum *tomo 3. Conciliorum Galliæ pag. 398. Sicut Synodus expoſtulauit, & Turonicus Clerus eum elegit concorditer; per noſtram Apoſtolicæ Sedis autoritatem, conſtituimus Cardinalem Metropolitanum, &*

Nota *Cardinalem*, id eſt pro-

Archiepiſcopum Turonicæ Eccleſiæ, atque Prouinciæ. Nota quod ait coniunctim Cardinalem Metropolitanum: reſpicit ad *Incardinationes*, de quibus ſuprà. Addit ſtatim *Metropolitanum*, *&* *Archiepiſcopum*: quibus verbis ſignificat, non tantùm commendare Eccleſiam, ſed etiam transferre omnino; ita vt Actardo ſuperſtite, nemo poſſet ordinari Archiepiſcopus Turonicæ Eccleſiæ, ſed tantùm poſt eius deceſſum. Coniunxit *Incardinationem cum Tranſlatione*: nec propterea Nannetenſis Eccleſiæ iura poteſtatémque ſubtraxit: imò vniuit Nannetenſem Epiſcopatum, [ſeu potiùs reliquias laceræ & à Barbaris deſolatæ Eccleſiæ,] cum Archiepiſcopatu Turonenſi, exemplo Gregorij I. *can.* 5. & 6. XXI. *Q.* 1. quam tamen vnionem neceſſitatis vocat. Paganorum nempe Normannorum deuaſtatio exigebat; adde & Britonum, qui nomine tenus, eo tempore, Chriſtiani vocantur à Pontifice Leone IV. Nam ſub Carolo Caluo Normanni, & Britonnes rebellauerant aduerſus Carolum Caluum, vniuerſam Britanniam occupantes.

Prium, non Commendatum, ſed titulatum, prout nunc loquimur. Incardinatus dici poteſt, quiſquis intronizatur; quocumque id fiat modo. Commendatio igitur intronizationis ſpecies eſt alia; alia translatio. Hinc Adriano Incardinatio & Conſtitutio æquiparantur.

Sicut autem debitum obſequium Carolo denegabant; ita & obedientiam Archiepiſcopo Turonenſi, cui Britannia in ſpiritualibus ſubeſt.

In Turonenſis verò iniuriam, autoritate propria Nomenoius Dolenſem Archiepiſcopatum inſtituerat, & expulerat Antiquos Epiſcopos, nouis in eorum locum ſubſtitutis. Et quidem in locum Actardi, Giſlardum quendam ſuffecerat; quem ideo Leo IV. in *can.* 10. *Cauſa* VII. *Quæſt.* 1. *furem atque latronem vocat*: in cuius inſcriptione rectè viri docti reſtituerunt *Nomenoio*, pro *Vernoni*; qui locus in *editione Romana* mendoſus eſt.

Quin ad huiuſmodi anguſtias Turonenſis Archiepiſcopatus redactus erat, vt duos tantùm Suffraganeos vix retineret, Andegauenſem, & Cenomanenſem, qui multùm vexabantur à Britonibus: à quibus iniuriis, nec ipſa Turonenſis Eccleſia fuit immunis.

Eadem ratio hoſtilitatis, & vaſtationis ſuaſit, vt olim Bremenſis Epiſcopatus vniretur Hamburgenſi Archiepiſcopatui: de qua vnione ſcripſimus ad *tit. de Conſuetud.*

Adde & aliud exemplum in *Codice piarum donationum* Miræi *cap.* 66. *pag.* 218. *& ſeq.*

Confirmantur verò ea quæ diximus, de ſtatu Britannicæ Eccleſiæ in *tomo* 3. Conciliorum Galliæ *pag.* 69. 74. 140. 276. & 398. quibus illuſtrantur & explicantur *canon* 5. *Cauſa* 1. *Quæſt.* 7. *can.* 10. *Cauſa* III. *Quæſt.* 6. *&* *dictus can.* 10.

De Actardi verò Tranſlatione, ſeu Incardinatione, ita Flodoardus *lib.* 4. *cap.* 6. *commemorans, quod geſtum reminiſcatur, ſuper Actardo Nannetica vrbis Epiſcopo, quod eum Nicolaus Morinenſi Eccleſiæ poſtea cenſuerit præficiendum; ac demùm in Archiepiſcopatu Sedis Turonica Adrianus II. decreuerit Incardinandum.* Vide quæ nuper de ſtatu publico & Eccleſiaſtico Britanniæ noſtræ ſcripſit doctiſsimus Sirmondus ad *Capitularia Caroli Calui pag.* 12. 54. *& ſeq.* 106. *&* 113 *in Notis*; & quæ antea in eruditiſsimo *Syntagmate* Vignerius, *De l'Eſtat de la petite Bretagne*. Quibus adde, quæ in *fine Tractatus, de Vſu & Autoritate Pallij*.

Vides idem ex Flodoardi mente eſſe, præficere, & incardinare.

Ex his præterea locis comprobatur, Metropolitani ſimul, & Concilij Prouinciæ autoritate, ad Regis, atque Electorum petitionem,

Frotharius Burdigalenſis Biturigibus Præſul ab Adriano datus.

ſæcularia Monachis commendari ſolent; & quidem in perpetuum, non ad tempus.

Secundus abuſus longè pernicioſior eſt. Qui enim contra canones, duo beneficia inuadit, quæ vulgò vocantur incompatibilia; in fraudem canonum alterum in Commendam mutari curat, alterum in Titulum retinet: quamuis vtroque pacificè vteretur frueretur, nec vllum ex his ab Hoſtibus, vel Paganis occupetur. Quod primùm occaſione Tranſlationum irrepere cœpit. Qui enim transferebantur ſæpiùs à minori ad maiorem Eccleſiam, non contenti vna diſpenſatione Tranſlationis, aliam ſuperadiiciebant. Nam Commendationis commento adhibito, retinebant priorem. Exemplum huius nouitatis primum in Germania Kranzius *lib. 3. cap. 37. in Metropoli, ſiue Hiſtoria Eccleſiaſtica Saxoniæ*, refert ad Giſelerum Merſburgenſem Epiſcopum, qui Othonis III. Ruffi Imperatoris gratia & fauore tranſlatus eſt in Magdeburgenſem Metropolim, & ſimul retinuit in Commendam Epiſcopatum Merſburgenſem. Subiicit Krantzius. *Id verò ætas noſtra iam deſiit pro frequentia mirari, quòd paſſim cernimus, alteram alteri Eccleſiæ, in vna perſona accedere; vt habeat alteram in Titulum, alteram in Commendam. Sed non potuere tum pro rei nouitate placari homines.*

Alterum exemplum. Abſaloni tranſlato in Lundenſem Archiepiſcopatum, ſimul adminiſtratio Roskildenſis Eccleſiæ, cuius erat Epiſcopus ante Tranſlationem, fuit permiſſa, id expetentibus Populis, & vtilitate publica; & accedente Summi Pontificis, cauſa cognita, diſpenſatione ſolemni, Saxo Grammaticus *lib. 14. Hiſtoria Daniæ.*

Inualeſcere paulatim, & creſcere priuilegia perſonalia cœperunt: vtilis & popularis res viſa eſt. Vnde ex Iure nouo, contra Ius vetus, noua Regula facta eſt. Ex qua tamen regula ius ſumi perículoſiſſimum; ſicut ingenuè præſtantiſſimus Baronius adnotauit, in Abſalonis facto. Regula illa noua refertur in *cap. 54. ſuprà de Electione:* vbi de duabus Eccleſiis Parœcialibus, quas conſtat eſſe incompatibiles, vnam intitulatam, alteram commendatam habere licet. Vetus Gallica verſio, *vne antitulée, & l'autre baillée comme en garde.*

De Origne, & Vſu Tranſlationum, Incardinationum & Commendarum in Gallia.

Ex his constat, quàm parcè, & rarò Tranſlationes admitterentur, potiſſimùm in Gallia, vbi ab initio planè incognitas fuiſſe oſtendimus. Poſt longi temporis lapſum grauibus ex cauſis, cauſa pleniſſimè cognita, aliquando admiſſæ ſunt; ſicut & Incardinationes, ſiue Commendationes Eccleſiarum. Qua de re in *Capitularibus lib. 1. cap. 137. Ne de vno loco ad alium tranſeat Epiſcopus, ſine decreto Epiſcoporum; vel Clericus ſine iuſſione Epiſcopi ſui.*

Exempla duo inſignia excutiamus Tranſlationum, & Incardinationum, quæ ſub Carolo Caluo factæ fuerunt.

Primò, Actardi Nannetenſis Epiſcopi, qui autoritate Epiſcoporum Galliæ, & Caroli Calui, in Synodo Duziacenſi, interueniente decreto Adriani II. tranſlatus eſt in Turonenſem Archiepiſcopatum. Extat decretum *tomo 3. Conciliorum Galliæ pag. 398. Sicut Synodus expoſtulauit, & Turonicus Clerus eum elegit concorditer; per noſtræ Apoſtolicæ Sedis autoritatem, conſtituimus Cardinalem Metropolitanum, &*

Nota *Cardinalem*, id eſt pro-

Archiepiſcopum Turonicæ Eccleſiæ, atque Provinciæ. Nota quod ait coniunctim Cardinalem Metropolitanum: reſpicit ad *Incardinationes*, de quibus ſuprà. Addit ſtatim *Metropolitanum, & Archiepiſcopum:* quibus verbis ſignificat, non tantùm commendare Eccleſiam, ſed etiam transferre omnino; ita vt Actardo ſuperſtite, nemo poſſet ordinari Archiepiſcopus Turonicæ Eccleſiæ, ſed tantùm poſt eius deceſſum. Coniunxit *Incardinationem cum Tranſlatione:* nec propterea Nannetenſis Eccleſiæ iura poteſtatémque ſubtraxit: imò vniuit Nannetenſem Epiſcopatum, [ſeu potiùs reliquias laceræ & à Barbaris deſolatæ Eccleſiæ,] cum Archiepiſcopatu Turonenſi, exemplo Gregorij I. *can.* 5. & 6. XXI. *Q.* 1. quam tamen vnionem neceſſitatis vocat. Paganorum nempe Normannorum deuaſtatio exigebat; adde & Britonum, qui nomine tenus, eo tempore, Chriſtiani vocantur à Pontifice Leone I V. Nam ſub Carolo Caluo Normanni, & Britonnes rebellauerant aduerſus Carolum Caluum, vniuerſam Britanniam occupantes.

prium, non Commendatum, ſed titulatum, prout nunc loquimur.

Incardinatus dici poteſt, quiſquis intronizatur; quocumque id fiat modo. Commendatio igitur intronizationis ſpecies eſt alia; alia tranſlatio. Hinc Adriano Incardinatio & Conſtitutio æquiparantur.

Sicut autem debitum obſequium Carolo denegabant; ita & obedientiam Archiepiſcopo Turonenſi, cui Britannia in ſpiritualibus ſubeſt.

In Turonenſis verò iniuriam, autoritate propria Nomenoius Dolenſem Archiepiſcopatum inſtituerat, & expulerat Antiquos Epiſcopos, nouis in eorum locum ſubſtitutis. Et quidem in locum Actardi, Giſlardum quendam ſuffecerat; quem ideo Leo IV. in *can.* 10. *Cauſa* VII. *Quæſt.* 1. *furem atque latronem vocat:* in cuius inſcriptione rectè viri docti reſtituerunt *Nomenoio*, pro *Vernoni*; qui locus in *editione Romana* mendoſus eſt.

Quin ad huiuſmodi anguſtias Turonenſis Archiepiſcopatus redactus erat, vt duos tantùm Suffraganeos vix retineret, Andegauenſem, & Cenomanenſem, qui multùm vexabantur à Britonibus: à quibus iniuriis, nec ipſa Turonenſis Eccleſia fuit immunis.

Eadem ratio hoſtilitatis, & vaſtationis ſuaſit, vt olim Bremenſis Epiſcopatus vniretur Hamburgenſi Archiepiſcopatui: de qua vnione ſcripſimus ad *tit. de Conſuetud.*

Adde & aliud exemplum in *Codice piarum donationum* Miræi *cap.* 66. *pag.* 218. *& ſeq.*

Confirmantur verò ea quæ diximus, de ſtatu Britannicæ Eccleſiæ in *tomo* 3. Conciliorum Galliæ *pag.* 69. 74. 140. 276. & 398. quibus illuſtrantur & explicantur *canon* 5. *Cauſa* 1. *Quæſt.* 7. *can.* 10. *Cauſa* III. *Quæſt.* 6. *& dictus can.* 10.

De Actardi verò Tranſlatione, ſeu Incardinatione, ita Flodoardus *Lib.* 4. *cap.* 6. *commemorans, quod geſtum reminiſcatur, ſuper Actardo Nannetica vrbis Epiſcopo, quod eum Nicolaus Morinenſi Eccleſiæ poſtea cenſuerit præficiendum; ac demùm in Archiepiſcopatu Sedis Turonicæ Adrianus II. decreuerit Incardinandum.* Vide quæ nuper de ſtatu publico & Eccleſiaſtico Britanniæ noſtræ ſcripſit doctiſsimus Sirmondus ad *Capitularia Caroli Calui pag.* 12. 54. *& ſeq.* 106. *&* 113 *in Notis*; & quæ antea in eruditiſſimo *Syntagmate* Vignerius, *De l'Eſtat de la petite Bretagne.* Quibus adde, quæ in *fine Tractatus, de Vſu & Autoritate Pallij*

Vides idem ex Flodoardi mente eſſe, præficere, & incardinare.

Ex his præterea locis comprobatur, Metropolitani ſimul, & Concilij Prouinciæ autoritate, ad Regis, atque Electorum petitionem,

veteri Incardinationum ritu, inducto ſub Gregorio I. & Leone IV. quas ad tempus factas fuiſſe probauimus: hac conditione nominatim addita, vt ceſſante metu hoſtili, ad primam redire compellerentur.

Cum ſub Gregorio Incardinatio multiplex fuerit, multiplex etiã ritus fuit.

Imò nec Eccleſiæ, cui Incardinati erant, vocabantur Epiſcopi, vel Archiepiſcopi: ſed tantùm Preſbyteri Cardinales. Adrianus tamen II. & Ioannes VIII. vtrúmque permiſerant: Incardinationis nudum nomen, & vmbram retinuerant; rem & effectum neglexerant.

Sed dicto Concilio Trecenſi iterùm in vſum reuocati antiqui Canones: quos etiam paulò antè eadem tempora, & propter eandem cauſam, irruptionis ſcilicet Normannorum, Nicolaus I. exactè ſeruauerat *can.* 47. *Cauſa* VII. *Quæſt.* 1.

Inter canones autem, quos lectos fuiſſe in dicto Concilio Trecenſi, ex Aimoino *lib.* 5. *cap.* 37. & Concilis Galliæ *d. pag.* 486. *tom.* 3. docuimus, numerantur Africani, quorum ſententiam retulerunt. Extant verò integri in Concilio Carthaginenſi III. *can.* 38. in vulgari Collectione, *ſub tit. Concilij Africani can.* 15. in poſtremis & optimis *editionibus Canonum Africanorum* doctiſſimi Iuſtelli *can.* 48. apud Zonaram & Balſamonem *tit.* 52. *&* 53. Multum enim iuuat comparatio variarum huiuſmodi Collectionum.

Inſeruit Gratianus *d. can. Africanum* in *can.* 106. *de Conſecratione, Diſt.* IV. *& can.* 18. *Cauſa* II. *Qu.* 1. ex quo præterea colligitur, ſi Epiſcopus qui contra canones tranſlatus fuerit, & ſæpiùs monitus ab Epiſcopis, ex forma diſciplinæ, redire tamen per contumaciam ad primam Eccleſiam contempſerit, *permitti Epiſcopis, aduerſus contumacem adire Rectorem Prouinciæ, vt autoritate iudiciaria protinus excludatur.* Nec opus eſt depoſitione precedente, antequam ad Præſidem Prouinciæ eatur; ſicut ad hunc canonem, ex textu corrupto, Græci comminiſcuntur. Frequentiſſimus enim erat, præſertim in Eccleſia Africana, aduerſus contumaces Epiſcopos, vel Clericos, ad Imperatorem, vel ad Rectores Prouinciarum aditus & refugium.

Colligimus etiam, non facilè admiſſas in Gallia Tranſlationes, niſi magna ex cauſa. Quod diu ſeruatum fuiſſe confirmat Tranſlatio Galonis Bellouacenſis Epiſcopi in Epiſcopatum Pariſienſem: cuius Tranſlationis cauſa ſummè notanda.

Quia Philippo Rege inconſulto, electus, & confirmatus fuerat in Bellouacenſem; iurauit Philippus, eum nunquam obtenturum Epiſcopatum. Interceſſione tamen Epiſcoporum placatus poſtea Philippus, in Pariſienſem Epiſcopatum vacantem, communi autoritate Epiſcoporum, & Paſchalis II. transferri Galonem curauit; Iuo *epiſt.* 144. 145. 146. ad quam vide Iuretum.

In *dicta* verò *epiſtola* 146. ita loquitur Iuo. *Tranſlationes Epiſcoporum, neceſſitate vrgente, Metropolitanorum autoritate, & ſummi Pontificis diſpenſatione, fieri oportet.*

Regium etiam conſenſum interueniſſe, ex *iiſdem epiſtolis* conſtat, & ſuprà probauimus *tit. de Electione*, *& tit. de Poſtulatione*, in *ſpecie capituli* 1. *&* 2. Eodem enim ferè iure in Poſtulationibus, Electionibus, & Tranſlationibus vtimur, quod ad Perſonas eligentium pertinet *can.* 27. Concil. Carthag. IV. vulgò dicti. *Vt Epiſcopus de loco*

ignobili ad nobilem per ambitionem non tranſeat: nec quiſquam inferioris Ordinis Clericus. Sanè ſi id vtilitas Eccleſiæ fiendum popoſcerit, Decreto pro eo Clericorum & Laicorum Epiſcopis porrecto, in præſentia Synodi transferatur, nihilominus alio in loco eius Epiſcopo ſubrogato. Inferioris verò gradus Sacerdotes, vel alij Clerici, conceſſione ſuorum Epiſcoporum, poſſunt ad alias Eccleſias tranſmigrare.

A Populis in Principes, ſicut in Poſtulationibus, & in Electionibus; ita & in Tranſlationibus ius Suffragij & Conſenſus tranſiiſſe probauimus. Addimus Tranſlationem Archiepiſcopi Narbonenſis in Rothomagenſem, quæ habetur *tomo 2. Libertatum Gallicanæ Eccleſiæ tit. 16. pag. 385. & 986. in fine.*

Hodie, poſt Concordata, ſicut Electiones, ita Tranſlationes, ſolius Regis & Pontificis autoritate perficiuntur.

Eodem iure vſos fuiſſe alios Reges, non dubito. Et quidem in Anglia, in quam conſtat mores, & leges noſtras illatas à victoribus; nempe Regis autoritate, conſilio & aſſenſu Archiepiſcopi, atque Epiſcoporum prouinciæ, in quam transferebatur, accedente autoritate Apoſtolica, & cum abſolutione Archiepiſcopi, & Epiſcoporum Prouinciæ, in qua primum ſacratus fuerat. Quod non paſſim & temerè; ſed cum magna cauſæ cognitione fiebat, Anſelmus Cantuarienſis Archiepiſcopus ex profeſſo, *epiſt.* 126. qui quidem diu obſtitit poſtulationi Heruæ, qui à Bangorenſi Epiſcopatu transferri deſiderabat in Eccleſiam Lexouienſem; eo pretextu, quia eius Epiſcopatus ita deſtructus erat, vt in eo manere non poſſet.

Poſt obitum tamen Anſelmi, gratia Regis fretus, tranſlatus fuit in Epiſcopatum Helienſem, de nouo ab Henrico I. Rege, Paſchalis II. & Anſelmi autoritate conſtitutum, diuiſo Epiſcopatu Lincolnienſi, propter nimiam amplitudinem, in duos. Cuius creationis Acta retulit Seldenus in *Notis ad Eadmerum pag.* 209. & ipſe Eadmerus *pag. 95. 96. & 104.*

Tranſlationis etiam Galtheri cuiuſdam ex Lincolnenſi Epiſcopatu in Rothomagenſem Archiepiſcopatum, meminit Guillelmus Neubrigenſis *lib. 3. cap. 9. in qua* ait, *ambitum loci celſioris de amore commodi largioris triumphaſſe.*

De aliis Tranſlationibus in Anglia, vide Thomam de Vvalſingan *pag. 139. & 376. in fine.*

Tanta fuit etiam quorumdam Regum autoritas & poteſtas in Tranſlationibus, vt aliquando, inconſulto Pontifice, eas facerent; quamuis eas irritas declararent Pontifices *cap. 4. in integra, & 23. de Electione cap 4. & 5. ſuprà de Poſtulatione:* ad quorum intellectum iunge *Diploma* Bedæ Regis Hungariæ inter *acta* Alexandri III. relatum: quo confirmat Inſtitutionem Patris ſui, qui Alexandro III. conceſſerat, quòd abſque autoritate, vel conſilio Succeſſorum Alexandri Depoſitiones, ſeu Tranſlationes Epiſcoporum non faceret, vel fieri ſineret.

De Tranſlatione Sedium.

POST TRANSLATIONEM Perſonarum, non alienum eſt aliquid ſubiungere de Tranſlationibus Sedium: vtrùm nempè liceat Epiſcopo, Sede principali, id eſt, Matrice, ſiue Cathedrali Eccleſia relicta,

licta, ad aliam Eccleſiam, vel eiuſdem Ciuitatis, vel in Diœceſi conſtitutam transferre Sedem, ſiue Cathedram: qua de quæſtione, quia Apud Balſamo-nihil omnino reperitur in *hoc tit.* aliundè repetemus ex Conciliis, & nem *numero* aliis Scriptoribus, potiſſimùm ex Gratiano. Ad eam pertinent *canones 74* refertur; in 21. *&* 44. VII. *Quæſt. 1.* & Gloſſa *can.* 48. *&* 49. XVI. *Quæſt.* 1. & *Græca* verò *Col-* Gloſſa *can.* 41. XVI. *Quæſt. 7.* [*can. vlt.* XXV. *Q.* 2. *can. ſi quis* 10. *lectione*, *71.* *& can. tribus* 36. *Diſt.* 1. *de Conſecrat.*]

Ex Græcis verò Zonaras ad *can.* 74. Concilij Carthaginenſis, & pleniùs Balſamo ad *canonem* 15. Concilij Nicæni in *Supplemento pag.* 4. *& ad d. can.* 47. Concilij Carthaginenſis: quibus locis ſtatuitur, non licuiſſe Epiſcopo mutare Sedem, & Eccleſiarum Priuilegia, niſi cauſa pleniſſimè cognita in Concilio. Addit Balſamo, Imperatoris Decretum neceſſarium, μετὰ βασιλικῆς προστάξεως, καὶ συνοδικῆς διαγνώσεως.

Diximus, *cauſa cognita*: nec enim facilè permittitur. Cauſæ verò iuſtæ ſunt, ſi diruta fuerit, vel ab hoſtibus occupata Ciuitas, in qua Sedes Cathedralis fuerat: tunc enim æquiſſimum, Sedis Tranſlationem admitti, ſaltem ad tempus: ſicut & ex eadem cauſa contingit aliquando duos Epiſcopatus vniri, & Epiſcopo liberum relinqui locum, in quo tutiùs & ſecuriùs commorari poſsit. Ciuitati tamen, & loco, quem relinquit, vbi primùm conſtituta erat Sedes principalis, proſpicere debet, quantùm tempora ſinunt; ne quid cultui diuino deſit. Et ita explicanda puto vexata verba *canonis* 44. *Cauſa* VII. *Quæſt.* 1. cuius autor Gregorius I. ibi: *illic conſuetudinem ſolemnium feſtiuè diſponas. Illic*, id eſt in Sede, quam relinquis: vt idem Gregorius pleniùs in *cap.* 48. XVI. *Quæſt. 1. Ita ſanè vt alteram Eccleſiam, cui præſens non es corporaliter, ſollicita &c.* Confirmatur *can. ſi quis vult* 41. *Cauſa* XVI. *Quæſt.* 1. vbi agitur de Tranſlatione Monaſterij in alium locum: quæ quidem cum conſilio Epiſcopi, & Fratrum, id eſt Monachorum fieri debet. Præterea in priori loco relinqui debet Preſbyter ad miniſteria Eccleſiæ.

Notandum autem falli Balſamonem, qui *canonem* 15. Concilij Nicæni exiſtimauit pertinere ad Tranſlationes Sedium. Euidentiſsimè enim probauimus ſuprà, ad Tranſlationes perſonarum pertinere.

Tranſlatarum verò Sedium exempla plurima occurrunt: & ne abeamus Gallia; Eluſa diruta, tranſlata eſt Sedes in Metropolim Auſciorum. E Magalonenſi inſula Sedes tranſlata eſt in Montem Puellarum, *Montpellier*, autoritate Franciſci I. & Pontificis; de qua Rebuffus in *Praxi pag.* 139. & in *Concordatis pag.* 494. Ex Antipoli Sedes tranſlata eſt Graſſam. Tareuanenſi, ſiue Morinorum vrbe diruta, Sedes tranſlata eſt Boloniam Maritimam, & Morinenſis Epiſcopatus in tres diuiſus. In Britania noſtra ex Aletenſi tranſlata eſt Maclouium.

In huiuſmodi autem Tranſlationibus, ſicut olim apud Græcos Imperatoris; ita apud nos Regum reſcriptis & autoritate opus eſt: quia potiſſimùm ad eos ſpectat protectio & defenſio Eccleſiarum & Monaſteriorum: vide *tomum 2. Libertatum Eccleſiæ. Gallicanæ tit.* 35. *num.* 36.

Adde *can.* 36. *&* 37. *Diſt.* 1. *de Conſecrat.*

Idem in Anglia factitatum. Nam Lundini Sedem Metropolitanam primò conſtitutam, Auguſtinus Dorouerniam, ſiue Cantuariam tranſ-

rulit. In Deuonia prouincia, quæ primùm Cridiæ, ſiue Creditonæ Sedes Epiſcopalis conſtituta fuerat, Exceſtriam, quæ & Exonia, tranſlata eſt circa *annum* 1409. Selſeenſem Sedem tranſtulit Ciceſtriam, ſub Guillelmo Conqueſtore, & eius autoritate Stigandus: & ſub eodem è Licfeldia Sedes tranſlata eſt Ceſtriam à Petro quodam Epiſcopo; cuius ſucceſſor iterùm Conuentriam tranſtulit. Quare non obſtantibus huiuſmodi mutationibus, illius Diœceſeos Epiſcopi paſſim & promiſcuè Licfeldienſes, Ceſtrenſes, vel Conuentrenſes appellantur. [Vnde meritò Robertus de Monte Nauali in *Supplemento Sigeberti* ait, *hunc Epiſcopatum habere tres Sedes, Ceſtrenſem, Conuentrenſem & Licfeldienſem.* Ita locus legendus *pag.* 164.] Vix autem aliud Regnum plures mutationes Sedium ſuppeditat; nempè propter immutatum ſæpiùs publicum Angliæ ſtatum: qua de re videndus diligentiſſimus Parkerus in *Prolegomenis de Antiquitate Britannicæ Eccleſiæ*, & obiter doctiſſimus Sirmondus in *Notis ad epiſtolas Petri Cellenſis pag.* 13. & 20. [quibus adiunge nuperum editorem Matthæi Paris in *aduerſariis & notis ad pag.* 319.]

Notandum etiam aliquando, non nouæ Sedis, ſed primæ, ſiue antiquæ tantùm nomen retineri. Inſigne exemplum in Eccleſia Hieroſolymitana. Chriſtianis poſt excidium Hieroſolymorum migrantibus Pellam ciuitatem Decapoleos trans Iordanem; Epiſcopi tamen, qui ibi diutiùs morati ſunt, nomen antiquum & ſucceſſionem Hieroſolymitanorum Epiſcoporum, & ſeriem non interruptam conſeruauerunt: vt ex Euſebio, & aliis Scriptoribus, docuit doctiſſimus Scaliger in *Animaduerſionibus ad Cronicon Euſebij.* Idem Scaliger obſeruat, Antiochenum & Alexandrinum Patriarchas, antiquum nomen retinere, quamuis in aliis vrbibus Sedes ſuas conſtituerint.

Adde exemplum ex *cap.* 3. *de foro competenti in* 3. *Collectione*, quod ſcriptum eſt *Turritano Epiſcopo.*

Poſtremò de Tranſlationibus Canonicorum Regularium, Monachorum, Monialium, & Monaſteriorum, alius erit locus dicendi *lib.* 3. *Decretal. tit.* 31. 35. & 36. Interim ſuper ea quæſtione ſtudioſis excutiendos indicamus *canones* 40. 41. *Cauſa* XVI. *Quæſt. vlt. can.* 2. *Cauſa* XIX. *Quæſt.* 2. & *canones* 2. 3. & 4. *eadem Cauſa Quæſt.* 3. & *Cauſa* XX. *Quæſtionem* 4. Quibus iunge omninò Stephani Tornacenſis *epiſtolam* 1. & Iuonis *epiſtolam* 70 & in *eam notas* doctiſsimi Iureti. Super ea materia D. Bernardi, Petri Venerabilis, Petri Cellenſis, Goffridi Vindocin. [*lib.* 4. *epiſt.* 1. & *in notis pag.* 68.] & aliorum ſententiam, & Tractatus ſcrutabimur aliquando accuratiùs.

Ad Cap. II. De Electione.

FVGITIVI huius capitis ſententiam expoſuimus, [ſupra *hoc tit.* initio.] Interpretatione tamen accuratiori videtur indigere, ſiue verba, ſiue ſententiam ſpectes, ſiue vexatam ſæpiùs à viris doctiſsimis quæſtionem, *de Peregrina communione*; an eadem ſit, cum *Laica*, an diuerſa?

QVOD AD VERBA: *Populi literas accepit*: Græca, ἀπὸ τῶν ϖιθῶν. Deinde, *plures eorum, qui ſinceram fidem non habent, præmio & mercede corrupti, vt clamarent in Eccleſia*, &c. quam lectionem Diony-

ſius Exiguus retinet. Contra Codices multi, editi, & *M S.* legunt *paucos*; ſicut & Græca editio, ex qua clauſulam integram adſcribimus, ὀλίγοι τινὰς ἀνθρώπους μισθῷ ἢ τιμήματι διαφθείρεσθαι, ἐν τῇ Ἐκκλησίᾳ στασιάζειν, ὡς δῆθεν αἰτοῦντας, τὸν αὐτὸν ἔχειν Ἐπίσκοπον.

Sequitur in contextu, *ita ut nec laicam in fine communionem, (niſi de hoc pœnituerit,) talis accipiat.* Omiſſa parentheſi, breuiter in omnibus editionibus Concilij Sardicenſis, Græcis, & Latinis: ὥστε μηδὲ τὰ τοιοῦτον, μηδὲ ἐν τῷ τέλει, λαϊκῆς γοῦν ἀξιοῦσθαι κοινωνίας. Græci Interpretes, ἐν τῷ τέλει explicant, ἐν τῇ ἐξόδῳ τοῦ βίου, ἐν τῷ θανάτῳ. Pœnam acerbiſſimam, & valde ſingularem notauit Ariſtenus, docente viro ſummo Antonio Auguſtino, à quo reliqua petenda. Nam ex Concilio Nicæno *can.* 13. ἐφόδιον, *viaticum*, in extremis poſito nemini denegatur. Præter veteres, addendus Alcuinus *libro de diuinis Officiis cap.* 49. *poſtremæ editionis* τοῦ μακαρίτου Andreæ Du Cheſne. Addita ideò à recentioribus verba, quæ parentheſi includuntur, *niſi de hoc pœnituerit*, deſunt in antiqua Collectione 1. edita, & *MS.* quàm habemus. Adnotat doctus ſuprà ſæculi ſui captum Ioannes Andreæ: *niſi de hoc: iſtud olim erat Gloſſ. Alanus, Vincentius & Goffredus non aduertentes hanc Literam, poſuerunt illam Gloſſam.* Retinuit Raymundus. Verſio Gallica *MS.* ex eo; *Si que cil ne fet de ce penitence, qe il ne ſoit pas co. meniés à la fin.* Hactenus de verbis.

Alterius recentioris eſſe exiſtimat Blondellus.

QVOD AD SENTENTIAM. Tam in Electionibus, quàm in Tranſlationibus, Cleri, Ordinis, & Plebis Suffragia iuſta & legitima interueniſſe, & ante & poſt Concilium Nicænum, etiam in Oriente probauimus: & *can.* 4. Nicæni Concilij de Conſecratione Electi, à tribus Epiſcopis facienda, eſſe intelligendum. In quo χειροτονίας verbum, non de Electione, ſed de Conſecratione, ſiue Ordinatione Epiſcopi accipiendum, confirmat locus inſignis Gregorij Nazianzeni ex *oratione* 19. in funere Patris, ab eo habita coram Baſilio Magno. De ipſius Baſilij Electione & Conſecratione loquitur. Ἔγραφεν, ἐνουθέτει, ζυνήρχετο ὁ λαὸς. Τοὺς ἱερέας, τούς τε ἄλλους, ἢ ὅσοι τοῦ βήματος, &c. quæ ad Electionem ſpectant. Subiicit deinde ea, quæ ad Conſecrationem: Ἐπειδὰν κατεστῆναι ἔδει γενέσθαι τὴν χειροτονίαν αὐτοῦ, λείποντος ἑνὸς τῷ ἀριθμῷ τῶν διακρινόντων, &c. Intelligit Concilij Nicæni. *d. can.* 4.

Vide ſupra *tractatu de Elect. pag.* 113. & 114.

Sicut autem iuſta Suffragia comprobata, Syneſius *epiſt.* 67. & 76. & ad eas Interpres: ita etiam ſeditioſæ populi voces, acclamationes plebeculæ, & factiones reiectæ ſemper & damnatæ; de quibus in *hoc cap.* πλῆθος, ὄχλος, *plebeculam, vulgus ignobile* ſignificat. In 1. *can. Sardicenſi* mutationes Sedium, per auaritiam, aut ambitionem factas, Patres damnauerant: in 2. ex quo *caput noſtrum* ſumptum eſt, grauiùs coërcent Mutationes Sedium, quæ per Simoniam, redemptis plebeculæ votis, & per acclamationes populares fiunt, data pecunia.

Huiuſmodi acclamationes, quæ vim, dolum, & metum admixtum habent, etiam Legibus improbantur, & per eas facta irrita ſunt. Quin & manumiſſiones inutiles *l.* 17. *ff. qui & à quibus.* Vetus fragmentum in *fine Cod. Theod.* Nec per eas Innocentes condemnari debent, vel

noxij crimine abſolui *l. 12. Cod. de Pœnis.* Quam in rem obſeruatione digniſſimum *Reſcriptum* Hadriani *pro Chriſtianis, Minucio Fundanio Proconſuli Aſiæ*, à Iuſtino Martyre primùm relatum in *fine Apologiæ 2.* Ipſa verba Reſcripti Latinè retuliſſe Iuſtinum ſcribit Euſebius *lib. 4. Hiſtoriæ Eccleſiaſt. cap. 8. in fine*, & ea Græcè vertit *cap. 9.* Latina perierunt. Supereſt Euſebij verſio in *d. cap. 9.* quæ poſtea ſubiecta eſt in *fine d. Apologiæ 2.* Et quidem ex *Epiſtola* Proconſulis, & *Relatione* ad Hadrianum hæc notanda, *βοαῖς δήμῳ χαριζομένους ἀκρίτως ἀναιρεῖν*; & ex *Reſcripto*, *πρὸ βήματος, pro tribunali, & in Iure, ἐκ ἀξιώσεων, οὐδὲ μόναις βοαῖς κατηγορεῖν.* Ruffinus eleganter vertit: (fortè in autographum Latinum inciderat) *Precibus autem in hoc ſolis, & acclamationibus vti, eis non permitto.* In *l. 12. ff. de Appellat. & Relat.* ipſo Iure nulla declaratur Duumuiri creatio, nullo actu ex lege habito ſolemniter; ſed tantùm vocibus popularium; licèt factioſæ poſtulationi conſenſiſſet Proconſul.

Mirum itaque non eſt, ſi Electiones, vel Tranſlationes, & ſimilia extorta ad acclamationes plebis, irritæ ſint; præcipuè ſi pecunia interuenerit. Exempla extant inſignia apud Scriptores *vitæ* Chryſoſtomi, de depoſitis Epiſcopis ſex Aſianæ Diœceſeos, qui data pecunia fuerant electi à ſeditioſa plebe. Accuratè Palladius iudicium & cognitionem Chryſoſtomi retulit *cap. 13. 14. & 15.* Itemque in Concilio Chalcedon. *Actione 11.* in cauſa Baſſiani, & Stephani, de qua pluribus infra.

Reliquum eſt, vt Sanctionem canonis explicemus, quæ ſeueriſſimam pœnam infligit, viatico, laïca communione, etiam in fine interdicit.

Suaſit, vt initio huius Tractatus oſtendimus, ſumma perturbatio, & *ἀταξία* Eccleſiarum ab Arianis inducta, qui ſubinde Sedes mutabant temerè, erroris ſpargendi cupidi. Nouæ itaque pœnæ aduerſus noua crimina fuerunt excogitandæ. Verùm, quod amat fieri in pœnis, leges huiuſmodi ſeueriores, & earum pœnæ temporales ſunt, & mortales: & ex iuſta cauſa, ceſſante periculo, & vtilitate Eccleſiarum requirente, mutationes Sedium vſurpatæ fuerunt; ſeriùs tamen apud Occidentales, aduerſus quos Gregorius Nazianz. *verſibus* inuehitur, præcipuè aduerſus Ægyptios, duce [Petro] Alexandrino, qui Maximum Cynicum Conſtantinopolis Epiſcopum, clam, & *ἐν ἰδίῳ πρεσβυτέρῳ* ordinauerat: qui deinde remotus & depoſitus fuit in Conſtantinopolitana Synodo I. Hùc referendi *verſus* Gregorij de *vita ſua pag. 29.* alioquin obſcuri.

ſupra *pag.* 140.

Ἦλθον γὰρ ἦλθον ἐξαπίνης κεκλημένοι, &c. & qui ſequuntur.
Νόμους στρέφοντες τοὺς πάλαι λελυκότας
Ὧι πλεῖστον ἦμεν, καὶ σαφῶς ἐλεύθεροι.

Intelligit proculdubio *canones Nicenos, & Sardicenſes*, conditos aduerſus Mutationes Sedium: aduerſus quos tamen nihil commiſiſſe probat Gregorius; quia nunquam Saſimorum Epiſcopatum ſuſceperat,

Vide *Notam* ſupra *pag.* 175.

quem inuito Gregorio contulerat primùm Baſilius. Quæ iniuria Baſilij, vt vocat, nunquam excidit ex animo Gregorij. Ita verò de Saſimorum Epiſcopatu loquitur *pag 9.*

Τῆς μὲν ἀθλίας, οὐδ' ὅλως Ἐκκλησίας
Πεπτωκυίαν, οὐδ' ὅσον λατρείαν μίαν
Θεῷ προσενεγκεῖν, ἢ συνεύξασθαι λαῷ,
Ηχεῖσα θεῖναι κληρικῶν ἐνὶ γίτῳ.

Quos verſus rectè doctiſſimus Bilius explicauit. Nazianzi verò nunquam ſe fuiſſe Epiſcopum; ſed patris tantùm ſenis auxiliatorem & Coadiutorem ſubiicit. Itaque cùm nec Saſimorum, nec Nazianzi foret Epiſcopus, nihil vetabat eum à Meletio Patriarcha Antiocheno conſtitui Conſtantinopolitano in Throno. Quibus verſibus, quos contra Maximum ſcripſit, habebis plenam Apologiam Gregorij aduerſus *epiſtolam Synodicam* Ambroſij, & reliquorum Epiſcoporum Italiæ, quam primus edidit nuper doctiſſimus Sirmondus. Quid faceres? Diſſidebant Orientales, & Occidentales Epiſcopi. Meletius, qui Gregorium in Throno Conſtantinopolitano collocauerat, ab Arianis ordinatus fuerat Antiochenus Epiſcopus, contra Paulinum, qui Antiochiæ ab Orthodoxis ordinatus fuerat. Præterea Maximus impoſuerat Occidentalibus. Quidni? cùm ipſum Gregorium priùs fefelliſſet: qui & orationem in laudem Maximi ſcripſit ſub Heronis Philoſophi Alexandrini nomine, & extat inter Gregorij *orationes, ordine* 23. Quare mirum non eſt, ſi & Gregorius hos verſus in *carmine de vita ſua* effundat.

Non ordinatus contra Paulinum, ſed Paulinus contra eum. Ordinatus enim, vel veriùs Beroea tranſlatus Meletius *anno* Domini 350. Ordinatus à Lucifero Paulinus *anno* 362.

φυσῶντες ἡμῖν ἑσπέριόν τε καὶ τραχύ.
Τοῖς δ' ἀντιπνεῖ δῆμος ἡλιοφεγγέων.

Non etiam mirum, ſi Baſilius ſummus Gregorij amicus, δυσκῶν ὄθρυν perſtringat *epiſtola* 10. *ad Euſebium Samoſatenſem Epiſcopum.* Hæc pluribus explicauimus; tum quia non cuique ſunt obuia, & *dicta Synodica* Ambroſij Commentarij loco eſſe poſſunt; tum quia *Tractatui de Tranſlationibus* cohærent.

Poſtremo de Pœna tractandum: *Nec in fine Laica communio concedatur.* Quid ſit *Laica communio*, Vetus Interpres 1. *Collectionis* Laurentius *MS. Viaticum* rectè explicat: quem ſecutus eſt Ioannes Andreæ. Bernardus in *Gloſſa* omiſit. Gloſſa Decreti ad *can.* 21. *Diſtinct.* L. *& can. Clerici* XIII. *Q.* 2. in quibus Peregrinæ communionis fit mentio, *Peregrinam* explicat, *quæ alias dicitur Laica extra de Elect. cap.* 2. (citat capitulum hoc noſtrum): & iterùm: *Peregrina*, id eſt, *commorabitur inter Laicos;* vel *Peregrina*, id eſt, *cum recedit, vel peregrinatur de hoc mundo.* Viaticum ſcilicet Gloſſa intelligit. Peregrinæ item communionis mentio extat in *additione* IV. *Capitularium* Ludouici *cap.* 99. ex Concilio Agathenſi I. ex quo pariter canones duo, ſupra relati ex Gratiano, deſumpti ſunt.

Obſeruandum verò in *cap.* 98. *dictæ Additionis*, tractari de Formatis faciendis, *& vt ſine Formata nullus proficiſcatur Clericus.* Doctiſſimus

Pithœus in *Gloſſario Capitularium* opinionem *Gloſſæ* ſequitur in dictione, *Communio Peregrina.*

Nomen, & rem ipſam, explicant apertiùs Patres Concilij Regenſis *can.* 3. 4. & 5. In *cano* 3. Nicæni Concilij exemplum amplecti profitentur, id eſt *can.* 8. quem peritè notauit ad marginem doctiſſimus Sirmondus *tomo 1* Concil. Galliæ *pag.* 67. & antè Sirmondum *editio Coloniensis* Petri Crabbe; addita hac inſcriptione *dicto cap.* 3. *De indulto eidem Peregrini, vel Chorepiſcopi nomine.* [Octaui verò canonis Nicæni hæc ſunt verba. *Is autem, qui nominatur apud eos Epiſcopus, honorem Preſbyterij poſſidebit; niſi fortè placuerit Epiſcopo, nominis eum honore cenſeri. Si verò hoc ei minimè placuerit, prouidebit ei aut Chorepiſcopatus, aut Preſbyterij locum, vt in Clero prorſus eſſe videatur, ne in vna Ciuitate duo Epiſcopi probentur exiſtere.*]

Mentio præterea fit Communionis Peregrinæ in *can. vlt.* Concilij Ilerdenſis: cum quo iungendus eſt *can.* 2. Concilij Valentini in Hiſpania, in quo dictæ Synodi Regienſis *can.* 5. citatur.

Hic nempe eſt ordo temporis quatuor illarum Synodorum. Regenſis refertur ad *annum* Chriſti 439. Agathenſis ad *annum* 506. Ilerdenſis ad *annum* 524. *& diem* 8. *Auguſti.* Valentina item ad *annum eundem* 524. *& diem* 2. *Non. Decemb.* Gratianus *d. can. vltimum Ilerdenſem* inſeruit *Cauſa* XII. *Q.* 2. *can.* 38.

Garſias Loaïſa exiſtimat Laicam & Peregrinam Communionem eandem eſſe, nullúmque diſcrimen inter vtrámque verſari. Rectiùs viri docti differre ſtatuunt: nec tamen veram interpretationem afferunt.

Ad verum propiùs acceſſiſſe videtur doctiſſimus Petauius in *poſtremis & plenioribus ad epiſtolam* Syneſij 67. *notis.* Non tamen conceſſerim appellari Peregrinam Communionem, cùm ab Epiſcopi Dignitate & Ordine in Chorepiſcoporum gradum ſummouetur Epiſcopus: Nec etiam Anathematis nomine in *can. vlt. Ilerdenſi* venire Peregrinam Communionem. Nam in *d. locis* ſeparantur manifeſtè. Symbolam noſtram conferamus.

Variæ paſſim occurrunt Communionum ſpecies in Canonibus, Patrum libris, & Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Scriptoribus. Omnes tamen reduci poſſunt ad ſumma duo genera.

Diuiditur, ſeu diſtinguitur Communio potiſſimum, vel Ratione *Rei*, cui communicamus; vel Ratione *Perſonarum*, quæ communicant.

Ratione Rei: Communio victus, ſocietatis, & conuerſationis, ὁμιλίας, qua maiori anathemate multati priuantur; verbi gratia Hæretici, & qui atrocioribus criminibus impliciti, ab Eccleſia perculſi fuerunt, & eiecti de nomine Chriſtiano, vt *initio huius Tituli* attigimus. Inſigne habemus exemplum in anathemate Andronici & Thoantis, à Syneſio, & Synodo publicata *epiſt.* 57. *&* 58. *in fine*, qua non tantùm ab Eccleſia, ſed ab omni Societate ciuili pulſos fuiſſe exprimitur. In qua notandum, Epiſcopis & Preſbyteris præcipere; Laïcos hortari tantùm: παραινῶ μὲν οὖν, καὶ ἰδιώτῃ παντὶ, καὶ ἄρχοντι, μήτε ὁμωρόφιον αὐτῷ, μήτε ὁμοτράπεζον γίνεσθαι. Ἱερεῦσι δὲ διαφερόντως, οἳ μήτε ζῶντας αὐτοὺς προσαγορεύσουσι, μήτε τελευτήσαντας συμπροπέμψουσι.

Vide S. Baſilium in *Iſaiam pag.* 821. Vbi de variis Communionis ſpeciebus.

Communio Orationis & precum : quæ aliquando non denegatur illis , qui vel ab Oblatione, vel Euchariſtiæ perceptione arcentur ; de qua *can.* 11. *Nicæno in fine* , χωρὶς προσφορᾶς κοινωνήσουσι τῷ λαῷ τῶν προσευχῶν. Ex quo etiam conſtat huiuſmodi communione priuatos, audientes , & pœnitentes : addamus & hæreſis ſuſpectos , licèt nondum damnatos , Euſeb *lib.* 5. *Hiſtor. Eccleſ. cap.* 3. de Origene loquens , quem , licèt admodum iuuenem , adeò fuiſſe tenacem ait Canonis Eccleſiæ , vt non potuerit adduci orare cum Paulo quodam hæretico ; οὐδέποτε προσευχῆς κατὰ τὴν εὐχὴν αὐτῷ συστῆναι , φυλάττων ἐξέτι παιδὸς κανόνα Ἐκκλησίας. Quis fuerit hic canon , explicat Irenæus *lib.* 3. cuius verba retulit Euſeb. *lib.* 4. *cap.* 14. *d. Hiſtor. Eccl.* Τοσαύτην οἱ Ἀπόστολοι, καὶ οἱ μαθηταὶ αὐτῶν ἔσχον εὐλάβειαν , πρὸς τὸ μηδὲ μέχρι λόγου κοινωνεῖν τινὶ τῶν παραχαρασσόντων τὴν ἀλήθειαν , ὡς καὶ Παῦλος ἔφησεν , Αἱρετικὸν ἄνθρωπον , μετὰ μίαν καὶ δευτέραν νουθεσίαν παραιτοῦ , εἰδὼς ὅτι ἐξέστραπται ὁ τοιοῦτος καὶ ἁμαρτάνει , ὢν αὐτοκατάκριτος. Rufinus *lib.* 4. *verſionis* Euſebij *cap.* 13. ita interpretatur. *Tantâ tunc Apoſtoli , atque eorum Diſcipuli , in religione cautelâ vtebantur, vt ne verbi quidem communionem , cum aliquibus eorum , qui à veritate deuiauerant , habere paterentur; ſicut & Paulus dicit , hæreticum hominem , poſt vnam & alteram correptionem deuita , ſciens quia peruerſus eſt huiuſmodi , & peccat , cum ſit à ſemetipſo damnatus.* Palladius, Gregorius, & alij Scriptores *vitæ* Ioannis Chryſoſtomi , in referenda hiſtoria quatuor fratrum Monachorum Ægypti , (Μάκροι , id eſt , Longi , à ſtatura vulgò vocabantur) quos à Teophilo Alexandrino iniuſtè excommunicatos , humanè & benignè ſuſceperat Chryſoſtomus , ſocietatis & ſermonis , imò & orationis communione dignatus erat ; tamen communionem Euchariſtiæ , ante cognitionem cauſæ denegauerat. Socrates *Hiſtor. Eccleſ. lib.* 6. *cap.* 9. Μαθὼν δὲ ταῦτα ὁ Ἰωάννης ἐν τιμῇ μὲν εἶχε τοὺς ἄνδρας, καὶ τῶν εὐχῶν μετέχειν οὐκ ἐκώλυσε. κοινωνίας δὲ τῶν μυστηρίων , οὐκ ὅσιον πρὸ διαγνώσεως μεταδοῦναι αὐτοῖς. Sozomenus eadem de re *lib.* 8. *cap.* 13. εὔχεσθαι ἐπὶ Ἐκκλησίας οὐ διεκώλυσε. Nicephorus *lib.* 13. *cap.* 2. Tripertita *lib.* 10. *cap.* 10. ex Socrate. *Hæc Ioannes agnoſcens , honorabat principio viros , eorúmque fruebatur orationibus : Communione verò ſacra cum eis , ante cauſæ cognitionem , participare non voluit.* [Quam Communionem Peregrinam fuiſſe , malè Baronius exiſtimat in huius Hiſtoriæ relatione ad *annum* 400. *num.* 67. & 68. vbi malè perſtringit Palladium Scriptorem *vitæ* Chryſoſtomi , quem ſuſpicatur ſæpiùs fuiſſe Origeniſtam : ſed falsò.]

Communio tertia , Oblationis occurrit ; cuius in *d. can.* 11. Concilij Nicæni, & alibi ſæpiùs mentio fit, ab aliis ſatis explicata eſt.

Quarta Communio , quæ & perfectiſſima ; Sacrorum Myſteriorum, & Euchariſtiæ. Quare per eminentiam *Communio* ſolet appellari.

Plura nuper de his quatuor ſpeciebus viri docti ſcripſerunt. Ad rem , quam paramus , iſta ſufficiant.

Ratione verò Perſonarum , quæ admittuntur ad Communionem , tripliciter diuiditur , in Eccleſiaſticam , [ſiue Clericalem ,] Laïcam, & Peregrinam. Eccleſiaſtica verſatur inter eos , qui ſunt de

Vide Cuiacium ad *cap.* 10. *extra de iudiciis.*

Clero; quorum nomen in Canone, Matricula, & Catalogo Clericorum comprehenditur: Laïca inter Laïcos tantùm: Peregrina verò, quæ peregrè eum Formatis aduenientibus Eccleſiaſticis, vel Laïcis, concedi ſolebat. Commercio enim Formatarum, totus orbis in vna Communionis ſocietate concordabat, Optatus *lib.* 2.

Maior autem exhibetur honor Clericis, quàm Laïcis, ſiue conſeſſum, ſiue locum communicandi ſpectes. Nam *quatuor genera Capitum ſunt in Eccleſia, Epiſcoporum, Preſbyterorum, Diaconorum, & Fidelium*, Optatus *d. lib.* 2.

Apices dignitatum Epiſcopi in Cathedra ſedebant in Abſida poſita, tanquam in honoratiore loco, Auguſtinus *epiſtola* 203. *&* 225. Præſidebat Epiſcopus Ciuitatis; conſidebant Epiſcopi peregrini: poſt Epiſcopos Preſbyteri; *epiſtola* Catholicorum Epiſcoporum totius Africæ *in Geſtis Collationis Carthag. cap.* 16. *Poterit quippe vnuſquiſque noſtrûm, honoris ſibi ſocio copulato, viciſſim ſedere eminentiùs, ſicut peregrino Epiſcopo, iuxta conſidente Collega.* Quam Epiſtolam retulit etiam Auguſtinus *libro ſingulari, de Geſtis cum Emerito*. Peregrinus verò Epiſcopus adire tenebatur Ciuitatis Epiſcopum, qui Conuentum, Collectam, & Synaxim habebat, ſacram Euchariſtiam, id eſt, Chriſti ſacrum corpus conficiebat, & Peregrino Epiſcopo, & poſtea reliquis Preſbyteris porrigebat; ſicut in *can.* 18. Conc. Nicæni dicitur. Ita enim intelligendum puto Euſebium *lib.* 5. *cap.* 24. *ſub finem*; in quo de celebri Controuerſia Paſchatis inter Victorem & Polycarpum tractatur ex Irenæo: ἐκοινώνησαν ἑαυτοῖς. καὶ ἐν τῇ Ἐκκλησίᾳ παρεχώρησεν ὁ Ἀνίκητος τὴν Εὐχαριστίαν τῷ Πολυκάρπῳ, κατ' ἐντροπὴν δηλονότι. Quem locum nec Rufinum, nec Interpretem intellexiſſe puto. Nec enim temerè Ciuitatis Epiſcopus videtur conceſſiſſe peregrino ius celebrandi & habendi conuentum, & ſacra coram eo peragendi; illis præſertim temporibus, & rixa iam ſuborta. Idem Rufinus rectiùs ea verba, & conſuetudinem Eccleſiæ veteris explicare videtur. Ἀλλ' αὐτοὶ μὴ τηροῦντες οἱ Πρεσβύτεροι, τοῖς ἀπὸ τῶν παροικιῶν τηροῦσιν ἔπεμπον Εὐχαριστίαν. *Rufinus: Imò potiùs & omnes Preſbyteri, qui fuerunt ante te, omnibus ſemper, qui non ita obſeruabant, Preſbyteris Eccleſiarum Euchariſtiam ſolemniter tranſmittebant.* Antiquum morem innuit mittendæ Euchariſtiæ, in ſignum concordiæ, conſenſus, & vnitatis.

Magis placet ſecunda Interpretatio. *Polycarpo conceſſit, vt Euchariſtiam in Eccleſia conficeret ac celebraret.* Hoc enim aliquando concedi ſolebat peregrino ab Epiſcopo Ciuitatis: imò & ad Sacrorum celebrationem inuitabantur quandoque peregrè venientes Epiſcopi. Vide Ant. Auguſtini *Epitomen parte* 1. *de Epiſcopis. Peregrino Epiſcopo locus ſacrificandi detur.* Conc. Arelat. I. *can.* 20. Carthag. IV. *can.* 33. Synodi in Trullo *can.* 20. *Capitular. lib. cap.* 2 ex Synodo Francofordicenſi, *circa medium.* Sueſſionenſe ſub Pipino *circa medium.* Socratem *lib.* 6. *hiſt. cap.* 13. quo inſignis hanc in rem habetur locus, occaſione rixæ Chryſoſtomum inter & Epiphanium ſubortæ.

Sicut autem Epiſcopi Peregrini cum Epiſcopo Ciuitatis communicabant; ita Peregrini Preſbyteri, & Diaconi, ſecundùm ſui gradus prærogatiuam ſinguli: omnes tamen intra Altare, ad differentiam Laïcorum, qui & in ſedendo, & communicando ſeparabantur Cancellis

cellis & Velis à Clero. Preſbyterium verò & Altare communicando Cancellis & Velis muniebatur, vt arcerentur Laïci, tam in ſedendo, quam in communicando. Cancelli & Vela ea in re nota: κιγκλίδας, & καγκέλλους, & βῆλα vſurpare ſolent Concilij Chalced. *acta*. Athanaſius in *epiſtola ad Solitariam vitam agentes*, ἁρπάσαντες τὰ συμψέλλια, καὶ τὸν θρόνον, καὶ τὴν τράπεζαν, ξυλίνη γὰρ ἦν, καὶ τὰ βῆλα τῆς ἐκκλησίας, &c. *Rapientes ſubſellia, & Cathedram, & Menſam: erat enim lignea*. Vela Eccleſiæ malè *tabulas* pro *Velis* vertit Interpres. Statim etiam ſubiicit Cathedram Epiſcopalem, ſicuti diximus, in interiori parte templi poſitam. Et iterum in *eadem epiſtola* de Militibus Syriani ita loquitur, ἥρπαζε τὰ ἔνδον, εἰς τοιούτους τόπους εἰσήρχοντο, εἰς οὓς, οὐδὲ πᾶσι τοῖς χριστιανοῖς ἔξεστιν εἰσελθεῖν. Gregorius Nazianzenus apertiſſimè in *verſibus ad Epiſcopos pag. 82. fine*.

Τὸ σεπτὸν τοπάροιθε σοφῶν ἕδος ἔργος ἀείστων,
Βῆμα τόδ᾽ Ἀγγελικῇσι χορστασίῃσι τεθηλός,
Κιγκλίδα τ᾽ ἀμφοτέρων κόσμων δύο, τοῦτε μεδόντος,
Τοῦτε παρεσταμένοιο, θεῶν ὄχον, ἡμείων τε, &c.

Plura de Cancellis & Preſbyterio notauimus ad *cap. 1. de vita & honeſtate Cleric.* Syneſius *epiſtola* 67. coniungit τράπεζαν, & καταπέτασμα μυστικόν.

Græcè τὸ βῆμα. De qua voce vide *notas* Frōtonis ad *tomum* 1. Chryſoſtomi *pag.* 68. & plenius ad *tomum* 4. *pag.* 12. 48. *&* 52. Βελόθυρα vnica voce appellat Chryſoſtomus in *Matth. hom.* 84. ἀμφίθυρα in *cap.* 26. *Matthai*. Adde *notas* in Paulini *epiſt. pag.* 796. ibi: *perlucente tranſenna*, & *pag.*849.*& ſeq.* *ad hūc verſum*. *Aurea nunc niueis ornantur lumina velis.* vbi fusè Roſvveydus.

Eadem forma Conſiſtorium Principis, & Summorum Magiſtratuum Tribunalia Cancellis erant incluſa; & Vela præterea obtendebantur. Sidonius *lib.* 1. *epiſtola* 2. & in *l.* 5. *Cod. de Naufragiis*: *de ſubmerſis nauibus decernimus, vt leuato velo iſta cauſa cognoſcantur*: vbi dominus Cuiacius locum, qui ad rem facit, refert ex Comedia Quærulo, *iſti ſunt, qui in fanis & ſacellis obſeruant vela.*

Intra Altare itaque communicabant Clerici, ſiue ipſius Ciuitatis, ſiue Peregrini. Nihil præterea Peregrinis Clericis concedebatur; niſi ſpeciali iuſſu & mandato præcedente Epiſcopi Ciuitatis, in qua morabantur. ἱερουργία diſtrictiſſimè prohibebatur. Conuentum agere, ordinare, concionari, ea, quæ ſunt iuriſdictionis, vel ordinis, aut miniſterij exercere non licet Peregrino Epiſcopo, vel Clerico, iniuſſu Epiſcopi, ad cuius Diœceſin accedit: Communione tantùm orationis, & Euchariſtiæ fruitur, ſi Epiſcopus Metropolitani literas; vel reliqui Clerici, & Laïci Formatas habeant à proprio Epiſcopo.

Auitus Vienſis *epiſt.* 9. *Cæſario Arelatenſi Epiſcopo*, in qua Maximianum Epiſcopum commendat. *Peregrinus Sacerdos dici non poteſt, vbi Catholica reperiri Eccleſia poteſt.*

Et hæc eſt, quæ Peregrina Communio appellatur *can.* 8. *Nicano*, *can.* 14. *&* 15. *Sardic. & can.* 2. Concil. Conſtantinop. I. Exemplum ad *d. can.* 14. *Sardic.* pete ex Socrate *lib.* 6. *cap.* 10. *& ſeqq.* & quæ alieno loco in *fine eiuſdem libri* 6. vbi de contentione inter Chryſoſtomum, [Epiphanium,] & Seuerianum. Quibus locis præſumptiones coërcentur eorum, qui extra Diœceſin aliquid audent. Frequentia ea de re in *Hiſtoria Eccleſiaſtica* exempla occurrunt. Multa vnius Chryſoſtomi *vita* ſuppeditat, aduerſus Epiphanium, & Theophilum, quæ ex Palladio, & reliquis eius *vitæ* Scriptoribus re-

peri poſſunt. Quibus adde Socratem *lib. 6. cap. 12.* Sozomenum & Nicephorum.

Ad inſtar Peregrinæ Communionis propriè dictæ, pœnalis quædam Communio dicta eſt Peregrina, rei effectu inſpecto, [& dignitate perſonarum ſpectata. Sicut & Laïca Communio pro pœna aliquando ſumitur, & pœnitentia Laïci videtur appellari ab Hilario ſub *initio libri ad Conſtantium Auguſtum*, quem librum ipſe Conſtantio tradidit. *Si indignum aliquid non modo Epiſcopi ſanctitate, ſed etiam Laici integritate geſſiſſe docear; non iam Sacerdotium per veniam expectem, ſed intra pœnitentiam Laici conſeneſcam.* Peregrinæ itaque Communionis pœnalis exemplum proponi poteſt, verbi gratia] quoties Epiſcopo adimitur Epiſcopatus, ad quem ordinatus eſt, adminiſtratio; nomen verò, ordo, & dignitas relinquitur. Sedet, communicat cum Epiſcopis; nullam habet executionem officij ſui. Exempla ſuprà attulimus ex Synodis Regenſi, Agathenſi, Ilerdenſi. Et quidem in Regenſi *canones Niceni* citantur in exemplum. *Canonem* 8. intellexiſſe diximus Patres, in quo Nouatianis Epiſcopis, in eadem Ciuitate cum Catholico conſtitutis, Catholicus retinet dignitatem; Nouatianus, ſiue Catharus regradatur in ordinem Preſbyteri: benigniùs tamen facturum Epiſcopum Catholicum, ſi nominis Epiſcopi honorem ei permittat, aut ſaltem locum Chorepiſcopi, τιμὴν τοῦ ὀνόματος. Et in *Epiſtola* ipſius Concilij *ad Eccleſiam Alexandrinam*, Meletio omnis ἐξουσίας αὐθεντίας adimitur; ψιλὸν ὄνομα τῆς τιμῆς relinquitur. In Concilio Chalcedon. *Actione* 11. Epiſcopatus Epheſinus adimitur Baſſiano, & Stephano, qui contra Canones occupauerant Epheſinam Sedem: nominis tamen honor relinquitur; & ſolatij, & alimentorum loco ex reditibus Eccleſiæ Epheſinæ ſingulis ducenti aurei aſſignantur. Paſchaſinus & Lucentius Epiſcopi Legati Papæ vtrúmque ita diſtingunt. *Baſſianus & Stephanus* τῆς ἡσυχίας ἀπολαύειν, παυομένης τῆς κατ' ἐκείνην Ἐκκλησίας ἐνεργείας, *quietem habeant, ceſſantes ab operatione, vel adminiſtratione eiuſdem Eccleſiæ*; & in eorum loco alius ordinatur Epiſcopus: eis tamen relinquitur ἀξία τῆς Ἐπισκοπῆς, καὶ κοινωνία, καὶ παραμυθία ἡ προσήκουσα, *Communio, & neceſſaria ſalaria, ſiue decens ſolatium.* Breuiter in Synodo Regenſi, *Peregrina Communione foueatur.* Peregrinis enim Epiſcopis vel Clericis, humanitatis cauſa & Communio in ſuo cuique ordine conuenienter, & alimenta tribuebantur.

Exempla etiam in iure ſuperſunt ex *l. ſpecioſas* 100. *ff. de verbo. ſignificat.* ibi: *qui ornamentis Senatoriis vtuntur.*

[Et Concilium Nicænum in *can. 8. ſub finem* nomen Epiſcopi ſeparat à Chorepiſcopatu, tanquam pœnam minorem à maiore: & tertio loco ſubiicit Preſbyterij locum. Alia & grauior pœna extra Clerum ad Laïcos relegari *can.* 18. *&* 19. Conc. Sardic. Apud Græcos Grauiſſima pœna Laïca Communione priuari *can. 1. Sardicenſ.* Media inter duas extremas regradari.]

Maior autem pœna, Epiſcopum in ordinem Chorepiſcoporum regradari, vt diximus. Nota eſt enim differentia inter Epiſcopos, & Chorepiſcopos. Multò maior, [ad Preſbyterorum gradum redigi.] Nam ſicut Chorepiſcopus omnibus Epiſcopis eſt inferior; ſuperior eſt Preſbyteris. Et munia Chorepiſcoporum in *canonibus* diſtinguntur à muneribus Epiſcoporum. Omnia, quæ Chorepiſcopo per-

mittuntur, Epiſcopus exercere poteſt: non contra Chorepiſcopus. Vide dictam Synodum Regenſem *can.* 3. 4. *&* 5. *can.* 12. *Ancyr. & can.* 10. *Antioch.* & quæ ad *eos canones* Græci & Latini de Chorepiſcopis notarunt.

Non debuit itaque Peregrina Communio confundi, & ita explicari; *cum ab Epiſcopi dignitate & ordine in Chorepiſcoporum gradum ſummouetur Epiſcopus.* Nam apertè ea duo ſeparantur in *d. can.* 5. *aut Chorepiſcopi nomine, aut Peregrina communione foueatur.*

[Sultè verò Chorepiſcopum dicunt aliqui Peregrinam habere Communionem, quia extra vrbem verſatur, quaſi Peregrinus. Nam Peregrinus Epiſcopus intelligitur propriè, qui ex aliena Diœceſi accedit: cui comparatur ille, cui nomen Epiſcopi permittit habere Epiſcopus verus. Perinde enim atque quilibet alius Epiſcopus Peregrinus, nullam in ea Diœceſi, in qua priùs tanquam Epiſcopus ſe geſſerat, autoritatem & Iuriſdictionem obtinet.]

Multò minùs in *can.* 16. Concilij Ilerdenſis, *Anathematis* nomine, continetur Communio Peregrina. Integram enim Communionem & illibatam in ſuo ordine retinet, vt diximus, Epiſcopus vel Clericus, cui pro pœna infligitur Communio Peregrina. In *d.* verò *can.* 16. grauiſſima pœna grauiſſimo peccato ſacrilegij; &, quod auget peccatum, Clericis ſacrilegis imponitur meritò: non vt Peregrinam; non vt Laïcam Communionem tantùm inter Laïcos accipiant, quæ ſumma eſt pœna Clericorum; ſed vt omni omnino Communione priuentur, id eſt, alieni fiant à nomine Chriſtiano. Et *vix quoque*, addit canon, *Peregrina Communio concedatur*; id eſt, poſt longam Pœnitentiam vix diſpenſabitur cum eis: non vt reſtituantur executioni & adminiſtrationi, vel miniſterio gradus ſui; ſed tantùm nudo nomine & dignitate fruantur, & poſtremi Communionem accipiant inter eos, qui ſunt eiuſdem gradus.

Depoſitum Epiſcopum Laïcam Communionem retinere probat *can.* 18. *&* 19. Concilij Sardicenſis in Græcis, qui in Latinis non extant, in quibus de depoſitione Muſæi & Eutychiani agitur. Vide Palladium in *vita* Chryſoſtomi, VI. Synodi in Trullo *can.* 20. *&* 21. & inter Africanos *can.* 47.

Tanti etiam faciebant Communionem Eccleſiaſticam, [ſiue Clericalem] accipere intra Altare, inter ſui Ordinis Clericos: vt depoſitis Epiſcopis, & non tantùm executione, adminiſtratione, & autoritate; ſed etiam ipſo nomine nudo priuatis, ſummi beneficij loco humaniter conceſſerit Chryſoſtomus, intra Altare communicare quibuſdam Epiſcopis; quamuis ne nominis quidem Epiſcopalis honorem eis conceſſiſſet, Palladius in eius *vita pag.* 26. eo loci, vbi tractat de Depoſitione Epiſcoporum Aſianæ Diœceſis, qui pecunia data conſtituti fuerant, *προσέταξεν ἡ σύνοδος τὸ μὲν χρυσίον αὐτοὺς λαβεῖν, παρὰ τῶν κληρονόμων Ἀντωνίνου, κοινωνεῖν δὲ ἔνδον τοῦ θυσιαστηρίου· εἶναι δὲ ἀπὸ ἱερέων.* Communicare quidem intra altare permiſit; priuauit verò omninò Sacerdotio: [exiſtimauerim, & omni gradu Eccleſiaſtico.] Gratiæ & indulgentiæ loco, quia ſponte crimen Simoniæ confeſſi erant, à Chryſoſtomo petierant *εἶναι ἐν τῇ λειτουργίᾳ ἢ βουλευτῶν*, & à Curiæ one-

re liberari. Primum denegat : de ſecundo reſpondet , etſi per depoſitionem & ademptionem autoritatis & nominis Epiſcopalis redacti forent inter Laïcos, & per conſequens Curiæ honoribus obnoxij ; effecturum ſe tamen pollicetur apud Imperatorem, vt Curiæ immunitate fruerentur. Multi autem illis temporibus ideò Epiſcopatum ambiebant, ne Decuriones fierent, vel cum antea Curialis conditionis forent, per adeptionem Epiſcopatus onere Curiæ liberarentur. [In Clerum etiam ſe allegi per dolum & fraudem, inconſultis Epiſcopis, quidam curabant, vitandi delectus cauſâ, aut vt è corporatorum collegiis exirent, Illuſt. Marca *lib. 2. de Concordia cap. 11. §. 9. l. 11. Cod. Theod. de Piſtoribus & Catabolenſibus, l. 8. eod. Cod. de Suariis. Notæ ad Philoſtorgium pag.* 287. *& ſeq.* & Ambroſius *epiſt.* 29. *lib.* 5. Quid verò ſit Curiæ tradi, vide apud Radulphum Fornerium *lib. 1. variarum.*]

Sed hæc omnia pluribus aliquando, Deo fauente, perſequemur in *diſſertatione de Depoſitione Epiſcoporum Aſianæ Diœceſeos*: in qua Palladij, vel quiſquis ille ſit, optimi & æqualis vitæ Chryſoſtomi ſcriptoris Græca, maxima ex parte reſtituemus, & explicabimus. Necdum enim editus eſt Græcè, & verſio corruptiſſima eſt. In qua reliqua etiam, quæ non immeritò deſiderantur, in *hac Tractatione* ſupplebimus.

De qua vide Baronium ad *an.* 400. *num.* 73. 74. *&* 75. Adde *can.* 18. *&* 19. Conc. Sardicenſis in *Græcis*, de depoſitione Muſæi & Eutychiani.

Concludamus allato egregio ſanctiſſimi Athanaſij loco, ab Interprete non intellecto, ſub *finem epiſt. ad Solitariam vitam agentes* [*pag.* 667. *edit.* Commelini.] De Meletianis Epiſcopis loquitur, qui ad opprimendum Athanaſium Arianis ſe adiungebant ſocios & fautores. οἱ μὲν γὰρ αὐτῶν ἐξ εἰδώλων ἐλθόντες, οἱ δὲ ἐκ τοῦ βουλευτηρίου, καὶ τῆς πρώτης πολιτείας, διὰ τὴν ταλαίπωρον ἀλειτουργησίαν, καὶ προστασίαν· πείσαντες τοῖς χρήμασι τοὺς πρὸ αὐτῶν Μελιτιανοὺς, εἰς τοῦτο παρῆλθον, καὶ πρὶν κατηχηθῶσι. *Quidam*, inquit, *ex illis ab Idolis venientes*, id eſt, paulò antè Pagani; *quidam è Curiâ & Decurionibus & Ciuitatum Primoribus, propter miſeram immunitatem, & vt præſint*, nempè fiant Epiſcopi: *maiores ſuos Meletianos pecuniâ perſuadentes, ad hoc dignitatis culmen peruenerunt*, nempè vt fierent Epiſcopi, *etiam antequam fuiſſent Cathecumeni*. Quod & in *ſequentibus* repetit. Et vbique Interpres, ἀλειτουργησίαν vertit *purpuram*; fortè ἁλουργίδα commentus: & προστασίαν *humanam præfecturam*; cum de Epiſcopatu ſit ſermo. [Προστασία non tantùm patrocinium, ſed etiam Dignitatem Eccleſiaſticam, verbi gratia Epiſcopatum, propriè ſignificat, Frontonis Ducæi *notæ* in *tomum* 1. Chryſoſtomi *pag.* 63. & Petauius in *Diſſertationibus Eccleſiaſticis pag.* 98. vbi præſidentes Tertullianus appellat, quos Iuſtinus προεστῶτας, id eſt Epiſcopos vocat. Ἐπίστασιν, vel ἐπιστασίαν (ita Melini Anglic. contextus *tomo* 6. *pag.* 3. *num.* 20.) Chryſoſt. *lib.* 1. *de Sacerdotio cap.* 3. ἐπισκοπῆς ἀξίωμα vocat, & ibi Fronto. Sozomenus *lib.* 8. *cap.* 1. προστασίαν eodem ſenſu vſurpat. Προστασία tamen alio ſenſu tribuitur Petro in omnes Eccleſias in *notis ad d. tom.* 1. *initio* pag. 87. Meritò porro in *fine epiſtolæ Synodicæ* Alexand. Synodi in Cauſa Athanaſij *pag.* 575. *editionis* Commelini, Meletiani ita deſcribuntur. οἱ δὲ σχισματικοὶ, οἱ καὶ μοιχοὶ, νῦν τῆς ἐκκλησίας παραπεσόντες, καὶ σχίσμα κινοῦντες. κατασκευάζουσι γὰρ ἀλόγους, καὶ χειροτ-

Meletius Metropolitanus Ciuitatis Lyci in Thebaide Prouincia Diœceſeos Ægypti.

κὰν ποιοῦνται, id eſt *ordinationes iniuſtas faciunt, & ferè ex Ethnicis Epiſcopos deligun*.]

Confirmari poſſunt, quæ de immunitate à curia diximus, per Epiſcopatus adeptionem *ll.* [12. 16. 19.] 21. 38. & 53. *C. de Epiſcopis & Cleric. l.* 26. *&* 60. *C. de Decurion.* [*l.* 5. *Cod. qui bonis cedere poſſunt. Nou.* 81. *cap.* 1.] *& Nou.* 123. *cap.* 4. *ll.* 63. 99. 104 123. 163. *&* 187. *C. Theod. de Decur. Nouella Leonis & Maior. de Curialibus.* [*l.* 3. 7. *&* 9. *Cod. Theod. de Epiſc. Eccleſ. & Clericis. l.* 4. *Cod. Theod. de luſtralis auri Collat. Nou. de corporatis vrbis Romæ, & Nouel. de ſucceſſione Curial. in Cod. Theod.* & Iuretus in *notis ad Symmachum pag.* 327. *editionis* 2.] Verùm de his commodiùs alio loco. Modus ſeruandus, & finis imponendus, ſi priùs pateris, Lector, medicinam fieri elegantiſſimo Athanaſij loco, qui citato proximus eſt, & ad Meletianos pertinet. In Græco corruptiſſimus eſt, nec ab Interprete intellectus: Τῶν μὲν οὖν ὑποκειμένων Ἐπικειριανῶν, εἶτα Μελιτιανῶν ὁ τρόπος αὐτὴ, καὶ ὁ τρόπος ἄπιστος. Corrige. Ἐπικουρειανῶν, *Epicurarianorum.* Antea oſtenderat Meletianos, qui in Concilio Nicæno ab Ario receſſerant, iterùm ad eos rediiſſe, eſſe Chamæleontes: quare τρόπος ἄπιστος. Iterùm, ſtatim antea, voluptatem Meletianos veritati anteponere, & ſolùm hoc habere in ore, φάγωμεν, καὶ πίωμεν, αὔριον γὰρ ἀποθνήσκομεν: quod eſt dictum Epicureorum ſolemne. [Quin & Philoſtorgius *lib.* 10. *hiſt. cap.* 3. ſcribit Eunomianos, qui & ipſi ab Ario fluxerant, obiciſſe reliquis tribus Arianorum ſectis, χρημάτων τε τὰς ἱερωσύνας καὶ διδόναι, καὶ λαμβάνειν, καὶ τοὺς ὑπερθέντας, καὶ σωματικὰς ἰδέας μεταδιώκειν.] Eleganter itaque [Athanaſius Arianos] compoſito nomine *Epicurarianos* appellat, qui vtrorúmque mores; ſub falſo tamen nomine larua & perſona Meletianorum, abſcondebant id, quod erant, Epicurarianos veros.

Coniecturam noſtram confirmat Suauis Eunomij & Ætij Laudator.

AD TIT. VIII.

DE VSV ET AVTORITATE PALLII.

TRACTATVS VIII.

ARctissime cohæret hic titulus cum tribus præcedentibus, cum *titulo de Poſtulatione;* quia ſæpiùs in Poſtulatione Epiſcopus in Metropolitanum conſtitui petitur: nec tamen, licèt approbata fuerit Poſtulatio à Summo Pontifice, poterit Metropolitani nomen vindicare, antequam impetrauerit Pallium *cap. 3. hoc tit.* Aliquando ſimul confirmatur Poſtulatio, & Pallium tribuitur *cap. 4. in fine de Poſtulatione.* Itémque electus in Archiepiſcopum, poſt Confirmationem & Conſecrationem, ius Pallij obtinere tenetur *cap. 4. & 11. de Electione.* Aliquando ſimul confirmatur Electio Archiepiſcopi, & Pallium conceditur, vt in integra ſpecie *cap. 23. eodem tit. de Electione*, in qua, caſſata poſtulatione Vvormacienſis Epiſcopi in Moguntinenſem Archiepiſcopum, confirmat Pontifex Electionem Siffridi, & ei Pallium concedit.

Cum *titulo de Tranſlatione* cohæret; quia ſæpiſſimè fit de minori Eccleſia ad maiorem, verbi gratia de Epiſcopatu ad Archiepiſcopatum.

In hoc verò Tractatu Primò *omnium Capitulorum breuem ſummam conficiemus, quid ſit Pallium, quæ Forma, & Benedictio.* Secundò *de Origine & Antiquitate.* Tertiò *qui petere teneantur, quibus concedi, & qui concedere ſoleant.* Quartò *de Iuramento in traditione Pallij, quis Pallij effectus, & vtilitas.* Poſtremò *de Pallij conceſſione Epiſcopis quibuſdam ſingulari priuilegio indulta.*

I. Pars. OMNIA capitula *huius tit.* ad duo ſumma capita referimus, quæ Rubrica ſignificantur: ad *Vſum* vel *Autoritatem Pallij.*

Ad *vſum:* nam Pallium vtendum datur Perſonæ, nec eam egreditur, commodari non poteſt, & cum mortuo ſepelitur. Quare paſſim in *hoc tit. vſus*, & *vtendi* verbum vſurpatur, & nominatim in ipſa traditione & conceſſione *cap. 1. 2. 4. & 5. hoc tit.*

Digitized by Google

Huiuſmodi verò vſus non ita plenus eſt, vt pendeat ex arbitrio vtentis: certus modus vtendi iure definitus eſt, qui potiſſimùm ex ſolemnibus formulis conceſſionis interpretationem accipit. Pontifex tamen aliquando formam & modum vtendi latiùs extendit: quo caſu forma in priuilegio expreſſa retinenda eſt, nec vltra producenda.

Regulariter verò permittitur vſus Pallij non vbique, ſed tam intra Cathedralem Eccleſiam, quàm intra quamlibet aliam Prouinciæ, in qua iuriſdictionem habent Archiepiſcopi; non autem extra Eccleſiam, vel Prouinciam *cap.* 1. 4. *&* 5. & ita reſtringendum eſt *cap.* 6. *hoc tit. vbicumque*, id eſt, in qualibet Eccleſia Prouinciæ.

Speciali tamen priuilegio Pontifex indulgere poteſt vſum Pallij extra Prouinciam, petita tamen facultate vtendi ab Epiſcopo, ad quem Eccleſia pertinet *dicto cap.* 5. quia Pallium ſignum eſt & ſymbolum iuriſdictionis, & per illud plenitudo Pontificalis officij ſignificatur *cap. penult. hoc tit.* nec quotidie, ſed certis tantùm & ſolemnibus diebus, qui numerantur à Gloſſa in *cap. ad honorem hoc tit.* & in *integrâ:* vel his diebus, qui nominatim in conceſſione expreſſi fuerint.

Præterea in certis tantùm actibus Pallio licet vti; verbi gratia in Miſſarum Celebrationibus, Conſecrationibus Suffraganeorum, Ordinationibus Clericorum, & intra propriam Eccleſiam, non extra *capp.* 1. 4. 5. *hoc tit.* conuenienter antiquis *canonibus* 6. 7. & 8. *Diſt.* c. & Synodo generali VIII. ſub Adriano II. *can.* 27.

Quamuis autem Perſonæ ſpecialiter concedi dicatur Pallium; ratione tamen Eccleſiæ datur, Metropolitanæ ſcilicet. Aliis quàm Metropolitanis tribui non ſolet, niſi rariſſimè, vt infra dicemus: exemplum extat in *cap. penult. de Præſumptionibus.* Quare in *cap.* 4. *ſupra de Poſtulationibus* Pallium tribui dicitur Perſonæ ad nomen & vſum Eccleſiæ. Quod confirmat eleganter Hincmarus Remenſis in *epiſt.* 2. *ſub finem editione Pariſienſi.* Et hæc de *Vſu Pallij.*

Ad *Autoritatem Pallij* quod attinet. Poſt Electionis, Poſtulationis, vel Tranſlationis in Archiepiſcopum Confirmationem; imò & poſt Conſecrationem, ne quid ad executionem Pontificalis officij deſit, Pallium conceditur, in quo officij plenitudo cum Archiepiſcopalis nominis appellatione confertur. Nec enim ante impetratum Pallium poteſt nomen Archiepiſcopi ſumere, conuocare Concilium, conſecrare Suffraganeos, ordinare Clericos, conficere chriſma, dedicare Baſilicas *cap.* 21. *de Electione initio in* 1. *Collectione cap.* 28. iuncta *antiqua, &* 44. *tit. de Electione*, Innocentius III. *libro* 1. *de myſteriis Miſſæ cap.* 63. *in fine, & cap.* 5. *de Conſecratione Eccleſiæ*, iuncta *antiqua.*

Metropolitæ tamen aliquando in Gallia tẽporibus Ioannis VIII. ante quàm Pallium à Sede Apoſtolica ſuſcepiſſent, conſecrationem facere præſumebant. Quod damnat Ioannes VIII. *epiſtolis ad Roſtagium Arelatenſem Epiſc. & vniuerſos Epiſcopos Galliæ*, quæ extant *tomo* 3. Concil. Galliæ.

Itemque ex *cap.* 11. *tit. de Electione* notandum, licèt ante Pallij impetrationem conſecrare non poſſit Epiſcopos Metropolitanus, mandare poſſe Suffraganeis vt conſecrent. Huiuſmodi enim mandatum

eſt Iuriſdictionis, quam Confirmatio Electionis Metropolitani transfert, vt *Tractatu de Electione* diximus: quod tamen ius non ſemper certum fuiſſe, nec apud omnes de eo conſtitiſſe, ſupra *eodem tit.* indicauimus. Conſecratio verò Epiſcopi eſt Archiepiſcopi propria: cui non niſi poſt impetrationem Pallij competit, ne poſt Conſecrationem quidem. Nam Conſecratio ius proprium & rem ipſam, ſiue poteſtatem confert Dignitatis Metropolicæ: ſed executio & nomen permittitur poſt impetrationem Pallij.

Ita in iure Legatus Proconſulis, quamuis à Senatu vel Imperatore poteſtatem habeat & iuriſdictionem; non tamen poteſt eam exercere, niſi à Proconſule ei mandata ſit, *l. 1 ff. de Officio Proconſulis.* Cuiacius *lib. 7. Obſeruationum cap. 21.*

Quod autem diximus ſupra, ſolum Pontificem Romanum ſemper in Miſſarum ſolemniis vti Pallio, nouum eſt. Nam olim omnes Archiepiſcopi ſine Pallio Miſſam dicere non præſumebant, Concilio Matiſconenſi I. *can. 6.*

Itaque pro ſummo priuilegio & præter conſuetudinem legimus apud Surium, Agapetum II. miſiſſe Pallium Brunoni Colonienſi Archiepiſcopo, quo *præter conſuetudinem, quoties vellet, indui permiſſus.*

Itémque Leo IV. ad interuentionem Lotharij Imperatoris, Hincmaro Remenſi Pallium *ad quotidianum vſum* conceſſit: quod idem Papa in *epiſtola ad Hincmarum* directa ait, *nulli Archiepiſcopo ſe conceſſiſſe, vel deinceps conceſſurum eſſe;* Flodoardus *lib. 3. hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Remenſis cap.* 10. Hoc priuilegium tamen Nicolaus I. improbare videtur *epiſt. 47. in fine:* ſubiratus quippe Hincmaro, vt epiſtolæ totius contextus declarat, cui doctiſſimè idem Hincmarus reſpondet *epiſt. 2. editionis Pariſienſis.*

Ad id autem quod in *cap. vlt.* quæritur, an pro defunctis cum Pallio celebrare liceat? Reſpondemus regulariter non licere, vt exprimitur in *Pontificali Romano tit. de Pallio.* Nam dies ſolemnes, qui exprimuntur à Gloſſa in *dicto cap. ad honorem Dei*, ex Vincentio veteri Interprete Collectionis III. vt notat Antonius Auguſtinus ad *cap. 21. de Electione in 1. Collectione*, non faciunt mentionem Miſſarum pro defunctis. Vincentius verò ex *integra Decretali d. cap. ad honorem* ſuam notam exſcripſit, quæ extat *in geſtis* Innocentij III. *pag. 64.* Innocentius IV. ad *cap. vlt. hoc tit.*

Sed neque tempore ieiunij: & multò minùs extra Eccleſiam Pallium deferri debet, Gregorius I. *epiſt. 93. lib. 1. Regiſtri*, ex qua ſumpti ſunt *canones 7. & 8. Diſt.* c. quæ valdè illuſtrant *cap. vlt. hoc tit.*

Hactenus explicauimus mentem & ſententiam *omnium Capitulorum huius tit.* Sequitur vt videamus, Quid ſit Pallium, quæ Forma, & Benedictio.

Et quidem definitur Pallium ab Innocentio III. in *cap. 23. extrà de Priuilegiis, plenitudinis officij Pontificalis inſigne*; vel apertiùs, *Archiepiſcopalis dignitatis inſigne.* Proprium eſt enim Archiepiſcoporum & Metropolitanorum, quo *Maiores vtuntur Epiſcopi, ſiue Archiepiſcopi,*

vt loquitur

vt loquitur idem Innocentius *lib. 1. Myſteriorum Miſſæ cap. 63.* vbi Pallij forma deſcribitur. *Pallium fit de candida lana contextum, habens deſuper circulum humeros conſtringentem, & duas lineas ſiue faſcias ex eodem panno, ab vtraque parte dependentes; quatuor autem cruces purpureas, ante & retrò, à dextris & à ſiniſtris: ſed à ſiniſtris Pallium eſt duplex, ſimplex à dextris; cui in tres partes conciſo tres acus infiguntur, (ſpinas vocant alij) quibus conſuitur. Humerale* vocatur à Latinis; ſicut à Græcis ὠμοφόριον.

Fusè verò de Materia, Forma & Benedictione Pallij *Anonymus Autor Rituum, ſiue Sacrarum Cerimoniarum SS. Eccleſiæ Rom.* qui ſe ſub Sixto IV. Magiſtri Cerimoniarum officio functum fuiſſe dicit *lib. 1. ſect. 10. cap. 5. de Pallio & quom. trad.* Vbi etiam docet, quare dicatur paſſim Pallium ſumi de Corpore beati Petri: nempe quia per Canonicos Baſilicæ ſancti Petri ponuntur Pallia ſuper corpora Petri & Pauli Apoſtolorum ſub Altari maiori; vbi factis ex more vigiliis per noctem dimittunt.

Oſtienſis tamen ad *hunc tit.* notat, de quocunque etiam altari ſumi poſſe, *de mandato tamen domini Papæ*: quia, vt ait, *non vbi Roma eſt, ibi Papa eſt; ſed è conuerſo: unde & de altari Cappellæ domini Papæ ſumuntur. Qui vidit & recepit, teſtimonium perhibet, &c.*

Plura de Pallio qui ſcire cupit, adeat Onufrium Panuinium in *explicatione vocum obſcuriorum Eccleſiaſticarum*; & Innocentium III. *loco citato.*

Græci, vt diximus, vocant ὠμοφόριον, de quo Meurſius in dictione ὠμοφόριον: malè tamen ὠμοφόριον, & φαινόλιον confundit. [Vide Frontonem Ducæum in *notis ad 4. tomum* Chryſoſtomi *pag.* 49. De Pallij Epiſcopalis uſu apud Græcos vide *notas ad Euchologium pag. 312. & ſeq.* & de Monachorum Pallio, idem *Euchologium pag.* 495.]

Rectiùs in dictione πολυσταύριον Meurſius φαινόλιον & πολυσταύριον docet eſſe ſynonyma apud Græcos. Quin & Σάκκος appellatur. Accedunt Bulengerus *libro ſingulari de veſte Pontific.* & Greſerus ad *Codinum.* Φαινόλιον ſupra στιχάριον, id eſt tunicam iniiciebatur. Φαινόλιον multis crucibus inſperſum erat: unde πολυσταυρίου nomen. *Saccus* etiam nominabatur πολυσταύριον, quia ſacci formam habebat. Nulla in eo *manicæ, manicæ*, ſicut nec in Colobio.

Iuriſconſultorum diſtinctione & verbis vtamur. Ornandi & tegendi corporis cauſa φαινόλιον inuentum: Pallium non tegendi, ſed ornandi; tanquam inſigne Dignitatis geſtari ſolitum probauimus.

Longiùs aberrant, qui *Phrygium* confundunt cum *Pallio. Phrygium, ſiue Lorum*, capitis integumenta, Mitram, Tiaram, vel Diadema ſignificant, opere Phrygio contexta. Quamuis non inficier, à veteribus *Palliola*, ſicut πλίθα, inter capitis tegmina numerari. Sed planè alio ſenſu Pallium in *hoc tractatu* accipitur. In *ficta Donatione* Conſtantini Ἐπέκεινα δὲ καὶ τὸ διάδημα, ἤτοι τὸν στέφανον τῆς κεφαλῆς ἡμῶν, ἅμα καὶ τὸν λῶρον, καὶ τὸ ὠμοφόριον, ὅπερ κυκλοῖ τὸν βασιλικὸν τράχηλον: Rectè. Ex *Græca*, tranſpoſitio, quæ in *Latina* remanet, reſtituenda eſt. *Deinde Diadema, videlicet coronam capitis noſtri ſimúlque Phrygium*, videlicet *lorum*

& ſuperhumerale, quod imperiale &c. Confirmant hanc interpretationem, quæ ſequuntur in *eadem Donatione Græca*, τὸν ὑπερλαμπρον λῶρον, &c. τῇ ἁγίᾳ κεφαλῇ αὐτοῦ, ἰδίαις χερσὶν ἐπιτεθείκαμεν: in *Latino*, *Phrygium verò, candido nitore ſplendidum, &c.* Lorum & Phrygium, velut ſynonyma vſurpantur. Gloſſemata vetuſtiſſima, etiam in Gratiani *emendatione Romana* adſcripta, *Phrygium, id eſt Mitram*, explicant *ad can. Conſtantinus* 14. *Diſt.* XCVI. Nec eſt quod quis requirat, cui contextui Donationis potiùs credendum, Græco, an Latino: vtriúſque idem fabricator. Nuperum verò Commentatorem meritò notauit doctiſſimus Salmaſius in vera notatione vocis λῶρον, in *Commentario ad Scriptores Hiſtoriæ Auguſtæ*, & ad *Tertullianum de Pallio*.

Conſtat itaque, Pallium eſſe inſigne proprium Maiorum Epiſcoporum, id eſt ſummi Pontificis, Patriarcharum & Archiepiſcoporum: quo inſigni diſtinguuntur ab Epiſcopis, cum quibus reliqua inſignia Epiſcopalia habent communia, *Mitram, Annulum, Virgam, ſiue Ferulam, Chirothecas, & Sandalia.*

Pallij ademptio, Depoſitionis ſignum.

Et ſicut traditio Pallij perficiebat Archiepiſcopum; ita & ademptio Pallij ſignum erat exauctorationis & depoſitionis, vel abdicationis, ſiue renunciationis. *Acta* Metrophanis *in* Photij *Bibliotheca*. *Coram Epiſcopis, Conſtantino Magno rogante, Metrophanes Epiſcopus Conſtantinopolitanus ex morbo decumbens Succeſſorem ſuum deſignat Alexandrum Preſbyterum abſentem; & in ſignum abdicationis, dicitur* ὠμοφόριον *depoſuiſſe ſuper ſacram menſam, mandans illud ſeruari Succeſſori ſuo:* εἶτα τὸ ὠμοφόριον, τῇ ἁγίᾳ ἐναποτίθησι τραπέζῃ, ἐντειλάμενος αὐτὸ φυλάττεσθαι τῷ διαδόχῳ. Concilium Chalcedonenſe *Actione* XI. de Baſiano Epheſino Metropolitano, μετὰ βίας ἀφήρπασέ μου τὸ περιβόλαιον τῆς ἱερωσύνης, καὶ πάντα τὰ ὑπάρχοντά μου, καὶ λαβόντες ἵνα ἐξ αὐτῶν τινῶν τὸ Σελευκείας ἐπίσκοπον αὐτῶν Ἐπίσκοπον. Theodori Lectoris *excerpta lib.* 2. loco ab Interprete non intellecto. *Euphemio Patriarcha Conſtantinopolitano expulſo, & relegato ab Anaſtaſio Imperatore, Macedonius inuitus Patriarcha conſtitutus eſt ab Imperatore. Sed vt teſtaretur Macedonius, ſe non ſponte admittere Patriarchatum, aditurus Euphemium & vale dicturus, ſibi iuſſit ab Archidiacono adimi* τὸ ἐπισκοπικὸν ὠμοφόριον. Qui locus comparari debet cum veteri Interprete Nicephori Monachi, vna cum veteri verſione Euſebij à Rhenano edito.

Reliquos errores Interpretis in hiſtoria memoria digniſſima, breuiter adnotauimus in ſtudioſorum gratiam; nec diſplicebit παρεμβαλεῖν. *Ioannem Pricium*, lege *Patricium:* ἀγεῖον; error ex Compendio Literarum. Μητατώριον, dictio latina origine: Metata quid ſint, notum. Significatur hîc pars domus Epiſcopalis, in qua ſalutaturi Epiſcopum admittebantur, & aduenæ, ſeu peregrini excipiebantur. Epiſcopum oportet eſſe φιλόξενον. Inde occaſio rapta ſicarij immittendi, velut ignoti, qui Euphemium adoriretur: malè apud veterem Nicephori Interpretem *Martyrium* legitur. Paulus defenſor Eccleſiæ, ἔκδικος, ἐκκλησιέκδικος vibratum in Patriarcham gladium, caſu potiùs, quàm ſponte excepit: proceritas ſtaturæ ei nocuit. Sicarius tamen ab Eccleſiaſtico viro, qui in Comitatu Epiſcopi aderat, arrepta for-

tuitò ferra, occiſus eſt. Anaſtaſius non deſtitit. Euphemium, nullo conuocato Concilio, ab Epiſcopis quibuſdam, qui pro tempore & more in vrbe Regia verſabantur, deponi curauit. Et ne quid deeſſet, in exilium relegauit εἰς Εὐχάϊτα. Subſtitutus eſt in eius locum vir bonus & pius Macedonius. Per Macedonium ab Imperatore petiit Euphemius λόγον obtineri, *verbum, fiduciam, un ſaufcondut*; vt abſque vitæ diſcrimine in locum exilij abduceretur. Impetrauit Macedonius. Præterea ſumptas fœnori pecunias in viaticum Euphemio largitus eſt. Nec iſta quidem notaremus ab Interprete non intellecta, niſi & illuſtriſſimus Baronius eum ſecutus fuiſſet; & aſperiùs nec ſemel Euphemium perſtrinxiſſet.

Exciderat *Nou.* 28. Iuſtin. quæ declarat Εὐχαΐτων ſitum, de quo non conuenire video: ὀκτὼ μὲν πόλεις ζ᾽ μωλορῖζον τὰ Ἑλενόπολιν, τινὰς δὲ Ἀμάσεια τε, καὶ Ἴβωρά, καὶ Εὐχάϊτα. Qui locus exilij Euphemij: cuius & non ſemel Nicephorus Calliſtus meminit.

Confirmat etiam *d. Nou. cap.* 2. quod de Ordinatione Metropolitanorum Ponticæ Diœceſeos diximus in *tit. de Electione*, eos fuiſſe à Patriarcha Conſtantinop. ordinatos, ſecundùm definitionem Concilij Chalcedon. & antiquum morem, κατὰ καὶ μέχρι νῦν ἐστί. Iulianus Anteceſſor apertè. *Duarum autem iſtarum Ciuitatum Epiſcopi, in Conſtantinopolitana Ciuitate conſecrentur, & ſint & ipſi Metropolitani, & Municipiorum Epiſcopos ſinguli ipſi conſecrent.* χειροτονίας, χειροτονεῖν verbis vtitur Iuſtinianus; Iulianus *Conſecrationis* & *Conſecrandi*: vetus Interpres *ordinandi verbo*: quæ eodem recidunt. Longiùs aberrauimus. Pallio nos deinceps inuoluamus.

Liberatus in *Breuiario cap.* 21. *Anthimus videns ſe Sede pulſum, Pallium quod habuit Imperatoribus reddidit.* & *cap.* 23. ita de Paulo Alexandrino Patriarcha: *auferentes Paulo Pallium depoſuerunt.* Anaſtaſius in *vita* Sylucrij. *Ioannes Subdiaconus tulit Pallium de collo eius, & exſpolians eum induit veſte monachica.* In VI. Synodo ſub Agathone *Actione* 8. Macarius Monothelita Antiochenus Patriarcha deponitur; & nudatur circumpoſito ei Pallio: & *in Synodica* eiuſdem Concilij *ad Agathonem. Paſtoritia pelle merito ipſum denudauimus.* Μαγείροις τὴν ποιμαντικὴν δορὰς καὶ ἀξίως ἀπογυμνώσαμεν. *Pellem* vocat δορὰν; quia Pallium illud myſticè contextum intelligebatur, quaſi ex vellere ouis deperditæ, quam Chriſtus humeris impoſitam gregi ſuo reddidit. Iſidorus Peluſiota *lib.* 1. *epiſt.* 136. & Germanus Patriarcha Conſtantinopolitanus in *Theoria rerum Eccleſiaſticarum*. Nicetas in *vita* Ignatij ſcribit in depoſitione eius Photij iuſſu in Pſeudoſynodo ſolemniter facta, primùm ὠμοφόριον detractum à Procopio quodam Subdiacono. Apud Flodoardum *lib.* 4. *cap.* 35. ita loquitur Artaldus Remenſis Epiſcopus. *Qui poſtquam me in poteſtate ſua conſpiciunt, quærere cœperunt, vt eis Pallium à Sede Romana mihi collatum traderem, & Sacerdotali me miniſterio penitus abdicarem.* In Concilio Romano de exauctoratione Benedicti V. à Leone VIII. & Othone Imperatore facta. *Pallium ſibi abſtulit, quod ſimul cum Pontificali Ferula, quam geſtabat, domino Papa reddidit: quam Ferulam idem Papa fregit, & fractam populo oſtendit.* Ex quo loco præterea confirmatur, quod ſupra *An.* Domini 963.

Digitized by Google

ad *tit. de Elect.* Pontifices Romanos etiam geſtauiſſe Baculum paſtoralem, ſicut & reliquos Epiſcopos: quod nec doctiſſimum Coſtam fugit. Sed eum fugit Rhegino, qui vtrúmque confirmat *Chronic. lib. 2. Tunc Leo Apoſtolicus, coadunata multorum Epiſcoporum Synodo, eundem Benedictum Romanæ Sedis inuaſorem iudicio omnium ab inuaſo gradu depoſuit, & Pontificale Pallium, quod ſibi impoſuerat, abſcidit, Ferulámque Paſtoralem manu eius arreptam coram omnibus in fruſtra confregit: & ad preces Imperatoris diaconatus ei tantùm gradu vti conceſſit.* In Electione Paſchalis II. Anonymus eiuſdem temporis Scriptor apud *Baronium ad annum* 1100. *nu.* 5. *Eſt locatus in vtriſque Curulibus*, ſedibus ſcilicet eburneis: *data eſt ei Ferula in manu*

Reginonis Cótinuator, non Regino. Deſiit enim Regino *an.* Chriſti 908.

Ex his colligimus, Pallij vſum per vniuerſam Eccleſiam tam Occidentis quàm Orientis vſurpatum, & inſigne proprium Patriarcharum & Metropolitanorum fuiſſe.

Pars II. & III. Pallij origo & antiquitas.

Pallii autem Origo eſt antiquiſſima: moribus tamen & conſuetudini, id eſt iuri non ſcripto adſcribenda; non iuri ſcripto & canonibus antiquorum Conciliorum. Agnoſcit Paſchalis II in *cap.* 4. *de Elect.* Qua in re ab autoritate, dignitate & iure Patriarcharum & Metropolitanorum diſtinguitur *Ius Pallij*. Quamuis enim plenitudinem Archiepiſcopalis officij; imò & appellationem Archiepiſcopi conferre dicatur Pallium: ad executionem tantùm id referendum. Nam per Conſecrationem ius & res ipſa, Dignitas Patriarchalis vel Archiepiſcopalis accipitur; quæ iure ſcripto, id eſt quatuor Generalium Conciliorum canonibus definita & confirmata fuit, & Pontificum *Decretis* approbata; vt præclarè diſputat Hincmarus Remenſis Archiepiſcopus *epiſt. 6. editionis Moguntinenſis*: qua etiam probat Romanos Pontifices Legatis ſuis vices ſuas committere ſolitos ſub hac conditione vel clauſula, *ſaluis ſemper priuilegiis, quæ Metropolitanis decreuit antiquitas.* In *epiſtola* verò *2. edit. Pariſ. ſub finem* Hincmarus ait Pallium & priuilegia ſe ideò petiiſſe à Sede Apoſtolica: *quia veteres Conſtitutiones*, quibus nempe iura Metropolitanorum ſunt conſtituta, *tam quaſi pro vili apud quoſdam habentur; his nouis Decretis carnales & animales homines magis terrentur.*

Eius vſus tam in Occidente, quàm in Oriente.

Diximus antiquiſſimum fuiſſe Pallij vſum, etiam in Oriente. Præter loca ſupra citata confirmat Liberatus in *Breuiario cap.* 18. vbi qui chartam damnationis, à Felice Pontifice ſcriptam aduerſus Acacium Patriarcham Conſtantinopolitanum detulerunt; quia Patriarcha noluerat chartam ſuſcipere, per quendam Monachum, dum ingrederetur ad celebranda ſacra, curauerunt ſuſpendere in eius Pallio & diſcedere.

Anno circiter 420.

His addimus ex ſupra *citata* Iſidori *epiſtola*, Epiſcopos, quibus Pallij ius competit, non toto tempore Miſſæ illud geſtaſſe, ſed tantùm vſque ad recitationem Euangelij. Tunc enim adſurgere ſolebant & deponere Pallium, quaſi adueniente verò paſtore Chriſto. Τὸ δὲ ὠμοφόριον ἐξ ἐρέας ὄν, ἀλλ᾽ οὐ λίνου, &c. δείκνυσι πῶς διὰ τοῦ σχήματος, (*geſtatione & habitu*, ὠμοφορίῳ.) ὅτι μιμητής ἐστι τοῦ ἀγαθοῦ καὶ μεγάλου ποιμένος, καὶ προσχὲς ἀκριβῶς. Et poſtea καὶ ὑπανίσταται, καὶ ἀποτίθεται τὸ

σχῆμα τῆς μιμήσεως ὁ Ἐπίσκοπος. Diligenter attende : *& aſſurgit, & habitum imitationis deponit.* Quis autem ille habitus, niſi Pallium? Sicut ante dixerat, *attentionem & obſeruationem requirit :* vt illa duo notentur diligenter & ſeparentur, *aſſurrectio Epiſcopi*, & *depoſitio Pallij* eo tempore, quo incipit recitatio Euangelij.

Cuius moris intermiſſi, & reſtituti mentio fit in Synodo VIII. contra Photium *actione* 10. *can.* 27. in Latinis, & in Græcis *can.* 14. quo non tantùm prohibetur vſus quotidianus Pallij ad reprimendum faſtum quorumdam; ſed etiam prohibentur *omni tempore diuini Sacrificij & omnis alius Eccleſiaſtici myſterij, hunc ineptè portantes.* Lege *miniſterij.* In Græco *ἐν παντὶ καιρῷ τῆς θείας μυσταγωγίας, καὶ πάσης ἄλλης Ἐκκλησιαστικῆς λειτουργίας.* Nam ſtatim atque recitabatur Euangelium deponendum erat Pallium.

An. Chriſti 869.

In eodem Concilio *can.* 16. *&* 17. fit mentio Pallij, & in *Actione* 9. *ſub finem.* Nec antè reperimus in generalibus Synodis quicquam nominatim cautum de Pallio. Itémque licet deprehendere differentiam fuiſſe in forma Pallij, & modo vtendi inter Orientis & Occidentis Eccleſias. Imò & Occidentalem Eccleſiam circa formam & uſum Pallij variaſſe, pridem viri docti notarunt.

Veriſſimùm eſt autem, quod ait Paſchalis *cap.* 4. *de Elect.* in *integra Decretali : ab Apoſtolica Sede per uniuerſam Europam impetrari Pallium ſolitum.*

Per uniuerſam Europam Pallium à Summo Pontifice poſtulati ſolet.

A Gallia incipiamus. Arelatenſis ciuitas Metropolico iure donata eſt iam inde à temporibus Leonis Magni ſub Rauennio Metropolitano, poſt celebrem controuerſiam inter Leonem & Hilarium Archiepiſcopum Arelatenſem : & per conſequens ius Pallij conceſſum. Quod tributum Cæſario à Symmacho Papa, Auxanio à Vigilio, poſt requiſitum tamen Iuſtiniani Imperatoris aſſenſum; & eis præterea per vniuerſas Gallias Sedis Apoſtolicæ vices fuiſſe commiſſas, docent Leonis, Symmachi & Vigilij *epiſtolæ*, quæ *tomo* 1. Conciliorum Galliæ inſeruntur [pag. 84. 85. 89. 90. & tribus ſeqq. 99. 100. &] 270. In Synodo generali V. *Collatione* 7. fit mentio literarum Vigilij ad Aurelianum Succeſſorem Auxanij his verbis, *alias ſcriptis ad Aurelianum Religioſiſſimum, qui præſidet Arelati venerandæ Eccleſiæ, quæ prima eſt ſanctarum Galliæ Eccleſiarum.* Nominatim Gregorius I. in *can.* 3. *Cauſa* XXV. *Quæſt.* 2. Extat *integra epiſtola* Gregorij in *fine Regiſtri*, & apud Bedam *libro Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ gentis Anglorum :* vbi ab Ætherio* Arelatenſi Epiſcopo conſecratum Auguſtinum Archiepiſcopum Angliæ ſecundùm iuſſa Gregorij memorat. Ætherij verò Succeſſori Virgilio idem Gregorius I. *lib.* 4. *epiſt.* 51. ad petitionem Regis Childeberti conceſſit Pallium : quem Virgilium idem Gregorius *lib.* 5. *epiſt.* 58. Metropolitanum Galliarum vocat. Ex quibus conſtat antiquiſſimam eſſe Metropolim Arelatenſem; imò & ante Leonem I. qui veterem controuerſiam inter Viennenſem & Arelatenſem Eccleſiam compoſuit, diuiſis & adſignatis cuique ſuis parœciis : cuius Sententiam, ſicut & antecedentium Romanorum Pontificum, Zozimi †, Bonifacij & etiam ſequentium, nempe Hilarij, Anaſtaſij, & Symmachi, quibus confirmatur Sententia Leonis, inſeruit vir omni

Galliæ conſuetudo circa ius Pallij.

* Non per uniuerſas abſolutè, ſed per uniuerſū Childeberti in Galliis regnum Auxanio Commiſſæ vices. Nullos verò Vicarios Symmachus in Gallia, Francis ſubdita habuit, ſed in Gothica Cæſarium *anno* Chriſti 513. Nullum etiam in Galliis Vicarium inſtituit Leo.

* Arelate non

ſedit Ætherius, ſed Lugduni. Arelatenſem Eccleſiam rexit Virgilius, quem cum Ætherio Beda confudit. Licerio verò, non Ætherio ſucceſſit Virgilius.

laude maior Iacobus Sirmondus *tomo* 1. Conciliorum Galliæ *pag.* 91. & 186. In quibus Pontificum reſcriptis mentio fit *conſtitutionis* celeberrimæ Honorij & Theodoſij Iunioris, quæ ius Metropolis Arelatenſi Ciuitati primùm tribuit. Vide doctiſſimum Salmaſium *Tractatu de Suburbicariis parte* 2. *cap.* 4.

†Bonifacij & Zozimi Sententiæ è Diametro pugnant.

Hæc ideo pluribus, ne quis fortè autoritate Ioſephi Scaligeri ductus, exiſtimet Arelatum Metropolim eſſe recentiſſimam; & Arelatenſem Epiſcopum Metropolitani honore & iure donatum ſerò. Nec erit alienum adiungere Ioannis VIII. *epiſtolas* 93. 94. 95. 98. & 191. *ad Roſtagnum Arelatenſem Archiepiſcopum* pertinentes, qui ſub [Carolo Caluo &] Ludouico Balbo vixit.

Circa *annum* 864.

Superioribus addimus, per Bonifacium Moguntinenſem Legatum Sedis Apoſtolicæ per Gallias, Rothomagenſi, Remenſi, & Senonenſi Metropolitanis Pallia fuiſſe conceſſa in *epiſtolis* eiuſdem Bonifacij 143. & 144. *lib.* 4. *Capitularium cap.* 39. & *Gloſſarium Legum antiquarum* in voce *Pallio ſublimari.* Exempla recentia frequentiſſima ſunt: quare ſuperſedemus. Vide *notas* Iureti ad *epiſtolam* 250. Iuonis Carnotenſis.

Angliæ conſuetudo.

Quod ad Angliam pertinet. A Gregorio I. Auguſtinus totius Angliæ Metropolitanus conſtitutus eſt, & ab eo ius Pallij accepit; ſicut & eius Succeſſores à ſequentibus Pontificibus, Beda *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ gentis Anglorum lib.* 1. *cap.* 29. & *lib.* 2. *cap.* 8. 17. & 18. Bonifacius Moguntinus *epiſt.* 140. cui magis ea in re fides eſt habenda; quia in Anglia, quam tranſmarinam Saxoniam vocat, natum ſe & nutritum ait in *epiſt.* 132. *ad Zachariam Pontificem Romanum.* Notanda etiam Canuti Regis *epiſtola* apud Malmeſbur. de *Geſtis Anglorum lib.* 2. *cap.* 11. Quem morem continuatum in Anglia non dubito: & recentatum fuiſſe poſt Guillelmi I. victoriam, conuincunt Eadmeri *Hiſtoria nouorum*, & Anſelmi *epiſtolæ* 36. 152 & 153. quas exſcripſit Eadmerus *p.* 99. & *ſeqq.* qui locus explicat *dictas epiſtolas.* [Præterea apud eundem Eadmerum obſerua ſolemnem Pallij delationem in Angliam ab Anſelmo Abbate ad petitionem Regis & Conuentus Cantuarienſis *lib.* 5. *pag.* 113. his verbis. *Præfatus Anſelmus Pallium in vaſe argenteo honorificè perferens*, &c.] Poſtremò ex pleriſque locis *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Britanniæ* doctiſſimi Parkeri colligitur: qui hunc morem duraſſe refert vſque ad poſtrema tempora in *vita* Henrici Deani Cantuarienſis Archiepiſcopi ſub Henrico VIII. *anno* 1500. vbi & formam conceſſionis Pallij ab Alexandro VI. præſcriptam, & ſimul formulam iuramenti in traditione Pallij præſtiti ex *Archiuis publicis* tranſcripſit

Hibernia.

[Quid de Hibernia? Illa olim, ſicut & Scotia, Cantuarienſi Archiepiſcopo ſuberat tanquam Primati, vt conſtat ex Anſelmi Cantuarienſis *epiſt.* 147. *lib.* 3. quam ſcribit Hiberniæ Regi, quò promoueat emendationem vitiorum, quibus Hibernica Eccleſia erat infecta;

& ex Eadmeri *lib. 1. nouorum ſub Vuillelmo II. initio*, ac Seldeni *notis ad eum locum*. Scotia tamen Iure Metropolitico Eboracenſi Archiepiſcopo erat ſubdita, vt diſcimus ex eiuſdem Anſelmi *lib. 3. epiſt.* 149. quâ vetat, ne Eboracenſis Electus priùs quendam in Scotia Epiſcopum conſecret, quàm ipſe Cantuariam conſecrandus acceſſerit; itemque ex Roberto de monte Nauali in *Supplemento* Sigeberri *pag.* 1156. *in fine.* Poſtea conſtitutæ in Hibernia ſedes Metropoliticæ, vna primùm, deinde & altera, vt ex S. Bernardo conſtat in *vita* Malachiæ *cap.* 10. 15. 16. *&* 30. ex quibus *capp.* maximè 16. *&* 30. patet Malachiam Romam profectum, ab Innocentio II. ſibi & alteri Metropolitæ Pallium petiiſſe: quod ab Innocentio dilatum, cùm iterùm petiturus ab Eugenio III. Romam pergere vellet, non obtinuit, morte præuentus, vt ex *dicto cap.* 30. diſcitur. Quibus etiam in locis id obſeruatur, ante Pallij conceſſionem eas Metropoles in Hibernia fuiſſe conſtitutas. Quatuor poſtea in ea erectas notat Matthæus Paris ad annum Chriſti 1151. Duarum quidem nomina occurrunt *lib.* 13. *Regiſtri* Innocentij III *epiſt.* 48. *&* 194. Caſſellenſis ſcilicet & Armachanæ: reliquæ *citatis locis* non nominantur. Qua quidem *epiſt.* 48. Innocentius Eccleſiam Caſſellenſem ſub protectionem Sedis Apoſtolicæ recipit; & Donato Caſſellenſi Archiepiſcopo Pallium mittit, vt eo vtatur iis diebus, quibus vſos fuiſſe eius deceſſores cognouerit. Prima porro & ſola ab initio Metropolis Armachana fuit. Vide quæ diuerſis locis ſcripſit Huſſerius Primas Armachanus *libro antiquit. Britan. Eccleſiarum*, maximè *cap.* 16. Quibus adde Giraldum Cambrenſem *parte 3. deſcriptionis Hiberniæ cap.* 17. 27. 28. *&* 29. Stanihurſtum *de rebus Hibernicis pag.* 256. & quæ nos ſupra *pag.* 147. *in fine.*]

In *Cap.* 10. notatur à S. Bernardo Hiberniæ abuſus in uxoratis eligendis Epiſcopis, & Epiſcopatibus iure ſanguinis deferendis.

De Germania idem cenſendum: nam Bonifacius à Gregorio II. primùm Epiſcopus Romæ conſecratus, & poſtea Legatus per Germanias Sedis Apoſtolicæ conſtitutus, tandem à Gregorio III. per Nuncios Archiepiſcopatus dignitate & Pallio honoratus eſt, Autor *vitæ* Bonifacij *cap.* 8. Ipſius Gregorij III. *epiſtola* habetur inter Bonifacij *epiſtolas num.* 123. Bonifacius ipſe agnoſcit *epiſt.* 105. qui & generaliter ait, ſe in Synodali conuentu decreuiſſe, *vt omnes Metropolitani Pallium à Sede Apoſtolica quærerent.* *Germania.*

De Septentrionalibus populis Daniæ & Sueciæ idem ſtatuendum: qui quidem primùm paruerunt in Spiritualibus Bremenſibus & Hamburgenſibus Metropolitanis; & Pallium à Sede Apoſtolica obtinere ſolebant, vt conſtat ex *Hiſtoria* Adami Canonici Bremenſis. Poſtea in Dania Lundenſibus & in Suecia Vpſalenſibus Metropolitanis nouis, à Pontificibus Romanis conſtitutis Pallium etiam conceſſum, vt colligitur ex *Hiſtoria* Saxonis Grammatici, maximè *lib.* 13. *ſub finem, & cap. 4 de Elect. in integra.* *Dania & Suecia.*

Quòd autem Guillelmus Neubrigenſis in *Præfatione Hiſtoriæ* ait, Septentrionales populos Danos & Gothos contentos fuiſſe Epiſcopis, *nec Pallium vel Metropolitanos deſideraniſſe*; fallitur. Nam Dani & Gothi primò ſuberant Metropolitano Bremenſi; cui poſtea poſt propagatam fidem in illis partibus ſubtrahi petierunt à ſuis Regibus

Digitized by Google

& Epiſcopis: quorum precibus Metropolitanos cum iure Pallij Pontifices inſtituerunt, vt ſuprà diximus.

Hungariæ.

Idem de Hungaria colligitur ex *cap.* 4. *de Poſtulatione in fine*, & *ex dicto cap.* 4. *de Electione in integra.*

Italiæ.

Multò magis idem in Italia obtinuit. Et quidem conſtat Gregorium I. Rauennatenſibus Metropolitanis conceſſiſſe Pallium; tempus & modum utendi præſcripſiſſe; & uſurpationes & abuſus Ioannis Rauennatenſis Metropolitani coërcuiſſe *lib.* 2. *Regiſtri epiſt.* 54. *lib.* 4. *epiſt.* 10. 14. *&* 18. *& lib.* 5. *epiſt.* 1. 2. *&* 8. Ex quibus explicandi ſunt *canones* 7. *&* 8. *Diſt.* c.

Siciliæ, & Sardaniæ.

Idem ius in Sicilia & Sardiniâ Pontifices habuerunt iam inde à temporibus Gregorij I. vt ex variis *epiſtolis* eiuſdem conſtat, & aliis Scriptoribus, quos collegit nuper Autor *Diſſertationis de iure antiquo Eccleſiæ Siculæ.* Vide *cap.* 4. *de Electione*, *& cap.* 3. *hoc tit.* & Gregorium VII. *lib.* 1. *Regiſtri in fine*, qui neglectam & intermiſſam à Metropolitanis Pallij impetrationem in uſum reuocauit; ſeuerè coërcitis Metropolitanis non obtemperantibus.

Hiſpaniæ.

In Hiſpania Gregorius I. ad petitionem Recaredi, Leandro Hiſpalenſi Metropolitano ius & autoritatem Pallij conceſſit *libro* 7. *Regiſtri epiſtola* 125. *&* 126. quo pertinet *caput* 5. *hoc tit.*

Illyrici.

Τοποτηρηταὶ Græcè, de quo ſupra *pag.* 133. *&* 163.

Idem ius per uniuerſum Illyricum obtinuit. Nam Theſſalonicenſi Metropolitano, deinde Metropolitano Iuſtinianeæ primæ, & poſtremis temporibus Trinouitano ius Pallij conceſſum eſt. In quo concedendo, ſicut de Arelatenſi diximus, vices ſuas per Illyricum, Pontifices concedere ſolebant, Iuſtinianus *Nouella* 1. *&* 16. *cap.* 3. Gregorius I. *lib.* 4. *epiſt.* 15. ad quam in *editione Romana* plures aliæ ſimiles adnotantur. Ad ea verò, quæ de tribus iſtis Metropolitanis viri doctiſſimi ſcripſerunt in *Tractatibus de Suburbicariis*, iunge potiſſimùm Nicolai I. *epiſtolam ad conſulta Bulgarorum cap.* 73. *& in appendice epiſt.* 1. *&* 2. *ad Photium*; eadémque de re Ioannis VIII. *epiſt.* 174. 175. 176. 199. & 201. Innocentij III. *lib.* 15. *Regiſtri epiſt.* 18. ad quam de Theſſalonicenſi pleniſſimè doctiſſimus Boſquetus, & eiuſdem Innocentij III. *Geſta pag.* 50. 51. *& ſequentibus*, & iterum 70. *&* 71. Ex quibus locis præterea diſcimus, Statum publicum tam imperij Bulgariæ & Blachiæ, quàm Eccleſiæ: de quo pleniùs dicendum ad *cap. vnicum de ſacra Vnctione*; in cuius fine mentio fit in *integra Pallij miſſi ad Archiepiſcopum Bulgariæ.*

Corinthi.

Idem de Corinthiorum Metropolitano Gregorius I. *lib.* 4. *epiſt.* 51.

Vſurpationes Conſtantinopolitani Patriarchæ aduerſus Sedem Romanam; de quibus ſupra *pag.* 177. §. *eſt autem.*

Quamuis paulatim Patriarchæ Conſtantinopolitani potentia & autoritate Imperatorum pollentes, has primùm Metropoles, ſicut & Siciliæ, & aliquot alias ſibi vindicauerunt, in iniuriam Romani Pontificis, cui ab initio ſuberant, ſicut & in ipſis Græcorum *Notitiis* adnotatur. Qua de re ſæpiùs conqueſti ſunt Romani Pontifices; maximè Adrianus I. Nicolaus I. & Ioannes VIII. *locis citatis*: qui & poſtea inuitis & contradicentibus Conſtantinopolitanis, Bulgarorum Eccleſias primùm, & tandem Siculas omnes receperunt.

Quod magis eſt; eodem iure, nempe Patriarchico Pontifices Romani

mani vſi ſunt in Conſtantinopolitanum Patriarcham. Byzantium enim ab initio Epiſcopatus tantùm erat ſub Heracleenſi Metropolitano Europæ: [de cujus jure vide Philoſtorgij *hiſt. lib. 9. cap.* 10. Quamuis enim Conſtantinopolitano Concilio primùm ; deinde Chalcedonenſi conſtitutus fuerit Patriarchatus Conſtantinopolitanus: iuri tamen Romanæ Sedis derogari non debuit. Vnde meritò Luitprandus Cremonenſis Epiſcopus in Legatione 2. Conſtantinopolitanâ ad Nicephorum Phocam nomine Othonis I. quæ extat apud Baronium ad *annum* Chriſti *968. Scimus, imò videmus Conſtantinopolitanum Epiſcopum Pallio non vti, niſi ſancti Patris noſtri permiſſu.* Deinde ait: *Cùm Albericus in vrbe Româ tyrannidem exerceret, & Apoſtolicum Dominum, quaſi ſeruum proprium in Conclaui teneret, Romanus Lacapenus Imperator filium ſuum Theophylactum Eunuchum Patriarcham conſtituit, & muneribus apud Albericum effecit, vt ex Papæ nomine Theophylacto Patriarchæ litteræ mitterentur, quarum autoritate tùm ipſe tùm Succeſſores eius abſque Paparum permiſſu Palliis vterentur: ex quo turpi commercio vituperandus mos inoleuit, vt non ſolùm Patriarchæ, ſed etiam Epiſcopi totius Græciæ vtantur Palliis.*

Id falſum probat Habertus ad Pontificale Eccleſiæ Græcæ.

Conſtantinopolitanus Patriarcha olim Pallium obtinebat à Summo Pontifice.

Ex ſuperioribus per enumerationem probauimus, ex inueterata Conſuetudine Pontificem Romanum, per vniuerſum Patriarchatum ſuum, ius concedendi Pallij habuiſſe.

PATRIARCHÆ AVTEM, ſolo conſtantinopolitano excepto, vt diximus, videntur ſibi autoritate propria Pallium ſumpſiſſe.

Patriarchæ autoritate propria Pallium ſumebant.

Et Romanus quidem Pontifex in ſua Conſecratione propriis manibus Pallium in ſe transfert; nec ab alio accipit. Anonymus, qui Electionem & Conſecrationem Paſchalis II ſcripſit, apud Baronium *tomo 12. ad annum Chriſti* 1100. *num. 6. Primus in Conſecratione Oddo Oſtienſis, qui ad hoc vtitur Pallio, & benedixit & liniuit chriſmate. Catholicè igitur à Catholicis & Orthodoxis Epiſcopis in Pontificem conſecratus,* TRANSLATO *in ſe Pallio, expletiſque iis, quæ reſtabant,* &c.

Neque obſtat, quod ex *veteri Ordine Romano, qualiter ordinetur Romanus Pontifex*, colligitur, *Archidiaconum mittere*, hoc eſt inducere, ſiue aptare *ei Pallium:* nec quod Anonymus ille Magiſter Cemoniarum, iam ſupra laudatus, ſcribit *lib. 1. ſect. 2. de Conſecratione, Benedict. & Coronat. Romani Pontificis; Priorem Diaconorum, ſecundo adiuuante, capere Pallium de Altari, & imponere Pontifici:* & *ſect.* 10. *eiuſdem lib. tit. de Pallio, & quomodo trad. ipſi Romano Pontifici in ſua Ordinatione, & Conſecratione; neminem imponere Pallium, niſi Priorem Diaconorum.* Nam certè ſummus Pontifex Pallium aſſumere ipſe cenſetur, quod imponi ei conſueuit, non ab illo quidem, à quo Conſecratur; ſed à Miniſtro, nimirum ab Archidiacono, ſiue à Priore Diaconorum, qui nulla ommino in tota illa celebritate pollet autoritatis ſpecie.

De Patriarchæ verò Alexandrini Ordinatione, Libertatus in *Breuiario cap.* 20. ſic loquitur. *Conſuetudo quidem eſt Alexandriæ, illum, qui defuncto ſuccedit, excubias ſuper defuncti corpus agere, manúmque*

Vide Leontium *libro de Sectis*, & Habertum

dexteram eius capiti ſuo imponere ; & ſepulto , manibus ſuis accipere collo ſuo B. Marci Pallium ; & tunc legitimè ſedere.

ad Pontificale Eccleſ. Græca pag. 460.

Idem de Antiocheno tentari poteſt ; ex antiqua nempè conſuetudine, Rodulphum , ſecundum ex Latinis Antiochiæ Patriarcham , Pallium de Altari B. Petri , nulla ad Eccleſiam Romanam habita reuerentia , propria autoritate aſſumpſiſſe , Guillelmus Tyrius *lib. 14. cap.* 10. & *lib. 15. cap. 13.* quo loci ſcribit Rodulphum Romæ accuſatum , coactum fuiſſe reſignare Pallium , *quod in iniuriam Sedis Apoſtolicæ , vt dicebatur, ſumpſerat :* eóque Cardinalibus tradito, aliud Pallium ſumptum de corpore B. Petri, more ſolemni per Priorem Diaconorum traditum eſſe.

CONSTAT AVTEM *ex can.* 17. Synodi VIII. in Latina verſione Anaſtaſij , *ad Patriarchas omnes Metropolitanorum , qui ſibi ſubſunt, promotionem pertinuiſſe , ſiue per manus impoſitionem , ſiue per Pallij dationem fieret.*

Circa *an. D.* 1098. & 1099. *Quando fuerit conſtitutum , vt omnes Patriarchæ à Summo Pontifice Pallium impetrarent.*

Poſtquam verò Francorum & Occidentalium armis ſubacta fuit pars Orientis maxima, & ipſum Conſtantinopolitanum Imperium ex parte occupatum; quæ bella auſpiciis & conſilio Pontificum potiſſimùm geſta fuerunt: ſicut ſtatus publicus valdè immutatus fuit ; ita & Eccleſiaſticus * : & conſtitutum , *vt ſine conſenſu Pontificis Romani Patriarchæ non conſtituerentur : à quo præterea tenebantur Pallium impetrare , præſtito Fidelitatis & Obedientiæ Iuramento.* Sed illi omnes Patriarchæ & Latini, & Latinorum fuerunt ; non aliorum.

* *An. D.* 1204.

Ita etiam viciſſim Patriarchis in conceſſione Pallij permittitur à Pontifice , vt Metropolitanis ſuis Pallium concedant , & ſibi *profeſſionem canonicam , & pro Romana Eccleſia ſponſionem obedientiæ iuramento interueniente exigant , cap. antiqua. extra. de priuilegiis , Geſta* Innocentij III. *pag.* 102. in quâ inſeritur *epiſtola* Innocentij III. *Patriarchæ Conſtantinopolitano :* in cuius fine notandum eſt, licèt dixerimus ſuprà *ex cap. vlt. hoc titulo*, regulariter Pallij vſum prohiberi , cùm celebrantur Miſſæ pro defunctis ; ſpeciali tamen priuilegio poſſe concedi vſum Pallij, diebus etiam non expreſſis in conceſſione & traditione Pallij , vt in *epiſt.* 38. *lib.* 6. Regiſtri Gregorij VII. *Quod tamen Perſonæ tantùm , non Loco concedi* ait.

Notandum autem Minoribus Patriarchis , ſiue Primatibus non abſolutè permitti , vt concedant Pallium Metropolitanis, qui eis ſubſunt; ſed cum hac forma. Per Nuntios tàm Primatis quâm Eccleſiæ ſimul , cui præeſt Electus, Pallium peti ſolet , per Primatem deinde conferendum. Quod ſi Legatus vel Nuntius Pontificis interſit , pariter cum eo Primas collationem Pallij exſequitur. *Geſta* Innocentij III. *loco citato* ; vbi de Primate Bulgariæ.

Quin & Metropolitani , inuito Conſecratore , Patriarcha ſcilicet proprio vel Primate , recta via poſſunt à Pontifice obtinere , Guillelmus Tyrius *lib. 13. Belli ſacri cap. 23.*

Vt tamen vnicuique ius ſuum ſeruetur, antequam Metropolitani conſecrentur, & obedientiam Patriarchis vel Primatibus præſtiterint; idque ſignificatum fuerit Pontifici per eorum litteras: non ſolet Pallium concedi. Quam in rem notandæ ſunt *epiſtolæ* Anſelmi Cantuarienſis 152. & 254. quibus pro Commentario erit *Eadmerus lib. 4. Hiſtoriæ Nouorum pag. 99. & ſeqq.* qui & *epiſtolas* Anſelmi, & ipſius Paſchalis II. *Reſcriptum* inſeruit.

Metropolitanis verò neceſſitas imponitur petendi Pallij per ſe, vel per Procuratores aut Nuncios ad id ſpecialiter deputatos, intra tres menſes continuos, à die Conſecrationis numerandos *can. 1. Diſt. c.* Petrus Damiani *lib. 7. epiſt. 4.* nomine vniuerſi Collegij Cardinalium ſcripta *ad Agnetem Imperatricem, Epiſt. 1. lib. 9. Regiſtri* Gregorij VII. *& epiſt. 116. lib. 1. Regiſtri* Innocentij III. iuncto *cap. 2. de Tranſlatione.* Nec aliter rectè petitur, niſi ſimul Fidei ſuæ expoſitionem mittat, qui petit: in qua non tantùm Conciliorum, ſed etiam ſuarum *Decretalium conſtitutionum* mentionem fieri volunt Pontifices, dicto *can. 1. & 4. Diſt.* c. Zacharias *epiſt. ad Bonifacium num.* 144. inter Bonifacij *epiſtolas.*

Pars IV. De Iuramento in traditione Pallij, &c.

Potissimvm autem propter vnitatem atque concordiam ſeruandam cum Pontifice, videtur Pallij vſus excogitatus. Quare & in eo concedendo Iuramentum Obedientiæ & Fidelitatis exigitur à Pontifice, vel ab eo qui Pontificis nomine Pallium tradit: & in ipſa traditione præſtatur Iuramentum. Maior enim ſollicitudo Eccleſiarum & cura Populorum, propter Pallia credita & recepta, Metropolitanis incumbit, quàm cæteris Epiſcopis, qui proprias tantùm Parochias procurant, vt ait Bonifacius Moguntinus *epiſt.* 105. & per hoc arctiùs aſtringi & obligari ſolent Eccleſiæ Romanæ.

Huius autem Iuramenti pro temporum diuerſitate & ratione variæ fuerunt Formulæ: quarum exempla quatuor adnotabimus; quæ inter ſe comparari operæ pretium erit.

Primùm extat in *cap. 4. de Iureiurando extra*; quod *in Collectione 1.* reperitur ſub *titulo de Elect. num.* 20. eique rectiſſimè in ea *Collectione* ſubiicitur *caput 21.* longè pleniùs, quàm *in cap. 4. de Elect. apud Gregorium*: in quo, vt infrà dicemus, de Pallio tractatur & de Iuramento ſolemni in traditione Pallij.

Secundùm extat in *Geſtis* Innocentij III. *pag. 64. &* 102. vbi proponitur Formula huiuſmodi Sacramenti exigendi, tam à Patriarchis & Primatibus, quàm à Metropolitanis in conceſſione Pallij. Et quidem in *dicta pag. 64.* refertur integrum *caput ad honorem hoc noſtro tit.*

Tertium ſuppeditat ex *Archiuis publicis* Angliæ Parkerus in *vita* Henrici Deani Cantuarienſis Archiepiſcopi ſub Alexandro VI. ad *annum* 1508.

Quartum & poſtremum reperitur in *Pontificali Romano* Clementis VIII. iuſſu edito & reſtituto.

[Addere licebit nuperam Iuriſiurandi Gregorio XV. præſtiti Formulam à nouo Archiepiſcopo Pariſienſi, quam edidit nuper vir

Doctus Andreas du Sauſſai *libro de Myſticis Galliæ Scriptorib. pag. 226. & ſeqq.*]

Autor primæ Formulæ, id eſt *dict. cap.* 4. Gregorius VII. quamuis generaliter inſcriptio concepta ſit, *Gregorius Petro Subdiacono.* Edita videtur in Concilio Romano VI. ſub eodem Gregorio VII. habito *anno* 1076. *Indictione 2.* vbi & illud iuraſſe Henricus Aquileienſis Patriarcha ſcribitur, ſcilicet in confirmatione ſua & impetratione Pallij. Præcedenti quippe anno *Indictione 1.* in locum Sicardi electus fuerat Henricus à Clero & Populo Aquileienſi, & poſtea Pallium petierat, vt conſtat ex *lib. 5. Regiſtri* Gregorij VII. *epiſt. 6. & lib. 6. epiſt.* 38. Ex quibus etiam notandum, quamuis ex *Electoribus quidam Schiſmatici* fuerint, vel *Electus ipſe Schiſmaticus* fuerit; ſi tamen Electio facta fuerit canonicè, ſolere per diſpenſationem confirmari, dummodo Schiſmatici ad Catholicam vnitatem redire parati ſint *cap. 5. tit. ſuperiori.*

Formula Iuramenti *dicti capituli* 4. ſeptem continet articulos, ſiue clauſulas; quæ quamuis ſub generali Fidelitatis & Obedientiæ nomine comprehendi poſſent: quia tamen laterent ſub genere, Fidei partes & munia ſpecialiter enumerari placuit atque deſignari: ne poſtea qui iuraſſet vlla tergiverſatione aduerſus Iuramentum ſe tueri poſſet. Tres primi articuli ex Feudis deſumpti videntur *tit. 5. & 6. Feudorum lib. 2. de forma Fidelitatis.* Reliqui quatuor propiùs ſpectant ad Canonicum ius.

Et quidem quarti verba notanda, *Papatum ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, & Regulas ſanctorum Patrum.* In Concilio Romano & in *antiquis*; imò tam in recenti *Formula* Alexandri VI. quàm in *Pontificali Romano* nouiſſimo, *Regalia ſancti Petri* legitur: quæ eſt vera & antiqua lectio. *Regalia* autem, id eſt patrimonium ſancti Petri, vt explicauimus in fine *Tituli de Elect.* Innocentius III. loco ſuprà citato explicat, *Papatum Romanum, honores, dignitates, & rationes Apoſtolicæ Sedis.* Idem exigebatur à Magiſtratibus Laïcis, qui ſuberant Pontifici, Innocentius III. in *fine lib. 2. Regiſtri.*

Nec tamen dubitamus veterem eſſe lectionem *Regulas ſanctorum Patrum.* Nam Innocentius IV. & Ioannes Andræas & Panormitanus, & editiones ferè omnes eam retinuerunt; quam ita rectè explicant, *canones eſſe ſeruandos ab Epiſcopis, & eos peierare, qui canones nec norunt, nec obſeruari curant.* Quare & in Conſecratione Epiſcopi canones inculcari ſolebant: ne quid contra facerent, vt docuimus *tit. de Electione.* Deſiderantur tamen ea verba in *antiquis*, & in Alexandri VI. *Formula.* In *Pontificali* verò Clementis, latiſſimè extenduntur; *Regulas ſanctorum Patrum, Decreta, Ordinationes, ſeu Diſpoſitiones, Reſeruationes, Prouiſiones, & Mandata Apoſtolica, totis viribus obſeruabo, & ab aliis faciam obſeruari.* Quæ ſanè clauſula latiſſimè patet; nec eam vſus noſter admittit in pleriſque: [ideoque omiſſa eſt in *Formula* Gregorij XV.]

Quod verò ait, *totis viribus*, in antiquis cum temperamento, *pro poſſe meo. Saluo ordine meo, contra omnem viuentem* [Quæ verba deſunt quoque in *d. Formula* Gregorij XV.] *Saluo ordine*, id eſt qua-

tenùs decet Epiſcopum. Gloſſa explicat, *non cum armis*, ex Ambroſio. Quibus verbis, *ſaluo ordine*, Henricus II. Angliæ Rex valdè commotus fuit aduerſus Thomam Cantuarienſem, qui in Iuramentis & Tractatibus cum Rege hæc verba ſolebat addere: nunc, *ſaluo honore*; nunc, *ſaluo honore Eccleſiæ*; quaſi conditionaliter, non autem abſolutè concordiam iniret; Matthæus Paris in *Henrico II.* & Ioannes Sareſberienſis *epiſt.* 186. Victus tamen tandem Henricus II. Richardi, Succeſſoris Thomæ, Fidelitatis iuramentum admiſit, cum hac clauſula, *ſaluo ordine ſuo*, nulla prorſus mentione facta de obſeruandis prioribus *Conſuetudinibus* Regni, nempe *Clarendoniæ habitis*, in præiudicium Libertatis Eccleſiaſticæ; Matthæus Paris ad *annum* 1173. *in Henrico II.* vbi de Henrici III. Coronatione.

Tres reliqui articuli pertinent ad *vocationem ad Synodum*, *Legatorum Apoſtolicorum ſuſceptionem*, & *profectionem Romanam*, ſiue quam vocant, *viſitationem liminum ſancti Petri*. Idem tamen intelligendum de quocúmque loco, vbi Papa moratur.

Illa tamen tria ita commodè & rectè ab Epiſcopis præſtari poſſunt, dummodo conſenſus Regum & Principum interueniat; præſertim in Gallia noſtra, in qua abſque *Regis conſenſu & facultate*, nec Legatum Pontificis adire, excipere & comitari; nec regni finibus excedere, vel ad Synodum vel ad Pontificem licet proficiſci. [Ideoque velut læſæ Majeſtatis crimen imputatum Hincmaro Laudunenſi *tomo* 3. Concil. Galliæ *pag.* 481. *&* 486.] Quod nec hodie, nec heri; ſed ab antiquo receptum fuiſſe conſtat ex pluribus *epiſt.* Bonifacij Martyris. Iuo *epiſt.* 174. & ibi doctiſſimus Iuretus, maximè in *notis poſtremæ editionis pag.* 781. *&* 814. Guillelmus Neubrigenſis *lib.* 1. *& tomo* 2. *Libertatum Eccleſiæ Gallicanæ tit.* 19. *num.* 1. 2. 3. 4. *&* 5. & accuratè notata ad 4. *numerum*.

Ex quibus præterea diſcimus, in Angliam tranſlatum fuiſſe hunc morem. Quin & inter Libertates & Conſuetudines Regni ea de re articulus inſertus eſt, Matthæus Paris *pag.* 96. Licèt hunc articulum, ſicut & alios quoſdam, Alexander III. improbauerit, teſte Baronio ad *annum* 1164. *num.* 37 art. 4. Imò & ante Guillelmum Conquæſtorem Regi Canuto grauis admodum viſa eſt profectio Romana, etiam pro Pallio recipiendo, vt ex eius *epiſtola ſupra citata* conſtat. Quare paulatim clauſula, de viſitatione liminum beati Petri, temperata eſt; multis adhibitis diſtinctionibus in gratiam Epiſcoporum, *dicto Pontificali Romano*, & tandem illam Couſuetudinem exoleuiſſe apud nos, atrociori ſtylo Molinæus notat ad *hunc Titulum*.

Addita eſt poſtea clauſula *prohibitionis alienationum bonorum Eccleſiæ*, inconſulto Pontifice, [de qua in *cap.* 8. *extra de rebus Eccleſiæ alien.* cuius Autor Celeſtinus III. & in *cap.* 2. *de Feudis*, cuius Autor Innocentius III.] Quam & reperimus appoſitam ab eodem Innocentio III. in eius *Geſtis pag.* 103. repetitam deinde à ſequentibus Pontificibus: planiùs declaratam & extenſam in *nouiſſimo Pontificali*. [Deeſt tamen in *d. cap.* 4. *de Iureiurando*. Quare inſertam poſt Gregorij VII. tempora conſtat.]

Reliquas differentias non erit inutile colligere ex comparatione il-

Digitized by Google

larum quinque Formularum. [Ex quibus conſtat nihil mutabilius illis Formulis, quibus pro libito vel addunt, vel detrahunt Pontifices: adeoque periculoſiſſimum ex illis ius ſumere. Sed potiùs ſicut Regula; ita & Formula ad ius referenda & ſecundùm ius explicanda eſt.]

Tunc nec Moguntinæ, nec alius vllius Sedis Epiſcopus fuit, *ἀπολύτως* à Gregorio II. ordinatus contra canonem Chalcedonenſem.

Et ſanè veriſſimum eſt, Sedi Romanæ obedientiam tàm Archiepiſcopos, quàm Epiſcopos, ſiue in conceſſione Pallij, ſiue in Conſecratione Pontifici ſolitos præſtare, iuramento etiam & ſcripturà interueniente: quam in rem notatu digniſſimus indiculus Sacramenti præſtiti Gregorio II. à Bonifacio Moguntino, quando à Pontifice Epiſcopus conſecratus eſt & miſſus in Germaniam. Extat inter eiuſdem Bonifacij *epiſtolas*, ordine tamen præpoſtero *pag.* 163. ſuo verò ordine *tomo* 1 Conciliorum Galliæ *pag.* 512. Et ipſe Bonifacius in *epiſtola* 132. *ad Zachariam Summum Pontificem*, & in eius *vita cap.* 8. *ſub finem*, poſtquam nempe Archiepiſcopus Moguntinus creatus fuit, & ius Pallij accepit. *Sicut prædeceſſorum veſtrorum, pro autoritate ſancti Petri ſerui deuoti, & ſubditi obedientes, & ſubditi iure Canonico.*

Nam ſicut initio iure Canonico; ſic & antiquiſſimo iure feudorum, Formulæ iuramenti ſimpliciſſimæ fuerunt, vt notat Cuiacius ad *tit.* 5. *lib.* 1. *de Iure Feudorum.* Vide *Gloſſarium antiquarum Legum*, in voce *fidelis Regis*, vbi variæ fidelitatis Formulæ iam olim ſub Pipino & eius Succeſſoribus, tàm ab Epiſcopis, quàm à Laïcis præſtari ſolitæ referuntur; & nos ſuprà *tit. de Electione.*

Quare meritò Gloſſa ad *can.* 22. *Cauſa* XXII. *Quæſt.* 5. notat *Imperatori.* (idem & de Regibus dicendum,) *Fidelitatem iurare Epiſcopos.* Et ſanè veriſſimum eſt *canonem* illum, qui pugnare videtur, pertinere ad Purgationem canonicam. Mirum itaque videri non debet, ſi nec in *ordine Romano veteri* apud Alcuinum, Amalarium, Rabanum Maurum; imò nec apud Rupertum, qui longo poſt eos tempore vixit, quidquam de huiuſmodi Iuramento reperiatur; quamuis omnes ex profeſſo ſcripſerint *de Pallio*, & Galli vel Germani fuerint, vel Scoti.

Itémque apud nos ſerò receptum fuiſſe huiuſmodi Iuramentum colligimus, tot ſcilicet clauſulis & articulis implicatum.

Cap. 4. de Elect. pleniſſimè explicatur.

Quæ omnia confirmant valdè Gregorium VII. autorem fuiſſe: & probatur *cap.* 4. *de Elect.* cuius eſt autor Paſchalis II. qui paucis annis poſt Gregorium VII ſedit: vbique multis rationibus, *quaſi rem nouam*, adſtruere nititur huius Sacramenti introductionem. Quod quidem *caput* non pertinere ad Panormitanam Eccleſiam, aduerſus Baronium rectè Scriptor *de Iure antiquo Eccleſiæ Sicula* probauit *parte* 2. *cap* 17. & 18. Deceptus fuerat Baronius ex corrupta inſcriptione, & malè exiſtimauerat *duas Decretales epiſtolas* ea de re ſcriptas à Paſchali. Nec tamen *ad Polonienſem, vel Colonienſem*, ſicut legitur in quibuſdam *M. S. Archiepiſcopum* ſcripta eſt. Sed corrupta lectio nos deducit ad veram. Legendum *Colocenſi* vel *Colocienſi Archiepiſcopo* & ad Hungariam pertinere integri verba *Reſcripti* conuincunt, quæ Baronius ad *annum* 1102. *numero* 5. 6. & *ſeqq.* & Antonius Auguſtinus retulit inter *omiſſa notarum Collectionis* 1. ibi: *nunquid Hungarico Principi dictum eſt?*

Digitized by Google

Deinde quod dicitur in integra, *damnationes, ſiue depoſitiones, & tranſlationes* Epiſcoporum, *nutu regio apud eos præſumi*, deſignat *conſuetudinem Regni Hungariæ*, vbi Regis autoritate hæc omnia fiebant: imò & *Electiones & Inueſtituræ*, vt ſuprà oſtendimus *tit. de Elect.* Conceſſit verò Alexandro III. Bela Rex de conſilio Optimatum & Epiſcoporum, *quod abſque autoritate & conſilio eius, vel Succeſſorum ſuorum, depoſitiones ſeu tranſlationes Epiſcoporum non faceret, vel fieri permitteret.* Belæ *Diploma* extat inter *Acta* Alexandri III. *pag. 106.* in fine *Tractatus* nuper editi, *De Concordia inter Alexandrum III. & Fridericum I.* emendatiùs, quàm apud *Baronium ad annum* 1169. *num.* 40. & 41.

Poſtremò ad Hungariam pertinere probant hæc verba, quæ in *integra. Nunquid non vltra vos Daci conſiſtunt*, &c. Dacorum exemplum Colocenſi Archiepiſcopo obiicit, velut finitimorum, ab Vrbe tamen Romana remotiorum. *Colocia* in Pannonia, ſiue Hungaria inferiori ad vlteriorem Danubij ripam, Dacis proxima, iis maximè qui vulgò Tranſſyluani. Nam & quidam Epiſcopatus in Tranſſyluania parent Colocenſi Metropolitano.

Qui nuper Notitias Siculenſium Eccleſiarum ſcripſit vir doctus Abbas Netinus, anxiè laborat vt ad Panormitanum Archiepiſcopum dicta verba referat: ſed fruſtrà. Pluribus paginis hoc egit, ne *d. cap.* intelligeret.

Quod verò obiiciebatur in *d. cap. 4. Pallij conceſſionem futuram conditionalem, ſub conditione Iuramenti*, & per conſequentias irritam: ſpiritualia enim & actus legitimi non recipiunt diem neque conditionem: rectiſſimè Gloſſa notat, & exemplis confirmat, tum iuris ciuilis, tum canonici, *ea quæ ſunt de natura & ſubſtantia alicuius actus*, quamuis efferantur verbis conditionalibus, non tamen facere conditionem. Tacitè enim inſunt, & ipſo iure. Quod ex *Collectionis 1.* Interpretibus *M. S.* ſumptum. Huiuſmodi verò eſt illud Iuramentum, cùm nihil in eo *contineri dicat Pontifex*, quod *non etiam, præter exactionem, debeat ab omnibus Epiſcopis obſeruari, qui ſub Apoſtolica Petri & Pauli obedientia decreuerint & vnitate perſiſtere.* Quæ verba Paſchalis II. malè à Raymundo detracta. Eamque in rem vtilis Iuonis *epiſt. 73. Quæ culpa eſt*, inquit, *ſi exigitur quod debetur, & quod debetur exhibetur?* Calumniabantur enim quidam Iuonem, quòd ante Benedictionem Abbatis, Obedientiam exigi poſſe contenderet. [Adde præterea explicationem loci ex Euangelio, *Si amas me, paſce oues meas*, ex S. Chryſoſtomo & Theophylacto.]

Obſeruandum ſimilem præſumptionem Panormitani Archiepiſcopi notari in *cap. 3. hoc tit.* cum quo debet iungi *caput 3. & 4. extra de officio Legati.* Species eſt huiuſmodi. Gualterus Troianæ primùm Eccleſiæ Epiſcopus, & Regni Siciliæ Cancellarius, apud Cencium Cardinalem Sedis Apoſtolicæ Legatum effecerat, vt de Troiana Eccleſia transferretur in Panormitanam Eccleſiam, inconſulto Pontifice: & ita de facto tranſlatus eſt; quia de iure non potuit trensferri à Legato, ſine mandato ſpeciali Pontificis *cap. 1. in 111. Collectione de Officio Legati*, & *ſupra tit. de Tranſlatione.* Antequam verò approbaſſet Inno-

centius III. irritam huiuſmodi Tranſlationem, & Pallium de more conceſſiſſet; Archiepiſcopi & nomen & dignitatem præſumpſit Gualterus; & tam ſpiritualia quàm temporalia adminiſtrauit. Quare aduerſus eum commotus Innocentius irritam & nullam eſſe Tranſlationem declarauit: ita enim legendum ex *antiqua*, *Nolumus ratam haberi*: malè in quibuſdam editionibus, *volumus ratam haberi*. Poſtea verò cùm in contumacia perſiſteret Gualterus; & ſperneret frequentia Pontificis monita: non tantùm Archiepiſcopatu Panormitano; ſed etiam Troiano Epiſcopatu in perpetuum priuatus eſt. Et ne vllam ſpem veniæ relinqueret, in vtrâque Sede Epiſcopos Innocentius III. conſtituit. Quamuis in exemplum trahi non debere hanc ſeueram animaduerſionem, ſicut Electionem, & Conſecrationem Epiſcoporum nutu proprio Pontificis factam in vacantibus Sedibus doceant *Geſta* Innocentij III. quibus euidentiſſimè multa alia delicta, maximè perfidia Gualteri explicatur: & *iuſtiſſimum motum* fuiſſe Innocentij III. vt ipſe loquitur, tam aduerſus Gualterum, quàm Legatum ipſum declarant eadem *Geſta pag.* 13. 17. 18. 20. *&* 24 Præterea notauimus ſupra, Innocentium III. *Ballium*, ſiue tutelam Friderici II. Regis Siciliæ geſſiſſe: tum iure legitimæ tutelæ; *quia capitalis dominus feudi*: tum etiam teſtamentariæ; quia teſtamento Conſtantiæ matris Tutor datus fuerat.

Suzerain, quem etiam Dominum Principalem vocauit ſupra *pag.* 155.

Addamus & quartam. In conceſſione & inueſtitura Regni Siciliæ à Pontificibus Romanis facta, ex quatuor capitulis exceptis, vnum illud erat, *ne vllus Epiſcopus, antequam autoritate Pontificali confirmatus foret, adminiſtrationi ſe vllatenus immiſceret*, Innoc. III. *lib.* 1. *Regiſtri epiſt.* 408.

In Conceſſione Pallij, vel confirmantur vetera priuilegia, vel noua conceduntur.

In concedendo verò Pallio, præter nomen Archiepiſcopi, antiqua Priuilegia Eccleſiæ confirmantur: quare de conſuetudine, & vſu conſtare debet Pontifici *can.* 9. 10. *&* 11. *Diſt.* c. Gregorius I. *epiſt.* 116. *lib.* 7. *Regiſtri*, Nicolaus I. *epiſt.* 47. Fulbertus *lib.* 1. *epiſt.* 47. Vnde clauſula ſolemnis in Conceſſione, *ſecundùm veterem Conſuetudinem*. Per deſuetudinem & negligentiam Privilegia amitti ſolent, Leo IV. *loco ſingulari*, de Altheo Epiſcopo Auguſtodunenſi apud Iuonem *parte* 4. *cap.* 210.

Vetus tamen conceſſio Pallij & Priuilegia aliquando conceſſa, licèt per deſuetudinem abolita; facilè reparantur & reformantur Gregorius I. in *fine dictæ epiſt.* & Ioannès VIII. *epiſt.* 24. vbi de reſtituto priuilegio Adalgario Epiſcopo Auguſtodunenſi, de quo Aïmoinus *lib.* 5. *cap.* 33.

Ex quibus etiam locis, primam Conceſſionem Pallij & Priuilegiorum difficilem eſſe colligitur, & confirmatur Bernardi *locis* in *vita* Malachiæ Armachani Metropolitani *cap.* 10. 11. *&* 16. vbi ita Innocentius II. loquitur: *De Palliis autem oportet ſolemniùs agi, conuocatis Epiſcopis, & Clericis, & maioribus terræ. Connocabitis generale Concilium, & ſic conniuentia, & communi voto vniuerſorum, per honeſtas perſonas requiretis Pallium: & dabitur vobis.*

Priuilegia vero, quæ ſolent concedi, ſunt huiuſmodi. Vices ſuas aliquando Pontifex concedit; vel quædam ſibi ſpecialiter reſeruata tribuit:

buit: quæ quia ab arbitrio Summi Pontificis pendent, definiri non poſſunt, vt conſtat ex *locis ſupra citatis.*

Quin & aliquando Metropolitanus vel Epiſcopus, cui conceditur Pallium, eximitur à iuriſdictione Primatis & Metropolitani, præcipuè in cauſis criminalibus; & ſoli Romano Pontifici ſubiicitur, vt in *epiſtola* 47. Nicolai I. *& epiſt.* 15. Adriani II. *Actardo Nannetenſi.* Theodulphus Aurelianenſis Epiſcopus in *epiſtola*, ſcripta ex carcere *ad Medoinum Epiſcopum Auguſtodunenſem*, ex qua conſtat euidentiſſimè, in crimine læſæ maieſtatis huiuſmodi priuilegia Exemptionis ceſſare. Inſimulatus enim fuerat apud Ludouicum Pium coniurationis aduerſus eum initæ à Bernardo Rege Italiæ: nec obſtante priuilegio Exemptionis à Pontifice in conceſſione Pallij conceſſo, Synodali Decreto Epiſcoporum Galliæ depoſitus fuit cum duobus aliis, & Monaſteriis incluſi fuerunt: & quidem Theodulphus Andegauis, Eginhardus *pag.* 262. *tom.* 2. *Hiſtoriæ noſtræ*, Aimoïnus *lib.* 4. *cap.* 106. Theganus *p.* 280. *Omnes iudicati ſunt ad mortem, præter Epiſcopos, qui poſtmodum depoſiti, in confeſſione eorum facti ſunt.* Quæ poſtrema verba notatu digna alio loco explicabimus, *in iure confeſſi, & damnati ſunt*: quo pertinent hi verſus Theodulphi.

Non ibi teſtis ineſt, iudex nec idoneus vllus:
Non aliquod crimen ipſe ego faſſus eram.
Eſto forem faſſus; cuius cenſura valeret,
Dedere iudicij congrua fræna mihi?
Solius illud opus Romani Præſulis extat,
Cuius ego accepi Pallia ſancta manu.

Ab Electis ſcilicet Iudicibus & Confeſſoribus, in Synodo Remenſi aduerſus Arnulfum *pag.* 96. *&* 97. *cap.* 40. *& quatuor ſeqq.* Et nota hæc, verba. *Arnulfus autem in ſui promotione annulum & baculum acceperat, quoddamque genus Orarij, quod per differentiam Pallium dicitur. Hæc ergo eum reddere debere.*

Notauimus tamen ſupra, ex ſola conceſſione Pallij exemptionem à iure Metropolitanorum vindicari non poſſe; ne in criminis cauſa quidem, ſecundùm ius commune Eccleſiæ; quod renouatum & firmatum eſt *can. Nicen.* 7 *& Chalcedon.* 12. iuncta *Actione* 6. Quibus ex locis conſtar, conceſſa alicui Epiſcopatui prærogatiua honoris, & ipſo nomine Metropoleos, intelligi conceſſam tantùm ἀκολουθίαν τιμῆς, poſt Metropolitanum, inter & ſuprà reliquos Suffraganeos Epiſcopos. Ad hoc tantùm vindicare poteſt τὰ Μητροπόλεως πρεσβεῖα, ὅσα μόνον, σωζομένων τῇ κατ' ἀλήθειαν Μητροπόλει, τῶν οἰκείων δικαίων τῷ οἰκείῳ ἀξιώματι.

Conuenienter huic iuri piiſſimus Imperator Marcianus in Chalcedonenſi Synodo in *fine Actionis 6.* à Patribus Concilij benignè impetrauit Epiſcopatui Chalcedonenſi nomen & honorem tantùm dignitatis Metropoliticæ; non imminuto iure antiqui Metropolitani, σωζομένου δὲ τῇ Νικομηδέων Μητροπόλει τοῦ ἰδίου ἀξιώματος.

Opus foret ſingulari conceſſione & Priuilegio; in quo obtinendo conſenſus antiqui Metropolitani, & Principis deſideraretur; qui nunquam aduerſus ſeipſos priuilegia concedere intelliguntur: præcipuè cum de perduellionis crimine agitur, in quo, ceſſantibus priuilegiis omnibus, æqua conditio eſt *l.* 3. *&* 4. *C. ad. leg. Iuliam maieſt.*

Indicauit Theodulphi verſus doctiſſimus præceptor Coſta; illuſtrauit diſcipulus.

Recentiori exemplo ſuperiora confirmamus, ex ſola conceſſione Pallij Epiſcopos nullam poſſe obtendere exemptionem in qualibet cauſa aduerſus Metropolitanum. *Reſcriptum* ea de re Gregorij XI. *ad Carolum V. Regem noſtrum*, vel certè veterem eius verſionem Gallicam, bona fide, ex *Regiſtro M. S. Epiſtolarum* Gregorij XI. beneficio doctiſſimi & humaniſſimi Quercetani exhibemus. Rex à Pontifice duo ſimul, exemptionem à Senonenſi Metropolitano, & ius Pallij poſtulabat.

Τῷ δ' ἕτερον μὲν ἔδωκε πατήρ, ἕτερον δ' ἀνένευσε.

Exemptionem denegauit; Pallij vſum conceſsit.

Em Reſcripti verba lectu digniſsima.

Regi Franciæ.

Gregoire &c. Tres-cher fils en Dieu. Comme par ton Cheuaucheur porteur de ceſtes, tu nous euſſes moult affectueuſement écrit que l'Egliſe de Paris Voulſiſſions exenter de l'Archeueſché de Sens, & octroyer à l'Eueſque de Paris qu'il puſt Vſer de Palle. Plaiſe ſauoir à ta Serenité, que combien que nous Voudrions à toy complaire ſur tous autres Princes, & ayons auſſi eſpecial affection à ladite Egliſe de Paris, & à la perſonne dudit Eueſque: neanmoins conſideré que l'Egliſe de Sens eſt moult ancienne & noble, que iadis fut illuec le principal Siege du Royaume, comme eſt de preſent à Paris; attendu auſſi que de ſainte memoire Pape Clement noſtre predeceſſeur & oncle fut Archeueſque d'icelle, & nous y teniſmes iadis Vne des meilleures Dignitez: nous n'auons pas eu conſeil, quant à preſent, de la greuer, ne de faire ladite exemption; & meſmement que l'Archeueſque ne ſuperhabunde pas en richeſſe, & auſſi que l'Egliſe de Paris eſt encore bien petitement doüée. Toutefois pour contemplation de ta Royale Serenité, qui fait à Paris communement ſon ſiege & reſidence, conſiderans la preeminence du lieu, qui eſt Chef de tout le Royaume, & la noblece de l'eſtude tres-excellent; nous auons otroyé audit Eueſque, pour luy & ſes Succeſſeurs perpetuellement, que à la reuerence de Dieu & de ſa glorieuſe Mere, & à l'honneur & exaltation d'icelle, ils puiſſent Vſer du Palle, en la forme accouſtumée, ſi comme par nos Lettres patentes puet apparoir, &c. Donné à Anaigne le Viij. iour d'Octobr.

Conſtat præterea ex hoc *Reſcripto*, quod & ſuprà obſeruauimus, in huiuſmodi Palliis & priuilegiis, Imperatorum & Regum conſenſum deſiderari à Pontificibus; ne quid eis inconſultis innouetur contra

publicum ſtatum Eccleſiarum: cuius, vt agnoſcunt ipſi Pontifices, *Imperatores & Reges, noſtri præſertim, Aduocati* appellantur; *Defenſores, & Protectores.*

Iiſdem etiam priuilegiis excidunt Epiſcopi, *niſi Pontificum iuſſionibus & mandatis obedientes fuerint*; vt nominatim exprimitur in *dicta epiſt.* 47. Nicolai I. cui reſpondet Hincmarus *epiſt. 2. editionis Pariſienſis.* Exemplum illuſtre habemus in *Actis* Alexandri III. nuper editis ad calcem *Narrationis Concordiæ inter Alexandrum III. & Frider. I. pag.* 174. in qua clementiſsimus alioqui Pontifex, *Papienſem Epiſcopum Crucis & Pallij dignitate priuauit, eo quòd Ciuitas eius Octauiano Hæreſiarchæ, ac Friderico Imperatori excommunicatis adhæſit: & poſt ſatisfactionem præſtitam, eundem Fridericum in grauem iacturam Eccleſiæ ac Lombardorum, præſumpſit in Italiam reuocare.*

Quia autem in Pallio conceditur nomen & dignitas Archiepiſcopi, & per conſequens aliquid ſpirituale; ſimoniacum eſt aliquid accipere pro conceſsione. Quod primò conſtituit Gregorius I. Ante illum non niſi dato commodo dabatur, Gregorius ipſe *lib. 5. Regiſtri epiſt. 15. &* 55. ex qua *can. 3. Diſt.* c. Ioannes Diaconus in eius *vita lib. 3. cap. 5.* Quam Conſtitutionem innouaſſe Leonem II. in eius *vita* refertur. Et poſtea Zacharias, eo nomine à Bonifacio Moguntinenſi admonitus *epiſt.* 143. inter *Bonifacianas*: in qua pluribus verbis huiuſmodi ſimoniæ ſuſpicionem procul à ſe amouet. Xenia duntaxat modici pretij tolerantur; quæ tamen Gregorius ſtatim erogauit pauperibus *dicta epiſt.* 15. *lib. 4. in fine*; quibus valdè illuſtratur *cap. 18. de Simonia.* Qualia verò ſint illa xenia, memorat Autor ſacrarum ceremoniarum *cap. de Pallio in fine.*

Non diſsimilem abuſum Patriarcharum Conſtantinop. in confirmatione Metropolitanorum obiecit in Synodo Chalcedonenſi Euſebius Ancyræ Metropolitanus in *fine Actionis 16.* Maiorem & intolerabilem abuſum Patriarchæ Alexandrini Theophili ſeuerißimè reprehendit Scriptor elegantiſsimus *vitæ* Ioannis Chryſoſtomi Palladius *cap.* 15. cui adſtipulantur Socrates & Theodoretus.

Hactenus de Pallio, quod diximus fuiſſe proprium inſigne maiorum Epiſcoporum, Alcuinus *lib. de diuinis Officiis*, *Pallium* ait *nihil aliud eſſe, niſi diſcretionem inter Archiepiſcopum & eius Suffraganeos.* Pallij largitionem, *miſsionis à beato Petro & Sede Apoſtolica ſignum*, ait *eſſe* Rupertus *lib. 1. de diuinis Officiis cap. 27. Initium ergo fidei habentes ab Apoſtolica Sede, regulam hanc Metropolitanæ obſeruant Eccleſiæ; vt neminem habeant Pontificem, niſi ab eadem Sede miſſum, à qua primus illis Prædicator fidei miſſus eſt. Illa autem miſsio ſupradicti Pallij largitio eſt.* Itaque ante impetrationem Pallij denegatur Archiepiſcopi, vel Metropolitani nomen & Dignitas. Imo: Alius recentior.

V. & vlt. Pars. De Pallio quibuſdam Epiſcopis conceſſo.

QVAMVIS hæc ita ſe habeant regulariter; ex ſingulari tamen priuilegio Pontifices vſum Pallij quibuſdam Epiſcopis conceſſerunt.

Et quidem Oſtienſi Epiſcopo conceſsiſſe Marcum Pontificem, omnes qui de Pallio ſcripſerunt narrant: ita tamen vt anonymus Scriptor

Conſecrationis Paſchalis II. ſuprà citatus, & Robertus de Monte in *Supplemento Sigeberti ad annum* 1181. teſtes ſint, Epiſcopo Oſtienſi non niſi in Conſecratione Summi Pontificis, & ad hoc tantùm Pallio vti licuiſſe.

Verùm quid vniuerſo hoc ceremoniarum & rituum genere mutabilius? Sanè Anonymus ille ceremoniarum Magiſter, quem ſub Sixto IV. eo munere functum diximus *d. tit. de Conſecrat. Benedict. & Coronat. R. Pont.* poſtquam confirmauit Conſecrationem Romani Pontificis ex antiquis Patrum Conſtitutionibus ad Oſtienſem Epiſcopum olim ſpectauiſſe, eumque in illa Conſecratione Pallio vſum fuiſſe; & ei Portuenſem Albanenſémque Epiſcopos adſiſtere conſueuiſſe; paucis interiectis ſubiicit. *Iampridem introductum eſſe, idque ad tollendas*, vt arbitratur, *contentiones: vt prior Epiſcoporum Cardinalium, cum duobus ex ſenioribus Epiſcopis, id munus obire debeant, &c. ſicque ſuis temporibus ſeruari ſe vidiſſe; vt non habeatur ratio Eccleſiarum, ſed prioritatis Epiſcopalis.*

Inter cæteros autem Epiſcopatus, quibus vſum Pallij ſummi Pontifices indulſerunt, Durandus *c. 17. lib. 3 Rationalis diuinorum Officiorum* recenſet Anicienſem in Gallia: Oſtienſis in *Summa* §. *cui concedendo, hoc tit.* cum Anicienſi Papienſem in Lombardia, & Maſſanum in Regno Neapolitano; *ex veteri*, inquit, *conſuetudine Eccleſiarum ſuarum:* Anonymus ille Magiſter ceremoniarum *cap. 5. lib. 1.* & Aubertus Miræus in 4. & 5 *parte Notitiæ Epiſcopatuum totius orbis*, & Lucenſem in Thuſcia, & Papienſem, ſeu Ticinenſem in Lombardia, & Bambergenſem in Germania: quibus adnumerari poteſt ex *cap. cum in iuuentute extrà de Præſumpt.* Quinqueccleſienſis in Hungaria: [in ſpecie cujus tamen *Capituli* non Eccleſiæ, ſed perſonæ conceſſum propter prudentiam & probitatem ſingularem dici poteſt.]

Antiquiſſimum Auguſtodunenſis Eccleſiæ Priuilegium.

Ego verò exempla longè antiquiora addo: quorum præſtantiſſimum eſt, de conceſſione Pallij facta à Gregorio I. Siagrio Auguſtodunenſi Epiſcopo, ad petitionem Brunechildis Reginæ, & propriis meritis ipſius Siagrij erga Sedem Apoſtolicam, quæ Gregorius agnoſcit *epiſt.* 111. 112. & 113. *lib. 7. Regiſtri*; ex quibus ſumpti ſunt *canones* 2. 5. & 9. *Diſt.* c. & *canon Epiſcopos Diſt.* XVII. Cuius priuilegij meminit Petrus Damiani *epiſtola ſuprà citata*, *epiſtolam 5. libri 7.* Gregorij I. innuens. Quare Siagrij & Eccleſiæ Auguſtodunenſis priuilegium eorum numero cenſetur, quæ vulgò dicuntur incluſa in corpore iuris; & per conſequens probatione non indigent.

Notauimus etiam ſuprà, confirmationem huiuſmodi priuilegiorum longo poſt Gregorium tempore Adalgarium Auguſtodunenſem Epiſcopum obtinuiſſe à Ioanne VIII.

Priuilegium verò non tam fuit perſonale in gratiam Siagrij, quàm reale in gratiam Auguſtodunenſis Eccleſiæ ratione Sedis: ideóque perpetuum, vt *Metropolita ſuo per omnia loco & honore ſeruato, Eccleſia Ciuitatis Auguſtoduna poſt Lugdunenſem Eccleſiam eſſe debeat, & hunc ſibi locum ac ordinem ex noſtra autoritate indulgentia vindicare, dicta epiſt.* 112. *ad Siagrium*: rectè, *ſaluo priuilegio & iure Metropolitani.*

Idémque reperio Metenſi Eccleſiæ conceſſum; quod tamen, inconſulto Treuerenſi Metropolitano, à Papa non potuiſſe concedi contendit Bertolphus Treuerenſis aduerſus Vvalonem Metenſem Epiſcopum, qui à Ioanne VIII. Papa non tantùm impetrare Pallium, ſed etiam geſtare præſumpſerat, abſque Metropolitani ſui conſilio & licentia: quamuis additum fuiſſet, *ſalua tamen in omnibus Metropolitani iuriſdictione*. Quam controuerſiam Hincmarus Remenſis compoſuit. Compulſus eſt enim Metenſis Epiſcopus præſtare obedientiam Metropolitano ſuo, vt pleniùs conſtat ex *fragmento hiſtoriæ Treuerenſis Eccleſiæ*, quod ex *M. S. Cod.* exſcriptum habetur ante *Opuſcula* ipſius Hincmari *Lutetiæ edita*, *& Tomo 2. Libertatum Eccleſiæ Gallic. cap. 12. numero 2. in notis:* & ex *Hiſtoria Metenſium Præſulum* in *vita* Vvalonis: vbi hæc verba notanda ſunt. *Ex cuius rei enarratione*, id eſt ex Pallij impetratione, *ait explicandum, cur Metenſes Epiſcopi nomine Archiepiſcoporum intitulati* leguntur: ſaluo tamen in omnibus Eccleſiæ Treuerenſis priuilegio. Quod multò pòſt Calixtus II. in conceſſione Pallij Stephano Metenſi Epiſcopo facta nominatim addidit, *dicta Hiſtoria Epiſcoporum Metenſium* in Stephani *vita*. Conſtantiſſimè enim Treuerenſes Metropolitani ius ſuum aduerſus Metenſes Epiſcopos defenderunt, qui non tantùm occaſione Pallij, ſed etiam ſplendore natalium, & Apoſtolicæ Legationis prætextu, ſeſe ſubducere iuriſdictioni Metropolitani fruſtrà tentauerunt, *dicta Hiſtoria* in Drogonis & Stephani *vita*. Nam *Drogonis Legationem ſine effectu fuiſſe, & ab Epiſcopis Gallicanis reiectam*, teſtis eſt Hincmarus Remenſis *epiſt. 6. ca.* 30. Et Calixti II. *Reſcripto* à Stephani Metenſis, quamuis Legati Apoſtolici, poteſtate Bruno Treuerenſis eſt abſolutus, *dicta Hiſtoria* in *vita* Stephani. Nec dubitamus tamen aliquibus Epiſcopis Metenſibus vnà cum Pallio nomen Archiepiſcopi tributum, vt de Angilramno, & aliquibus aliis Synodus Franceford. *can.* 55. & Paulus Diaconus *de Epiſcopis Metenſibus, Angilramno Archiepiſcopo*.

Aduerſus ſimilem præſumptionem quorumdam Galliæ Epiſcoporum, qui Pallium indebitè à Romana Sede poſcebant, Metropolitanos ſuos *tali ſpernentes tenore*, non contemnendum ſupereſt veſtigium in quadam *epiſtola* Hadriani I. *ad Bertericum Viennenſem Archiepiſcopum* in *antiquitatibus Ciuitatis Viennæ*, de qua nos admonuit vir amiciſſimus & doctiſſimus Ph. Loyaulté. Vnde vnde fuerit excerpta, redolet antiquitatem. *Inter alia monuimus eum*, id eſt Carolum Magnum, *de Metropolitanorum honore, & de Ciuitatibus quæ laicis hominibus traditæ erant. Et quia iam Archiepiſcopalis Dignitas per octoginta annos à Francis eſſet conculcata.* Et poſt pauca. *Nec præterea præiudicium vllæ Metropolis patiatur, ſi alicui Suffraganeorum aut nos, aut Prædeceſſores noſtri, rogantibus Piis Ducibus Francorum, Pallium largiti ſumus. Nec debet Eccleſia vllum damnum ſuſtinere, ſi per ſexaginta aut ſeptuaginta, &c.* Cum hac *epiſtola* Hadriani valdè conueniunt quæ Hincmarus in *epiſtola 2. editionis Pariſienſis ſub finem*. Præualuit ambitio & corruptela, de qua poſtea conqueſtus eſt grauiter Fulco Remenſis Archiepiſcopus *epiſtola ad Formoſum Pontificem* ſcripta, & huiuſmodi *irrationabili petitioni* ait, *tàm ſe, quàm omnem Eccleſiam precari, ne Pon-*

Digitized by Google

tifex ſine generali aſſenſu & litteris conſentiat: generali , totius Eccleſiæ Gallicanæ, vel Metropolitani ſaltem & reliquorum Suffraganeorum Prouinciæ, Flodoardus *lib. 4. Eccleſiaſtica Hiſtoria Remenſis cap. 1. in fine.*

Iure enim veteri antequam Pallium concederet Pontifex ad petitionem Regum, diligenter inquirebat, num Epiſcopus, cui à Rege petebatur, ſub alicuius Archiepiſcopi iuriſdictione eſſe videretur. Quam in rem locum inſignem indicauit nobis V. C & doctiſſimus Petrus Puteanus ex *epiſtola* quadam Hadriani Papæ ad Carolum Magnum. Iuuabit integrum adſcribere. *Reperimus quippe in regalibus affatibus veſtris, vt Pralato Ermenberto Epiſcopo, Pallium Sacerdotalibus infulis decoratum, ex Apoſtolica autoritate concederemus; quia Ciuitas Metropolis in Aquitania videtur eſſe patria, que Bituricas nuncupatur, vbi nunc prafatus venerabilis vir praeſſe dinoſcitur, curámque paſtoralem deuotus exercere videtur. Quatenus ignorantes, ſi canonicè in Prouincia partibus illis iam ordinatus, tam à Prædeceſſoribus noſtris, quamque à nobis fuiſſet, enucleatiùs eum indagari curauimus, ne vſurpationis locus antiquis Sacerdotibus in alterius iure concedatur. Qui prafatus ſanctiſſimus vir nobis confeſſus eſt, vt ſub nullius Archiepiſcopi iuriſdictione eſſe videretur.*

Eandem ob rem Anſelmus Cantuarienſis interceſſit apud Paſchalem II. ne Londinenſi Epiſcopo concederetur Pallium, tum propter nimiam eius potentiam; tùm quia Dominæ vrbis erat Epiſcopus, in qua primùm Sedes Metropolitana conſtituta initio ab Auguſtino; tum etiam quia Londinenſis Epiſcopus eſt Decanus Eccleſiæ Cantuarienſis. *Quidam namque concinnabant, ſub hac ſpecie boni Primatus Cantuaria dignitatem humiliare*, Anſelmus *lib. 3. epiſt.* 152. quam & *Hiſtoria ſua* inſeruit Eadmerus *lib. 4.*

Vide Ioannis X. *epiſtolam*, & *aliam* Leonis IX. ſuper ea controuerſia, & præterea Remenſe Concilium ſub Leone IX. *tomo* 3. Concil. Gal. *parte 2. pag.* 212. & *pag.* 988. & *ſeqq.* in *appendice eiuſdem tomi*. Item quæ *tomo 2. Hiſtoria Franc.* Scribit Ducheſne de ſtatu Eccleſiarum Britan-

Inſignis etiam controuerſia ſuper eodem negotio diù fuit agitata inter Archiepiſcopnm Turonenſem & Dolenſem Epiſcopum, qui vario prætextu, maximè verò occaſione Pallij ſe gerebat pro Archiepiſcopo Britanniæ. Imò clauſulam hanc ſolennem, de qua ſupra, eraſerat ex Gregorij VII. *reſcripto*, in datione Pallij, *vt tam idem Dolenſis, quàm cæteri Britannia Epiſcopi perpetuam deinceps ſubiectionem & obedientiam exhiberent Archiepiſcopo Turonenſi.* Ildeberti tùm Turonenſis Archiepiſcopi *epiſtolam* ſuper ea lite, quam ex *Cod. M. S.* mihi communicauit idem amicus noſter Ph. Loyaulté, qui reliquas breui editurus eſt, repræſentare commodius putauimus. *Iuſtum eſt eum ſpem de reliquis amittere beneficiis, qui gratiarum actione nec primum proſequitur nec ſecundum. Vnde & ego, quia quas debui, gratias non egi de præteritis, minùs ſpero de futuris. Vt autem ſperare debeam veſtra facit benignitas, cui ſolemne eſt benefacere vel ingratis. Prætereà non veſtram latet prudentiam, venialiter eum eſſe ingratum, qui cum ex impoſſibilitate benefactorum vicem non reddit, habet plenam reddendi facultatem. Licet igitur ingratitudinis merear argui, tamen adhuc poſt Chriſtum Domini clamo, poſt patrem Turonenſis Eccleſia*

lachrymas ſic expono. Baudricus Epiſcopus, vel Archiepiſcopus Dolenſis Eccleſiæ diſceſſit. Eum indebitè Pallium habuiſſe Occidentalis Eccleſia non ignorat. Docet hoc etiam Pontificalium Catalogus Eccleſiarum, nullam omnino faciens de Dolenſi Eccleſia mentionem. Vnde diligentiùs intuenti manifeſtum eſt totam Britanniam intra limites Turonenſis Eccleſiæ contineri. Nec ego tamen ſuper hac re, quaſi diſcutiendam ſuſcito querelam, quam dudum in Romana deciſam Eccleſia religioſæ nouerunt & teſtantur Perſonæ. Teſtatur idipſum venerabilis Papæ Vrbani priuilegium Turonicæ Metropoli collatum: in quo qui legit, intelligit totam Britanniam ei, tanquam ſuæ Metropoli ſubiectam; Palliúmque non Dolenſi Eccleſiæ prærogatum, ſed Perſonæ. Quapropter ego cum tota Turonenſi Eccleſia vos exoro, quatinus ad debitum præfatæ Metropoli reſpiciatis, eique ſuam reformare dignemini dignitatem. In quo benè nos cognoſcamus exauditos, ſi ei, qui in Præfata ſede eſt eligendus Epiſcopus, vſum Pallij vel omnino denegetis, vel nobis & illi diem ad agendum ſtatuatis.

niæ noſtræ; & quæ habentur in nupera *hiſtoria Britannicarum Eccleſiarum* Armachani Primatis Hiberniæ. Adde *Præfationem* Conciliorum Britanniæ, vbi agitur de Eboracēſi quodam Archiepiſcopo, qui Dolenſem Ciuitatem exul ſibi conſtituit, & in eam Pallium ſecum tranſtulit.

Litem illam à multis Pontificibus ventilatam & tractatam tandem peremptorio decreto terminauit Innocentius III. vt ſcilicet *Dolenſis Eccleſia, perpetuis ſemper temporibus ſuffraganea plenè ſubiaceat Eccleſiæ Turonenſi, &c. nec vnquam Dolenſis Epiſcopus ad Pallij vſum adſpiret* Quæ ſunt verba Innocentij *epiſt.* 79. 80. & 81. *lib.* 2. *Regiſtri. Geſta* eiuſdem Innocentij *pag.* 29. vbi meritò laudatur Innocentij prudentia & ſolertia in litibus perplexiſſimis diſſoluendis.

In hac verò lite dirimenda potiſſimùm emicuit, quæ aliquando aduerſus Lucium Pontificem animum Philippi Auguſti exacerbauerat, qui ſtrenuè autoritatem Eccleſiæ Turonenſis tutatus eſt. Quamuis enim Lucio Pontifice & Curiæ Romanæ Cardinalibus parum æquis vteretur, Maieſtatem tamen ſuam & illuſtris Eccleſiæ Turonenſis dignitatem non eſt paſſus imminui, ſcriptis grauiſſimis ad Pontificem & Cardinales literis, opera & ſtudio vſus Stephani Tornacenſis, Conſiliarij Philippi Auguſti meritò vocati. Extant inter eiuſdem Stephani *epiſtolas num.* 129. 126. 127. 128. Quare fallitur Miræus, qui & Dolenſem Epiſcopum exemptum, & ius habere Pallij ſcribit. Vide quæ *ſup. Tract. de Tranſlatione.*

Minus periculi vertitur in Conceſſione Pallij, quæ fit ad vſum & vitam tantùm quibuſdam Epiſcopis; vel propriis meritis exigentibus; vel ex gratia Pontificis: qualem fuiſſe Theodulphi Aurelianenſis & Quinqueccleſienſis, ſuprà oſtendimus. Similis etiam, quæ Actardo Nannetenſi, de quo ſuprà, ab Adriano II. *epiſt.* 11. 15. his verbis. *Decus tibi Pallij ſolò miſerationis affectu contulimus; quod non aliter tibi, nec cuilibet abſque Metropolitis concederemus; vt ſcilicet habeas pro exilio & catena Pallij ornamenta; non ad Eccleſiæ, cui incardinandus es, perpetuum inſtitutum, ſed ad tuum ſpecialem, certíque temporis vſum.*

Eximitur præterea *ſpeciali clauſula, in cauſa criminis*, à iudicio

Metropolitanorum & Epiſcoporum, & Sedi Apoſtolicæ immediatè ſubiicitur; ſub hac tamen conditione, *niſi Apoſtolicæ Sedi ingratus extiterit:* quod aliquando Nicolaus I. obiecit Hincmaro. cui ſimile exemptionis priuilegium conceſſum fuerat, vt ſuprà notauimus. Vide *notata in fine lib. 1. Regiſtri* Gregorij VII. Et hæc dicta ſunt exempli gratia tantùm: nam plurima exempla occurrere non dubitamus.

Siue autem petatur Pallium de nouo à Metropolitanis, vel Epiſcopis: non tantùm Epiſcoporum, ſed etiam Regum conſenſum & preces requiſitas fuiſſe probauimus; tum propter iuramentum; tum propter priuilegia & exemptiones tribui ſolitas in conceſſione Pallij. Pertinet enim ad Reges, ne quid innouetur aduerſus antiquum ordinem & ſtatum publicum; qui non tantùm in Magiſtratibus, ſed etiam in Sacris & Sacerdotibus conſiſtit.

Digitized by Google

AD TIT. IX.

DE RENUNCIATIONE.

TRACTATVS IX.

RENUNCIATIONIS, Ceſſionis, & Reſignationis dictiones promiſcuè vſurpantur *hoc tit.* & paſſim in *his libris*. Aliquando coniunguntur, ut ſe mutuo explicent κατὰ παραλληλισμὸν; in *c.* 5. *hoc tit.* in *antiqua. Renunciatio, ſiue Reſignatio:* & Titulus *De Ordinatis ab Epiſcopo, qui Renunciauit Epiſcopatui* infra; in *antiqua Collectione* concipitur, *qui Reſignauit Epiſcopatum.*

Renunciare verò, Reſignare, & Cedere dicuntur, qui dimittunt Epiſcopatum, Eccleſiam, Dignitatem, Præbendam, vel quodlibet Beneficium, Sæculare, vel Regulare. Diffunditur enim latiſſimè hic Tractatus.

Eadem forma Iure civili abdicare ſe Magiſtratu, tutela, vel Cedere ſæpè idem ſignificant: & cedentes ſeparantur ab abactis & remotis Magiſtratibus, vel Tutoribus, Feſtus: *Abacti Magiſtratus dicebantur; qui coacti depoſuerant imperium.* Iſidorus *abactos* explicat, *ab actu remotos.*

Arctiſſimè autem cohæret hic Titulus cum ſuperioribus. Poſtquam de Poſtulationibus & Electionibus tractatum fuit, quibus præcipuè modis non tantùm ſummos apices Dignitatum Eccleſiaſticarum, ſed etiam inferiores omnes, imò & quoſlibet ordines in antiqua Eccleſia conferri ſolere, *initio tit. de Electione* probavimus: conſequens erat, ut de modis amittendi, vel dimittendi tractaretur: ſicut in iure civili eadem conſequentia ordinis de acquirendi dominij, poſſeſſionis, vel hæreditatis modis primùm quæritur; poſteà de modis amittendi: primùm quibus modis conſtituitur obligatio; deinde quibus tollitur. Imò & aliquando ſub *eodem tit.* coniunctim de acquirendi & amittendi modis; ſicut in *hoc tit.* aliquando ſimul de Renunciatione & Electione tractatur in *cap.* 1. *hoc tit* iuncta *antiqua*, & in *cap.* 2. In locum enim eius qui renunciavit, alius aliquando per Electionem ſubſtituendus eſt. In *tit. de Tranſlatione* cedat oportet & renunciet Epiſcopatui primùm, qui vel in Archiepiſcopatum, vel in alium Epiſcopatum transfertur: & tam in Renunciatione, quàm in Tranſlatione vinculum quo Eccleſiæ tenentur, per Superiorem diſſolui debet. Perinde ac Iure Civili Magiſtratus abdicando ſe non amittit imperium *l.* 20. *ff. de Offic. Præſidis.* Iuſſu, con-

ſenſu, vel autoritate Principis, ſicut inviti muneta & honores ſuſcipiunt; ita & defungi coguntur. In *cap. 2. de Translatione* Translatio, Ceſſio & Depoſitio Epiſcoporum coniunguntur: quæ fieri non debent propria autoritate, ſed ſolius Pontificis; & non tam Conſtitutione canonica, quàm Conſtitutione divina ſoli Pontifici Romano reſervata dicuntur, *toto tit. de Tranſlationibus.*

* Adde exemplum inſigne abdicatorum Ebbonis & Arnulſi Remenſium Archiepiſcoporum. Vide Vignier initio *hiſtoriæ Hugonis Capeti*, Fulberti *epiſt.* 8. Vrbani II. *epiſt.* quæ eſt 1. inter *epiſtolas* Iuonis, ubi de depoſitione Gaufridi, in cuius locum, conſenſu regis interveniente, ſuffectus eſt Iuo, eiuſdem *epiſt.* 8. & 12. iunge quæ Zonaras habet ad *Can. ult.* Synodi Epheſinæ, & ad *epiſt.* eiuſdem Synodi de Euſtathio Metropolitano Pamphiliæ, & Balſamo ad *eamdem.*

Cohæret verò hic Titulus cum *tit proximo de Pallio*: in quo probamus, Abdicationis, Ceſſionis, vel Depoſitionis ſignum fuiſſe *ademptionem ſolemnem, vel abiectionem Pallij.* Sicut in *epiſt. 6.* Goffridi Vindocin. *lib. 1.* in qua Archembaldus Abbas ſancti Albani Andegauenſis dicitur *in Capitulo ſuo inter manus Andegavenſis Epiſcopi, cum Regula ſancti Benedicti Abbatiam dimiſiſſe*, id eſt in ſignum abdicationis * librum Regulæ porrexerat, & quaſi *remancipaverat* Abbatiam. Item in *cap. 9. hoc tit.* Archiepiſcopus, qui ex iuſta cauſa, ab hoſtibus nempè eiectus, renunciavit Archiepiſcopatui, licèt à vinculo Eccleſiæ abſoluatur, retinet tamen honorem & dignitatem: imò & Pallium; quo tamen vti non poteſt in alterius Metropoli. *cap. 5. tit. ſuperiori.* Quin & diximus *tit. ſuperiori*, eiecto Epiſcopo ab hoſtibus vel paganis in ſolatium ius Pallij conceſſum fuiſſe.

Definitio Renunciationis.

RENUNCIATIO definiri poteſt, *Actus legitimus, quo quis Honores, vel Beneficia ſecularia, vel regularia, ex certis & legitimis cauſis, ſponte, vel coactus dimittit in iure, apud ſuperiorem cum cauſæ cognitione.*

Origo, & progreſſus huius Iuris in Oriente & Occidente.

Definitionis explicatio elicietur facilè ex univerſo Tractatu, quem ab origine & progreſſu tam in Orientis quàm in Occidentis Eccleſiis auſpicabimur, & deducemus ex illis Scriptoribus, qui omnes ferè Alexandrum III. præceſſerunt; quo nullus antiquior Pontifex autor eſt Decretalium, quæ tam in *noſtro tit.* quàm in *antiquis Collectionibus, ſub eodem tit. de Renunciatione referuntur.*

Orientalis Eccleſiæ Ius circa Renunciationes.

Ad Orientalem Eccleſiam pertinent Petri Alexandrini *epiſtolæ cap.* 10. *Epiſtola* Concilij Epheſini inter Oecumenica III. quæ ſubiici ſolet canonibus Concilij Epheſini *parte 2. Actione 7.* eodémque ordine apud Zonaram & Balſamonem; *Epiſtola* Cyrilli *ad Domnum Antiochenum Patriarcham*, apud Balſamonem; *can. 76. Apoſtolorum*; *can.* 5. & 16. Synodi Conſtantinopolitanæ ſub Photio; Harmenopulus in *Breviatione canonum tit. 8. Catalogus Patriarcharum Conſtantinopolitanorum* in *Nicolao Muzalone*, *in Iure Orientali* Leunclavij, qui & *Libro 7.* retulit Libellum abdicationis Theodori Metropolitani Heracleenſis.

Vide Habertum in *Pontif. Eccleſiæ Græcæ ad hunc tit.*

Ex his colligimus, ſecundùm vetera inſtituta Eccleſiæ Renunciationes vix eſſe admiſſas. Si enim digni ſunt, retineantur etiam nolentes & inviti; ſiquidem perpetuam loci ſtabilitatem & Epiſcopi

& Clerici cuiuſcumque gradus ſervare tenebantur ; ut docuimus ſæpiùs : vel ſi indigni ſunt, deponantur omninò. Quòd ſcilicet vel accuſati, vel convicti, vel conſcientia criminis ducti, tanquam indigni, renunciaverint Epiſcopatui; non tantùm ſede, ſed etiam nomine & honore Epiſcopi privantur.

Idémque dicendum ſi ſpontanea Renunciatio fuerit admiſſa. Rectè enim Zonaras & Balſamo ad *dictas epiſt.* Concilij Epheſini & Cyrilli obſervant, non poſſe regulariter in Renunciatione ſeparari nomen & dignitatem Epiſcopi à Sede & Eccleſia. Qui enim renunciat, neque nomen neque rem retinere poteſt; niſi ex diſpenſatione & venia nominatim à Synodo permittatur, ſicut in *dicta epiſtola* Concilij Epheſini. Canones tamen permittunt Epiſcopis & Clericis, qui vel à Populo & Plebibus pravis & contumacibus non admittuntur, vel ab hoſtibus & Paganis ejiciuntur; ut quamvis coacti Eccleſia ſua careant, nomen tamen & dignitatem Epiſcopi, & Clerici gradum & ordinem ſuum retineant *can. 36. Apoſtolorum & can.* 18. Antiocheni Concilij.

Exempla quædam illuſtriora ſeligemus. Primum. Milles ſub Conſtantino in quadam Perſidis civitate conſtitutus Epiſcopus; ubi poſt varia tormenta & cruciatus, nihil tamen ſe proficere ſentiens, ſponte ceſſit, Sozomenus *lib. 2. cap.* 14. *Tripartita lib.* 3. *cap.* 2. *in fine*, & ex ea Petrus Damiani *lib.* 1. *epiſt.* 9. & Nicephorus Calliſtus *lib.* 8. *cap.* 37.

Meletius Magnus, primùm Sebaſteæ in Armenia Epiſcopus ſub Conſtantio, propter contumaciam Plebis Sedi renunciare coactus eſt, Theodoretus *lib. 2. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cap.* 31.

Notiſſima Gregorij Nazianzeni Renunciatio ſpontanea Patriarchatui Conſtantinop. de qua ſupra.

Inſignis etiam Renunciatio Martyrij Patriarchæ Antiocheni ſub Leone: cuius Sedi cum oculos adiecisset Petrus Fullo, Cleri & plebis malè ſentientis de fide, & potiſſimum Zenonis potentia, abdicare coactus eſt; & in abdicationis formula, quam ipſe pronuntiavit coram univerſa Eccleſia, excepit ſibi nomen & dignitatem Epiſcopi, *Excerpta* Theodori Lectoris *lib.* 1.

Pleniùs verò Hiſtoria refertur à Nicephoro quodam Monacho Græco, cuius vetus verſio ſubiici ſolet Tripartitæ, ex qua verſione refertur in *dicta epiſtola* Damiani: qui ait, *illam Hiſtoriam Eccleſiaſticam*, quæ multa continet vtilia, *à Scriniario quodam Romano ſcriptam*: verſam dicere debuerat. Nicephorus Calliſtus *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ lib.* 15. *cap.* 28.

Toleratum itaque eſt his caſibus & ſimilibus, ut renunciantes retinerent nomen & dignitatem Epiſcopi, Preſbyteri, Diaconi, Subdiaconi, Lectoris; quamvis Eccleſia & loco ceſſiſſent, & alij in eorum locum ſubſtituti fuiſſent. Quin & alimenta ſuppeditabantur aliquando ex Eccleſiæ reditibus, quam reliquerant, vel qua pellebantur: & ita res ad eum caſum deveniebat, à quo non potuerat incipere: nec enim ſine Eccleſia vel certo loco Epiſcopus, Preſbyter, Diaconus, vel quilibet è Clero potuit ſecundùm canones antiquos ordinari.

Colligitur præterea Renunciationes coactas, vel omnino non admittendas ab initio; vel admiſſas facile revocari: nempè quoties ſuſpicio doli, vis, aut metus ſubeſt, Cyrillus *dicta epiſt. ad Domnum*.

Inſigne exemplum præter ſuperiora in Patriarcha Ignatio habemus, de quo pleniſſimè Nicetas in eius *vitâ*.

Canon 16. Synodi Coſtantinopolitanæ ſub Photio paſſim & temerè Renunciationes quaſlibet admittere videtur. Nec mirum: per factiones enim Photij ille canon adverſus Ignatium compoſitus. Quod Balſamo non attendens, vel diſſimulans laborat in componendo illo novo canone cum antiquis. Rectè tamen concludit, non eſſe admittendas Renunciationes quaſlibet, ſed cum magnâ cauſæ cognitione; & damnat contrariam conſuetudinem, que irrepſerat in Eccleſiam Orientis; quam & ait non debere cuiuſlibet temporis tractu ſanctis canonibus prævalere. Vide eundem ad *dictum canonem* 16. & inter omiſſa *pag.* 1116. & Harmenopulum *dicto titulo* 8. *in Breviatione canonum*.

Offerendus autem erat Libellus Renunciationis ab Epiſcopo, qui renunciare Epiſcopatui volebat, Provinciali Synodo, in quâ cauſa pleniſſimè cognoſcebatur; quæ iterum in Synodo Patriarchicâ retractari poterat, ut ex *dictâ epiſtola* Cyrilli *ad Domnum*, quem Antioch. Patriarcham fuiſſe inſcriptio docet, & contextus *epiſto'a*, ibi, *aſſiſtentibus, qui tuæ manui ſubſunt Epiſcopis*.

Nec quidquam in eâ *epiſtola* de appellatione ad Sedem Romanam: quamvis & ad Pontificem Romanum, ſi quis iniuſtè, per vim, vel metum ſe abdicaſſe, renunciaſſe, vel depoſitum eſſe conquereretur, proclamare liceret.

Nec Patriarchis tantùm, qui Superiorem non habent præter Pontificem & Synodum generalem, hæc facultas proclamandi ad Summum Pontificem competit: ſed etiam Epiſcopis, ut docent Athanaſij, Chryſoſtomi, Cyrilli, Theodoreti; maximè verò Ignatij exempla, quem Photius, ut diximus, per vim potentiâ Imperatorum fretus, abdicare coëgit, Joannes VIII. *epiſt.* 199.

Imperatorum quoque autoritatem intervenìſſe in huiuſmodi Renunciationibus conſtat exemplo Gregorij Nazianzeni, tam in eius *vitâ* à Gregorio Preſbytero ſcriptâ ſub finem, quàm ex ipſius Gregorij *oratione & elegantiſſimis de vitâ ſuâ verſibus*, quibus alloquitur
Non ait, ſe impetraſſe. Theodoſium, & ab eo miſſionem impetrat, à quo ſe ait fuiſſe promotum.

Ignatij exemplo præterea, & formulâ ſupra citatâ Renunciationis Theodori Heracleenſis Metropolitani colligitur, perinde ac in Electionibus, in Tranſlationibus etiam & Depoſitionibus Epiſcoporum, adhiberi conſenſum Imperatorum & Regum.

Huiuſmodi verò Libelli Renunciationis à Græcis vocantur ζωλακτήριοι, ἀποτακτήριοι λόγοι, ἀποχαιρετικοί, ἐξιτήρια, ἐξόδια ῥήματα, τόμοι παραιτήσεως. qui à renunciante ſcribi & in acta referri ſolebant.

Occidentalis Eccleſiæ ius cir- Ad Occidentalem verò Eccleſiam pertinent Evariſti, Liberij [Suppoſitiæ], Gregorij Magni, Zachariæ, & Nicolai I. *epiſtolæ*, ex qui-

Digitized by Google

bus *can.* 1. 2. 3. 4. 8. 13. 47. 48. (ad quem multa notat Gratianus) & *can. ult.* VII. *quæſt.* 1. Quibus iunge quæ ex Leone Magno, Gregorii VII. *Epiſtolis*, *&* *aliis* collegit doctiſſimus Antonius Auguſtinus *Epitomes Iuris Pontificij lib* 4. *tit.* 79. *Ne Epiſcopus dimittat Epiſcopatum.*

ca Renunciationes.

Addimus locum ſingularem ex Concilio Milevitano, univerſali totius Africæ, in cauſâ Maximiani Bagaïenſis. Extat in *Collectione Latinâ*, ſub Concilii Africani nomine *num.* 55. & in *poſtremâ Collectione Græco-Latinâ Codicis canonum Eccleſiæ Africanæ num.* 88. & à doctiſſimo Juſtello rectè explicatur, *Glorioſa ceſſio Maximiani*, *qui*, ut ait Auguſtinus, *pacificâ motus pietate depoſuit Epiſcopatum* (ſicut & antea Gregorius Nazianzenus, & Martyrius Antiochenus) *ne propter eum pernicioſa in membris Chriſti diſſentio naſceretur.* Prudentiùs Iuſtellus quàm Græci, qui canonem, quaſi προσωπικὸν & perſonale, non indigere Interprete notaverunt. Hincmarus in *Tractatu de Divortio Lotharij pag.* 321. *&* 322. Petrus Damiani ex profeſſo *lib.* 1. *epiſt.* 8. 9. *&* 10. Eadmerus *Hiſtoria novorum lib.* 5. *pag.* 132. *& lib.* 6. *pag.* 138. *&* 139. de Eadmeri Monachi coacta & violenta renunciatione poſt Electionem, antequam conſecraretur. Electus quippe fuerat ſancti Andreæ in Scotia Epiſcopus: Alexander tamen Rex Scotiæ, mutata voluntate, coëgit eum renunciare: in qua renunciatione hæc verba notanda. *Venientes Cantuariam diverſi Epiſcopi eum Eccleſiam, quàm canonicè Electus regendam ſuſceperat, nulla ratione, iuxta ſcita canonum, indemnatum dimittere poſſe concordi ſententia aſſeruerunt, licet conſecratus non fuerit: Electionem videlicet quodammodo Conſecrationem præſtare conteſtantes.* Eadem ratione, qua nec transferri propria voluntate, vel alterius autoritate, quàm ſummi Pontificis Electum, licèt nondum conſecratum Innocentius III. ſtatuit *cap.* 1. *de Tranſlatione.*

De Renunciationibus etiam Epiſcoporum variis ex cauſis Ivo *epiſtola* 30. 104. 110 & 176. ex quibus conſtat, multos Epiſcopos illis temporibus conatos fuiſſe, vel omninò non admittere Epiſcopatus, vel ſæpiùs petiiſſe miſſionem. Quod mirum non erat: quia plerique nolentes & inviti compellebantur, autoritate Summorum Pontificum, quibus ſolis ius compellendi competit, ſubire onera Epiſcopalia. Præter Ivonem vide Anſelmum *lib.* 3. *epiſt.* 1. 3. *&* 7. & Petrum Bleſenſem *epiſt.* 44. *ad Arnulphum Lexovienſem Epiſcopum*; qui tandem dimiſſo Epiſcopatu obiit Pariſiis in Monaſterio ſancti Victoris, Robertus Abbas de Monte Navali *in Supplemento Sigeberti ad annum* 1181.

Ultimæ editionis.

Comparatione itaque facta diſcimus eodem ferè modo, tam in Oriente, quàm in Occidente factas fuiſſe Renunciationes; Libello ſcilicet oblato in Synodo, cauſa cognita: quæ ſi iuſta videbatur, facultas cedendi permittebatur.

Aliquando etiam renuncianti relinquebatur nomen & dignitas Epiſcopi: nec tamen adminiſtratio & executio miniſterij Epiſcopalis libera erat; niſi prius rogatus, vel vocatus foret ab aliis Epiſcopis *cap.* 2. *de Translatione*, *cap.* 9. *&* 11. *ſub finem*, *& cap.* 1. *de Or-*

dinatis ab eo qui renunciavit Epiſcopatui, dicta epiſtola Concilij Epheſini *in fine*.

Paulatim præcipuè in Occidente invaluit, ut facta in Synodo Renunciatio, vel Metropolitani autoritate, eſſet tamen irrita; niſi Pontificis confirmatio accederet, *canonibus ſupra citatis, & cap. 1. de Renunciatione* in *1. Collectione*.

Tandem inconſultis Synodis, ſtatim & recta via ad Summum Pontificem, præſertim ex univerſo Patriarchatu ſuo Renunciationes eo colore referri cœperunt, quia ſunt ex *maiorum Cauſarum* numero. Non tamen ad primam petitionem, ſed poſt iteratas & frequentes interpellationes Epiſcopis cedendi facultatem indulgeri ſolere, probant *loci ſupra citati, & cap. 1. &* 10. frequentiſſime in *epiſtolis* Gregorij I. Quare generaliter nimis Joannes Diaconus in eius *vita lib. 4. cap. 59. Pontificibus voluntariè renunciantibus Sedibus ſucceſſores Gregorius nullo modo denegabat, eoſque poſtmodum de redditibus relictæ Eccleſiæ nutriendos eſſe cenſebat*.

Sicut autem in Oriente in Renunciationibus Epiſcoporum, Patriarcharum maxime & Metropolitanorum, autoritatem Imperatorum interveniſſe ſupra notavimus, ita & in Occidente. Illuſtre extat exemplum Arnulphi Metenſis Epiſcopi, qui à Clothario II. ſæpiùs petitam, poſt multas moras, & minas intentatas à Dagoberto eius filio, tandem renunciandi facultatem obtinuit, & in eremum Vogeſi montis Monachiſmi cauſa ſeceſſit, *Hiſtoria Præſulum Metenſium* in eius *vita*.

Aliud extat in *cap. 5. hoc tit. in parte deciſa*, in cuius fine ab Alexandro III. Archiepiſcopus Lundenſis in Dania, tam de ſua renunciatione, quàm de Succeſſoris Electione, *una cum Principe terræ, Regni Optimatibus, & Religioſis viris tractare iubetur*. Quod & executioni mandatum fuiſſe, elegantiſſima narratione tradidit, qui eo tempore vixit Saxo Grammaticus *lib. 14. ſub finem:* ex quo loco vera ſpecies huius capituli petenda eſt, ut infra notabimus.

Tertium deſumi poteſt ex Roberto Abbate de Monte in *Supplemento Sigeberti. In capite ieiunij*, ait, *apud Cenomanos Hugo Archiepiſcopus Dolenſis, cæcitate debilitatus, Henrico Regi Anglorum & duobus Legatis Romanæ Eccleſiæ reddidit Archiepiſcopatum*.

Initiis & progreſſu huius tituli explicatis ſupereſt, ut Decretalium, quæ collocatæ ſunt ſub *hoc tit.* & in *vi & Clementinis* brevem Summam conficiamus: quæ ad tria capita ſumma redigi poteſt: ad Perſonas, quæ cedunt & renunciant; ad Renunciationis Formam; ad Cauſas Renunciationum.

Summa capitum huius tit.

QUOD AD PERSONAS, diffunditur latiſſimè. Comprehendit enim non tantùm omnes, qui in Clero ſunt conſtituti; ſed etiam Monachos. Imò Summus Pontifex, qui Superiorem non habet, renunciare poteſt Papatui, eiuſque oneri & honori, vel in Concilio generali, ſicut aliquando factum eſt, vel de Cardinalium conſilio & conſenſu *cap. 1. de Renunciatione in* VI. De conſilio, inquam: nam ultrò & ſponte, ſicut Imperator; ita & Papa cedere Imperio & Papatu poſſunt: nec opus eſt autoritate vel conſenſu alterius, cum ſu-

periorem non agnoſcant, Cuiacius in *Poſthum. ad l. 10. ff. de Officio Præſid.* Gloſſa & Interpretes ad *d. cap. 1. de Renunciat. in* VI. Cardinales autoritate Papæ, & in eius manibus: quam in rem vide Petri Damiani *epiſtolas ſupra citatas.*

De Archiepiſcoporum & Epiſcoporum renunciatione *cap.* 1. 9. 10. 11. *& Clementina unica hoc tit.* De reliquis, qui minores Dignitates, Canonicatus, Præbendas, vel Beneficia obtinent *cap.* 2. 3. 4. 5. 7. 8. 13. *hoc tit. cap.* 2. *eodem tit. in* VI. *& cap. unico eodem in Clementinis.*

Ad Abbates, Monachos, Canonicos Regulares, & generaliter ad omnes, qui Regularium nomine cenſentur, ſive ſint exempti, ſive non, pertinent *cap. 4. 6. & penultimum hoc tit. & cap. 3. eodem in* III. *Collectione, & Clementina unica eodem tit.*

FORMA Renunciationis, Libelli oblatio ſive ſcripta Renunciatio; Confeſſio in iure; vel factum ipſum: verbi gratia, ſi Clericus ſumat habitum Monachalem *cap.* 2. 3. *&* 5. *hoc tit.*

Debet autem eſſe ſpontanea. Vis enim & metus, dolus ſive fraudulenta perſuaſio, oppreſſio, interventus pecuniæ, vel promiſſio quælibet removentur, & irritam faciunt Renunciationem. Quare diligentiſſima cauſæ cognitio in Renunciatione requiritur *cap.* 5. 7. *&* 13. *hoc tit.*

Præterea licentia renunciandi à ſuperiore impetranda eſt. Et quidem qui minores habent dignitates poſt Pontificatum, reliqui Clerici omnes, & Abbates ſive Monachi ab Epiſcopis vel Archiepiſcopis facultatem cedendi obtinere debent; niſi ſint exempti: tunc enim à Pontifice, vel eius Legato à latere tantùm debent eam obtinere *cap. 3. in* III. *Collectione & cap. 36. de Electione in* VI. Legati tamen à latere, niſi ſpecialiter à Pontifice mandatum fuerit, Epiſcoporum vel Archiepiſcoporum Renunciationes non poſſunt admittere; ſicut nec Tranſlationes.

Quia verò ſæpè coniungitur Renunciatio cum Electione; hoc ſpeciale in Abbatibus, ut non tantùm renunciandi, ſed etiam admittendi Electionem facultatem obtineant, eámque Congregationi ſuæ inſinuent; à qua manumiſſionem petere debent: nec enim propria autoritate poſſunt. Imo conſuetudo contraria non valet. Vide *epiſt.* Ivonis 31. *&* 32. & Anſelm. *lib. 1. epiſt. 33. & lib. 3. epiſt.* 1. 4. 6. 7. *&* 8. Voluntatis enim proprium arbitrium per ingreſſum Monaſterij & obedientiæ votum tam Abbates quàm Monachi amittunt.

Monachis verò & renunciandi & admittendi Electionem Abbas licentiam concedit: & quidem ſolus, non adhibito Fratrum conſenſu *cap. 27. de Electione in* VI.

Generalis tamen conceſſio, potiſſimùm ante factam Electionem, ut ambitioſa reprobatur *cap. ult. eod. tit. in* VI. Ambitioni etiam & avaritiæ Monachorum obviam itum eſt, & certus modus eorum Electionibus impoſitus eſt *cap. 34. de Electione in* VI. *& cap. 6. eodem tit. in Clementinis.*

In his tamen omnibus caſibus, quoties Superior licentiam denegat,

ad proximè Superiorem recurritur, Gloſſa & Interpretes ad *cap.* 4. *hoc tit.* argumento *capit. nullus de Iure Patronatus.*

Epiſcopi & Archiepiſcopi renunciationis, quam in Synodo priùs obtinuerunt, confirmationem tantùm à Summo Pontifice requirunt: vel quo iure utimur, recta via renunciandi facultatem à Pontifice impetrant *dicto cap. 1. in* IV. *Collect. & paſſim hoc tit.*

Non autem ex quolibet actu facilè renunciatio præſumitur. Certum animi iudicium & liberum voluntatis arbitrium deſideratur. Non ſufficit iuramentum; non ſufficit Literarum beneficialium, ut loquuntur, traditio. vel in alterius arbitrium collatio, vel abſolutio ſubditorum ab obedientia *cap.* 2. 5. 7. 13. *&* 14. *hoc tit.* Pura enim, libera, propria, & ſimplex Reſignatio eſſe debet: non recipit diem, vel conditionem; non Succeſſoris deſignandi facultatem, cuiuſlibet commodi prætextu, vel affectu carnali erga proximos *cap.* 10. *in integra hoc tit.* In qua *huiuſmodi conditiones & modos deteſtari canones*, ait Innocentius.

Poſt Renunciationem autem ritè factam, & confirmatam, nullum omnino ius retinetur in Epiſcopatu, Eccleſia, vel Beneficio quolibet ſæculari, ſive regulari *cap.* 3. *hoc tit.* Ivonis *epiſt.* 131.

Poteſt tamen iterum eligi, vel poſtulari, qui ſemel renunciavit *cap.* 2. *&* 11. *hoc tit. & cap.* 2. *eod. in antiqua Collect.* 11. *cap.* 26. *de Simonia infra*; quo liquidò probatur, per ſecundam Electionem non recuperari locum vel ordinem, qui competebat ratione primæ Electionis, vel adeptionis Beneficij, cui renunciatum ante fuit.

Aliquid etiam ad vitæ ſubſidium renuncianti, præſertim ex iuſta cauſa, vel humanitatis ratione ſola in Reſignationibus & Ceſſionibus, imò & Depoſitionibus tribui ſolet, Concil. Chalced. in cauſa Stephani & Baſſi *Actione* 11. *&* 12. Qua in re opus eſt autoritate ſumma *cap. 1. in Collectione* 11. *hoc tit. & cap* 3. *eod. tit. in Collect.* III. Regulariter enim omnis Renunciatio, cum ſit actus legitimus, debet eſſe pura & ſimplex.

Præterea Reſignatio deſiderat cauſæ cognitionem, & legitimam cauſam. Cauſæ autem Renunciationum certæ ſunt, quæ referuntur & explicantur doctiſſimè ab Innocentio III. in *cap.* 10. *hoc tit. infirmitas corporis*, vel *mentis*, de qua & in *cap. 1. hoc tit. in Collect. 1. Innocentius III. lib.* 15. *Regiſtri epiſt.* 140. Goffridus Vindoc. *d. epiſt.* 6. *lib.* 1. *extrema ſenectus : defectus ſcientiæ : malitia plebis : irregularitas perſonæ* : vel *conſcientia criminis.*

In *integra* verò *Decretali* magno ingenio & iudicio Innocentius III. diſtinguit omnes cauſas cedendi in tres ſpecies, in *veras*, *falſas*, & *veriſimiles*; ſicut in omni negotio diligenter cauſa à prætextu & colore eſt ſeparanda : qualiter & Petrus Bleſenſis *dicta epiſt.* 44. eas diſtinxerat.

Additur ſeptima in *cap.* 9. *hoc tit. ſi abſque præſenti mortis periculo in Epiſcopatu, vel Eccleſia morari non liceat* : in quo *capitulo* legendum *Eccleſia de Mailros*, quam ſitam eſſe in Diœceſi Eboracenſi probatur ex Bernardo in *vita Malachiæ cap.* 10.

Ubi

Ubi autem à Summo Pontifice petita fuerit inſtantius Renunciatio, variare ampliùs non licet, & ad ceſſionem Renuncians omnino compellitur; ne illudatur Pontifici *cap. 12. hoc tit. dict. epiſt.* 140. *lib. 15.* Innocentij III. Imo ceſſio facta, ſeu petita per Procuratorem valet, ſi revocationem poſtea factam Procurator, vel Superior ignoraverint *cap. unico de Renunciatione in Clementinis.*

Ex ſupra dictis conſtat, Reſignationes hodiernas, quæ ſine cauſa ſub conditione, vel penſione retenta, in gratiam vel favorem certæ perſonæ ſolent fieri, antiquis canonibus omnino improbari: quas tamen propter auctoritatem Summi Pontificis ſolam uſus noſter recepit. Itaque ubi aliqua difficultas occurrit, proni eſſe debemus ad eas reſtringendas, & ſtrictiſſimè interpretari adverſus Reſignatarium, Rebuffus in *Praxi tit. de Renunciationibus.* Spiritualia enim faciliùs conſtruuntur, quàm deſtruuntur *cap. 2. de Tranſlat.* niſi renunciantis manifeſtus dolus arguatur, argumento *cap. 2. de Renunciat. in* VI. Nec immeritò Reges noſtri Legatis ſuis Tridentinum miſſis, non ſemel huiuſmodi Reſignationum revocationem in mandatis dederunt.

AD CAPVT PRIMVM.

VARIE concepta eſt *huius capituli* inſcriptio. Vera lectio occurrit in *antiqua Collect.* 1. *Lundunenſi Archiepiſcopo.* Lunda autem, Lundona, ſive Lunduna eſt Metropolis Daniæ: de cuius ſtatu Eccleſiaſtico tempore Alexandri III. diximus *ſupra tit. de Conſuetudine.* Scribit Alexander III. Eſkillo Metropolitano ſive Archiepiſcopo, quem & Legatum per Daniam & Sueciam conſtituerat. Petebat autem ſibi tanquam emerito, & corporis & animi debilitate fracto dari miſſionem. In Monaſterium autem & ſolitudinem volare ſatagebat, & ſuam meditabatur ad Ciſtercienſes profeſſionem: quam tandem victus iteratis precibus hoc Reſcripto concedit Alexander, ut colligitur tam ex *integra Decretali*, quàm ex Saxone Grammatico: ex quo præterea diſcimus, in eius locum Abſalonem Roſchildenſem Epiſcopum fuiſſe ſubſtitutum; & poſtremo tam Renunciationem, quàm Tranſlationem Abſalonis confirmaſſe Alexandrum III. *Nam*, ut ait, *Abſaloni invito & recuſanti Lundenſem Pontificatum aſſumere iuſſit, eique Roſchildenſem Epiſcopatum, quem præfractè deſerere nolebat, adminiſtrare ſimul permiſit. Ita geminum Eccleſiæ regimen in eius ius ditionemque conceſſit; alterum præcepto, alterum indulgentia ſortientis.*

Subiicit deinde Saxo, quod pertinet ad *tit. præcedentem*, & utriuſque continuationem oſtendit. *Recuſanti Pallium inſigne*; *inſigneque, quod petentibus ægrè præſtari ſolet, repugnanti violenter imprimitur, per Galandum Legatum à Pontifice in eam rem miſſum.* Regulariter enim vel præſenti & petenti inſtantiùs, poſt exactam inquiſitionem de fide & moribus Electi, conceditur: vel per Legatum Pontificis, quem adibat examinandus Electus: ſicque accipiens Pallium dignam in Legato ſuo Pontifici exhibebat reverentiam, Petrus Damiani *lib. 7. epiſt. 4.*

Sed ut ad Eskillum redeamus, obtinuit miſſionem, & Monachi habitum aſſumpſit in Ciſtercienſi Monaſterio, ubi & tandem mortuus eſt; vide *epiſtolas* Petri Cellenſis *lib. 1. epiſt. 23. lib. 7. epiſt. 17. & lib. 8. epiſt. 1.*

Neque tamen inde colligere debemus, Monachiſmum iuſtam eſſe cauſam renunciandi Epiſcopatui. Præſtat enim optimos Epiſcopos, etiam invitos retineri in Epiſcopatibus, in quibus plurimis proſunt, quàm indulgere miſſionem, ut ſibi ſolis proſint: quamvis aliquando, victi nimia poſtulantium inſtantia, eos propriæ conſcientiæ relinquant Pontifices, ut in *cap.* 10. *hoc tit.* Petrus Damiani *epiſt. ſupra citatis.*

In reliquis verò Clericis & Canonicis Monaſterij cauſa renunciantibus non tanta eſt difficultas. Facultatem tamen renunciandi & ingrediendi Monaſterium à proprio Epiſcopo impetrare debent: quam nec denegare debet; alioquin ad proximum Superiorem recurretur *cap. 3. &* 10. *hoc tit. cap.* 10. *& cap. licèt inf. de Regularib.* Anſelmus Cantuarienſis *lib.* 8. *epiſt.* 12. *&* 13. quibus adde Antonium Auguſtinum in *Epitome Iuris Canonici lib. 9. tit* 30.

AD CAPVT VIII.

QUÆRUNT Interpretes, an qui ſponte & liberè renunciavit Beneficio in manum Laïci, ipſo facto privandus ſit Beneficio? Breviter reſpondemus, non privari: quod ſatis ſignificant hæc verba *capituli, Reſignationem eiuſmodi, nullam obtinere firmitatem.* Eſt enim Renunciatio actus legitimus, qui apud Superiorem, in iure & cauſa cognita fieri debet: aliter factus irritus eſt; nec prodeſt, nec nocet.

Idémque dicendum, ſi in manibus Patroni, vel Advocati Eccleſiæ Renunciatio fiat *can. Gonſaldus Cauſa* XVII. *Quæſt. 2.* Ivo *parte 6. cap.* 428. vbi integrior habetur. Sicut enim in collatione Beneficij, præter Patroni conſenſum & nominationem, requiritur Epiſcopi vel Prælati autoritas & Inſtitutio *totis tit. de Inſtitutionibus, & de Iure Patronatus, & cap. 9. hoc tit.* ibi. *Beneficium, quod de liberalitate Regia ac conceſſione tua eſt collatum.* Multò magis idem dicendum eſt in Ceſſione & Renunciatione. In *dicto* verò *cap.* 8. ideo Renuncians privatur Beneficio, quia poſt Renunciationem Laïco factam, iterum à Laïco illud ſuſceperat. Canones autem eos maximè deteſtantur, qui ſpreta ſeu contempta Epiſcoporum & aliorum Prælatorum autoritate, ad quos propriè pertinent collationes Beneficiorum, à Laïcis Beneficia ſæcularia, ſive regularia nituntur obtinere *can.* 12. 13. 14. 17. *& ſequentibus* XVI. *Quæſt. 7.* Antonius Auguſtinus in *Epitome lib. 6. tit. 11. lib.* 10. *tit.* 10. *& lib.* 15. *tit. 7.* Quod non omiſit Petrus Bleſenſis *dicta epiſt.* 44.

AD CAPVT XI.

QUÆRITUR in *hoc capitulo*, an Epiſcopus (idem & de Clerico quolibet dici poteſt), qui renunciavit Epiſcopatui vel Be-

neficio, ut Monaſterium pœnitentiæ cauſa ingrederetur, iterum poſſit aſſumi & eligi in Epiſcopum, & Clericus ad aliud Beneficium.

Et quidem ita diſtinguit. Si propter crimen aliquod grave deſcenderint ad vitam monaſticam, iterum ad Epiſcopatum vel Beneficium non poſſe aſcendere.

Plures autem caſus adfert, quibus Monaſterium ingreſſis Epiſcopis, poſt Renunciationem iterum patet eis aditus ad Dignitates Eccleſiaſticas.

Quod ut intelligatur, obſervandum plurimos Epiſcopos inculpatæ vitæ renunciaſſe Epiſcopatui, & ſeceſſiſſe in Monaſteria, Petrus Damiani XXXI. Epiſcopos commemorat in *epiſtolis ſupra citatis*. Paulus Conſtantinopolitanus Patriarcha Epiſcopatui renunciaſſe, & vitam monaſticam ultrò & ſponte elegiſſe traditur in *epiſtola* Conſtantini & Irenes ad *Synodum generalem VII.* dictæ Synodi *Actione 1.*

Epiſcopi etiam & Clerici ex gravibus criminibus convicti vel confeſſi in Synodis, poſt abdicationem vel depoſitionem, detrudebantur inviti in Monaſteria pœnitentiæ agendæ cauſa: & hæc erat ordinaria & ſolemnis pœna; quia Epiſcopis & Clericis publica pœnitentia non poterat imponi.

Quæſitum verò fuit, an poſt aliquod tempus à peracta pœnitentia ex Monaſteriis educi, & Epiſcopatui vel loco & gradui reſtitui poſſent, aut etiam de novo promoveri?

Pro temporum, rerum, atque perſonarum & locorum diverſitate variè conſtitutum eſt. Cum enim huiuſmodi pœna ſucceſſiſſe videretur in locum publicæ pœnitentiæ: ſicut *Expœnitentes*, id eſt qui publicam pœnitentiam aliquando egerunt, ordinari non poſſunt; multò minùs ad Epiſcopatus & honores Eccleſiæ promoveri: ita nec illi, qui propter grave crimen ſemel in Monaſteria detruſi fuerunt *can.* 24. 25. 55. 56. 57. *&* 60. *Diſt.* 1. *can.* 7. 8. 9. 10. *&* 11. *Diſt.* LXXXI. Quæ quæſtio pleniſſimè excuſſa fuit in cauſa Contumelioſi Epiſcopi Regenſis, ob admiſſum adulterium depoſiti, in *Tractatu*, quem Cæſario Arelatenſi tribuit, & nuper edidit doctiſſimus Sirmondus *Tomo* 1. Conciliorum Galliæ *pag.* 233. 234. *& ſequentibus.* Ex quo *Tractatu canones* 29. *&* 58. *Diſt.* 1. ſunt corrigendi tam in inſcriptione, quàm in textu, Bonifacius Mogunt. *epiſt.* 73.

Concluditur verò in *dicto Tractatu*, convictis in gravi crimine Epiſcopis & Clericis redeundi ad honorem aditum perpetuò intercludi. Quibus confirmatur diſtinctio Innocentij III. in *hoc capitulo* fusè explicata, quam valdè illuſtrat Ivo Carnotenſis *epiſt.* 88.

Valdè tamen urgebat Innocentium *can. hoc nequaquam* 45. *Cauſa* VII. *Quæſt* 1. qui & apud Ivonem reperitur *parte* 7. *cap.* 149. Generaliter enim ſtatuit, quicumque de Pontificali Dignitate ad Monachorum vitam deſcenderit, non poſſe ad Pontificatum reſurgere; ſine ulla diſtinctione cauſæ propter quam Monaſterium ingreſſus fuerit.

Vide Balſamonem in *Jure Orientali pag.* 365. *&* 366.

Mirum autem eſt, Innocentium III. crediḋiſſe hunc canonem deſumptum fuiſſe ex Conſtantinopolitana generali Synodo, quæ inter quatuor primas ordine ſecunda. Deceptus fortè fuit ex inſcriptione

Vide Ambroſium le Gauffre in *Synopſi*

Decretalium tit. de Statu Monachorum pag. 333. & ſeq.

imperfecta, quæ indiſtinctè notat canonem ſumptum ex Synodo Conſtantinopolitana, non adſcripto numero. Sed nihil ſimile reperitur in canonibus Concilij Conſtantinopolitani I. Extat in falſa Synodo VIII. in qua corruptis Legatis Joannis VIII. Papæ, Photius poteſtate Imperatorum fretus, per vim & varias vexationes Ignatium Patriarchatu ſe abdicare compulerat, & invitum in Monaſterium quaſi pœnitentiæ agendæ cauſa relegaverat, ut ea ratione in poſterum omnis ſpes reſtitutionis ei præcideretur. Adverſus Ignatium, inquam, hunc canonem Photius edi curavit, vel potius ipſe ſuppoſuit, ſicut & *can.* 16 alterius Synodi Conſtantinop. de quo ſupra. Græci tamen poſt ſchiſma Photij utrúmque retinuerunt cum aliis duobus: quorum primus contra Romanum Pontificem obliquè; & hic ſecundus contra Ignatium: qui deinde ex aliquorum *verſionibus Latinis* irrepſit in *Collectiones* Ivonis & Gratiani. Quæ fucum fecerunt Innocentio non ſemel: nec ſoli; ſed etiam aliis Pontificibus, qui poſt Gratianum Decretales condiderunt. Quippe Gratiano Magiſtro contenti, ad fontes & origines canonum non recurrunt ſæpius Vide Nicetam in *vita* Ignatij Patriarchæ Conſtantinop. & doctiſſimum Antonium Auguſtinum *lib. 2. Dialogor. de Emendatione Gratiani cap. 6. num. 3 & 4.* quo loci accuratiùs, quàm Romani Correctores *d. can. hoc nequaquam*, & quod ex *illo can.* refertur in *cap* 11. *hoc tit.* ex ipſis fontibus & vera origine rectiſſimè explicavit.

DISSERTATIO
IN CAP. AUDITIS
DE PRÆSCRIPTIONIBUS,
ET STRICTIM AD CAP. AUDITIS, De Reſtitutionibus, & ad Cap. XVII. *de Privilegiis, anno* 1632. *ab Autore edita: Poſtea ab ipſo quibuſdam paſſim inſertis, & notis adiectis aucta.*

IN *CAP. AVDITIS de Præſcriptionibus*, quod ex profeſſo interpretandum ſuſcipimus, actoris partes ſuſtinet Epiſcopus Vvigornienſis; rei verò Abbas & Monaſterium Eveshamiæ. Uterque & actor & reus ſubſunt Archiepiſcopo Cantuarienſi Metropolitico & Patriarchico iure, ſive de veteri ſive de novo iure quæratur. Nec enim Lichefeldienſis Eccleſia ab Offa Rege ſubtracta Cantuarienſi, cui ut novæ Metropoli aſſignatus fuerat Vvigornienſis Epiſcopus, diù novo Metropoleos honore potita eſt. Reſtituta eſt enim à Succeſſoribus Offæ priſtina dignitas Cantuarienſi Eccleſiæ. Subſunt itaque Epiſcopus & Monaſterium, de quibus agitur, Archiepiſcopo Cantuarienſi, & illi nominatim Abbatiæ Eveshamenſis tutela reſervatur in *cap.* 17. *de Privilegiis.* Quare ſecundùm morem ordinémque iudiciorum ſolemnem, apud Cantuarienſem Archiepiſcopum veluti competentem iudicem lis erat inſtituenda: cur tamen cœperit apud Pontificem infra exponetur.

Sed ut aliquid de Abbate Eveshamiæ addamus, celebris fuit & magnæ autoritatis in Anglia. Primum enim locum in Synodo Epiſcopali poſt Vvigornienſem Præſulem ex privilegio Conſtantini Papæ obtinebat, *dicto cap.* 17. *de privilegiis*, & in Parlamentario conſeſſu Regni Anglici quintum vel ſextum inter Abbates, qui ſimul cum Proceribus publicis regni negotiis tractandis adhibebantur, ut conſtat ex *Regiſtro* anni 1514. à Franciſco Godeuvino edito in *commentario de Præſulibus Angliæ*, & ex *Gloſſario* Henrici Spelmanni in dictione *Abbates Mitrati.* Exemptum præterea fuit hoc Monaſterium & libertate donatum in ipſa fundatione ab antiquis Regibus Angliæ. Privilegia Regum plures Pontifices confirmaverunt: primò quidem Conſtantinus, qui Offæ regis tempore ſedebat, & deinde Innocentius, Alexander, Clemens & Celeſtinus prædeceſſor Innocentij III. autoris huius *noſtri cap.* Nec tamen tot & tanta privilegia & immunitates efficere potuerunt, ut nomen Monaſterij integrum & incorruptum ad nos perveniret. Corruptum eſt enim in *noſtro Capitulo*, & omiſſum in *cap. 9. extra de iudiciis, & cap. 24. de iure Patron. in prima Col-*

lectione. Sed hæc menda ſublata ſunt partim à Correctoribus Romanis, partim à doctiſſimo Cuiacio. Supereſt etiamnum hodie unum in *cap. 17. extra de privilegiis*, cuius inſcriptio ſic habet. *Innoc. III. Abbati & fratribus Evaſenſis cœnobij*. Alij, *Evaſinenſis* legunt. Nec ut in *cap. de Iudiciis* facile fuit ex antiqua emendationem repetere: eſt enim æquè corrupta. Nec melius fuit acceptus Vvigorniénſis Epiſcopus in *illo cap.* Ubique enim Vvigorenſis appellatur. Sic autem inſcriptio & contextus emendari debent, ut ubique *Abbas Eveshamenſis*, vel *Eveshamiæ*, & *Epiſcopus Vvigornienſis* legatur. Et hæc menda licet non videantur eſſe magni momenti, omnes tamen Interpretes in plurimos errores induxerunt, ut infra notabitur. Continet enim dictum *cap. 17. de privilegiis* decretum ſive ſententiam ab Innocentiio III. in cognitionibus prolatam ſuper ea lite, de qua hoc *noſtro cap.* Non inutile ergo, imo & utile maximè, ex præcepto divi Auguſtini Codicibus emendandis primitùs invigilare Interpretis ſolertiam, ut emendatis non emendati cedant, & veros & germanos Autorum ſenſus introſpicere poſſimus. Pluribus exemplis huiuſmodi emendationum neceſſitatem oſtendimus. Mirum enim quot erroribus & mendis pars iſta Iuris Canonici, quam tractandam ſuſcipio, fœdata ſit & deformata; ſive illud caſu contigerit, ſive arte effectum ſit.

His ita conſtitutis, quæ vice protheoriæ neceſſariò fuerunt præmittenda, ad ſpeciem *noſtri cap.* feror, quæ conficienda eſt ex aliis *duobus capp.* in unum collectis, ſcilicet ex *cap. Auditis de reſtitut. & cap. 17. de privileg.* Hæc eſt. Inter Vvigornienſem Epiſcopum & Abbatem & fratres cœnobij Eveshamenſis ſuper Monaſterij Eveshamiæ ſubiectione ac libertate tam in capite quàm in membris, ut exprimitur in *dicto cap. 17.* controverſia vertebatur. Epiſcopus Vvigornienſis aſſerebat Monaſterium & Eccleſias ad Monaſterium ſpectantes ſibi ſubiectas eſſe iure communi & lege diœceſana: Abbas autem & Monaſterium & Eccleſias ab Epiſcopi iuriſdictione liberas & exemptas, privilegiis à Regibus primò, & deinde à Pontificibus conceſſis. Exemptionis & privilegij ſola mentio manifeſtum facit ſummum Pontificem eſſe iudicem competentem. Itaque lis inchoatur ex ordine, non appellatione: in prima, ut aiunt, inſtantia apud ſummum Pontificem iudicium accipitur, & iudices delegantur. Et hæc prima delegatio colligitur ex ſerie & contextu trium capitulorum. Reſcriptum tamen ſive mandatum, quo delegati fuerunt, non extat: nec qui fuerint illi iudices delegati, noſcitur, an ſint iidem, qui *hoc cap.* fuerunt ſecundò delegati, an alij. Delegationis autem primæ, ſicut & fortè ſecundæ hæc fuit formula, ut iudices de lite cognoſcerent uſque ad calculum ſententiæ definitivæ, ut loquitur Innocentius III. in ſimili reſcripto; eámque litem ſufficienter inſtructam ad ſummum Pontificem remitterent, certum partibus terminum præfigentes, quo cum inſtrumentis & atteſtationibus conſpectui Pontificis ſe præſentarent, ſententiam definitivam accepturi. Hæc eſt delegationis formula, de qua in *his capitulis*. Variæ namque fuerunt delegandi formulæ, ut conſtat ex *tit. de officio iud. deleg.* Addicti formulæ iudices delegati cognoſcunt de negotio; ex utraque parte legitimis probationibus lis inſtruitur, teſtes exhibentur, edun-

tur inſtrumenta, allegationibus & rationibus ius ſuum aſtruere conatur uterque. Epiſcopus ius commune & legem diœceſanam profert: Abbas exemptionis privilegia, & ſub alternatione præſcriptionem allegat. Excipit Epiſcopus in pleriſque articulis præſcriptionis uſurpationem & interruptionem. Lite inſtructa; officio functi iudices delegati litem terminandam ad Pontificem remittunt. Auditis cauſæ meritis, vel ut apertiùs in *antiqua*, auditis & intellectis atteſtationibus, inſtrumentis & allegationibus in cauſa, conſtitit utramque partem neceſſariam probationem omiſiſſe.

Oritur primò hæc difficultas, quomodo utrique parti ſubueniretur, quæ in probatione neceſſaria defecerat. Renunciatum enim erat ab utraque parte & in cauſa concluſum, (quod idem eſt & uno ἀπαγῆς nomine deſignatur in *Nov. de teſtibus*) id eſt utraque pars probationibus & allegationibus ultro renunciaverat, & mutuo conſenſu partium eò res deducta, ut protinus iudicium ferendum eſſet. Quia tamen inter duas Eccleſias lis erat, quæ iure minorum funguntur, ſummus Pontifex utramque ex indulgentia reſtituit, & ad omiſſas probationes neceſſarias proponendas admittit. Primæ nempe delegationis inſtructio Pontifici imperfecta viſa eſt; ideoque litem non diſcingit & terminat, ſed utramque partem in integrum reſtituit, & ad omiſſam probationem admittit. Et hæc eſt ſpecies *cap. Auditis. de reſtitution.*

Ad excipiendam ſecundam illam probationem, quæ licet neceſſaria fuerat tamen omiſſa; Helienſem & Roffenſem Epiſcopos iterum delegat: & hæc eſt ſecunda delegatio. Neceſſariæ probationes omiſſæ ſunt huiuſmodi, de locis & Eccleſiis exemptis, ubi ſitæ eſſent, non conſtabat inter litigantes; nec utrum ſedes Epiſcopalis intra quadraginta illos annos vacaviſſet. Præterea negabat Abbas Epiſcopum Vvigornienſem in ſingulis articulis & iuribus Epiſcopalibus uſurpaſſe & interrupiſſe præſcriptionem. Obſervandum tamen in interruptionibus variis, quas allegabat Epiſcopus, Innocentium III. interdicti & cenſuræ Eccleſiaſticæ maximè habendam eſſe rationem cenſuiſſe, quod infra fuſiùs explicabitur.

Secunda iſta delegatio & inſtructio cauſæ hoc *noſtro cap.* diſcutienda committitur Helienſi & Roffenſi Epiſcopis. Impletam & peractam remittunt ad ſummum Pontificem; qui ea diligenter perpenſa, & intellectis cauſæ meritis, ſimul & partibus per idoneos procuratores auditis, litem quæ diu protracta fuerat, tandem dirimit, & ſententiam pronunciat, quæ hactenus fuit incognita; continetur tamen *cap. 17. Extrà de privileg.* Et quia ſcilicet ab utraque parte, id eſt ab Epiſcopo & Monaſterio præſcriptio per teſtes probata eſt (ad præſcriptionem enim & ad interruptionem probandam ſimul utraque pars admiſſa fuerat; quod & fieri ſolitum oſtendit *cap. 8. de præſcript.*): decernit Pontifex exemptionis privilegiis ſtandum, & Monaſterium liberum eſſe in capite, & ab omni iuriſdictione Epiſcopali prorſus exemptum, ſoli Romano Pontifici & Eccleſiæ Romanæ ſubiectum; tutela tantùm Archiepiſcopo Cantuarienſi reſervata: tutela reſervata, id eſt defenſione, protectione & mundeburde, in Concilio Sueſſion. III. in *pri-*

vilegio conceſſo Monaſterio Solemniacenſi. Sub tuitione atque, quem trito ſermone vocant, mundeburde Dagoberti Regis. Et in *eodem privilegio*, tutelam ac defenſionem, & tutelam defenſionis & tuitionis appellant Patres Concilij. In membris verò, quæ ſcilicet Abbas non probavit exempta, omnia integra Epiſcopo manere; ſecundùm tamen formam privilegiorum & conceſſionum. Nec enim una & eadem ratione conceduntur Eccleſiæ Monaſteriis, *can viſis* xvi. *Q. 2. cap. Conſtitutus* §. *cùm autem. & cap. Cùm venerabilis. de religioſ. domib. extra.*

Hæc eſt vera & brevis ſumma trium illorum Capitum, ex qua licet colligere lapſos in pluribus Interpretes; varios ſaltem, incertos & inconſtantes fuiſſe in interpretatione iſtorum capitum, ut hîc breviter & ὡς ἐν τύπῳ demonſtrabimus. Primò ordinem & conſtitutionem iudicij non animadverterunt, nempe quare apud ſummum Pontificem; non autem apud Metropolitanum iudicium inſtitutum ſit: quia ſcilicet, ut attigimus, de interpretatione privilegiorum ſummorum Pontificum quæritur. Principes autem ſua beneficia interpretantur *cap.* 12. *de iudiciis*: ſicut & ſoli ſunt competentes iudices in cauſis eorum, qui nullo medio pendent à ſummo Pontifice *cap. Conquerente. de offic. Ordin.* Exempti enim ſunt ſpeciales Romanæ Eccleſiæ filij, qui nullum habent Epiſcopum, præter Romanum Pontificem, ut loquitur Alexander III. *cap. Licet de Parochiis, in antiqua Collectione prima.* Secundò aliqui ex Interpretibus cauſam reſtitutionis, tanquam indeciſam aiunt committi delegatis iudicibus examinandam; atqui conſtat apertè à ſummo Pontifice terminatam in *cap. Auditis de reſtitutionibus*: ſicut & Prætor non dat iudices in edicto de minoribus, quibus in *dicto cap. Auditis* Eccleſiæ comparantur; ſed ipſe animadvertit, & litem dirimit. Faciliùs etiam Pontifex in iſta cauſa reſtitutionem indulget; quia in huiuſmodi exemptionum cauſis non tam ius Monaſteriorum, quam ius ſummi Pontificis vertitur, ad quem illa Monaſteria nullo medio pertinent *cap. 2. de Reſtitution. & cap. 14. de privilegiis extra.* Tertiò geminam & repetitam delegationem, de qua ſupra, non obſervaverunt omnino vel obſcurè tantùm. Quartus error eſt maximi momenti, libertatum & exemptionum cauſas & origines non intellexerunt; præſertim Gloſſa, quæ Regum exemptiones ait in temporalibus tantùm, non in ſpiritualibus conſiſtere, quod enucleatiùs & fuſiùs poſtea exponemus. Hoc enim fundamento nititur *cap. noſtrum*, & pleraque alia, quæ perversè & imperitè paſſim exponuntur. Quintò in privilegiis enumerandis, loco *Celeſtini prædeceſſoris noſtri*, non eſt reponendum ex antiqua, *Conſtantinus*, ſed retinendum, *Celeſtinus.* Origo erroris ex eo naſcitur, quod Offæ Regis tempore, qui liberavit Monaſterium Eveshamiæ, Conſtantinus Papa ſedebat, non Celeſtinus: nihil tamen immutandum, ſed ita res expedienda eſt. Obſervandum, confirmationem privilegiorum Cœnobium Eveshamiæ à pluribus Pontificibus, ut aſſolet fieri, impetraſſe: primò à Conſtantino; deinde ab Innocentio II. Alexandro III. Clemente III. Celeſtino III. quem prædeceſſorem ſuum vocat, ſicut & in *cap. 5. de reſtitutio.* Rationem addamus ex utroque iure, privilegiorum confirmationes ſæpiùs poſtulari; quoniam in utraque politia Principes viri,

quæ

quæ à prædeceſſoribus ſuis conceſſa fuerunt privilegia, plerumque aliter non habent rata, quàm ſi eadem iiſdem & ipſi dediſſent, ut inſtauratis privilegiis, ſibi potius quàm deceſſoribus habeatur gratia. Prætulit itaque Raymundus de Pennaforti Celeſtinum reliquis, licet ultimum tempore, quia antiquiora privilegia recentioribus cedere debent. Potuerunt enim antiquiora facilè inuſu abrogari. Retinendus itaque *Celeſtinus*; & hic error ex ignoratione *dicti cap.* 17. *de privilegiis* ortus eſt, in quo *cap.* ſigillatim enumerantur Pontifices, qui privilegia confirmarunt. Ex eodem *cap.* 17. conſtat erraſſe Interpretes, qui præſcriptionem impletam fuiſſe aſſeverant; cùm tamen à neutra parte in *dicto cap.* impletam fuiſſe dicat Innocentius III.

Supereſt antiquum & vetus commentum Interpretum de lege Diœceſana, quam diverſam eſſe aiunt à lege iuriſdictionis, ita ut Monaſteria omnino à lege diœceſana ſolvantur, lege verò iuriſdictionis teneantur. Quod commentum, quia diutiùs invaluit, & autoritatem iuris obtinuiſſe videtur, accuratiùs erit profligandum.

Hactenus remota caligine & offuciis Interpretum, claro lumini reddidimus hanc Decretalem, maximè in his quæ ad ordinem & formam iudicij, vel ad facti quæſtionem pertinent. Reſtat ut agamus de iure ſingulorum tam actoris quàm rei. Sed ne quis conqueratur nos confuſaneam & miſcellam quandam exponendi rationem ſecutos, ſingulis allegationibus partium ſingula capita dicabimus: ita enim fiet ut faciliùs & exactiùs omnia diſcutiantur.

CAP. I.

De lege diœceſana, ſive de iuriſdictione Epiſcopi in Monachos.

ORDINE naturali incipiemus ab Actoris iure. Epiſcopus Vvigornienſis, qui partes actoris in *hoc cap.* ſuſtinet, contendebat Monaſterium & Eccleſias ſpectantes ad Monaſterium, ei nempè conceſſas ab Epiſcopis, vel Epiſcoporum conſenſu, eſſe ſibi lege diœceſana ſubiectas. Itaque diſpiciendum occurrit, quid per legem diœceſanam Innocentius III. hic intelligat. Non alio interprete utemur quàm eodem Innocentio. Legem diœceſanam ius Epiſcopale vocat, & abſolutè iuriſdictionem *hoc cap. & dict. cap.* 17 *de Privileg.* Apertiùs in *cap.* 9 *de majorit. & obedientia*, Abbates & Sacerdotes lege diœceſana Epiſcopo ſubditi dicuntur. Subiectionem & obedientiam idem Innocentius III. appellat *cap.* 2. *de in integr. reſtitut. cap.* 2. *de ſententia & re iud.* Ideò diœceſana, quia in univerſa Diœceſi Epiſcopi locum habet, nec ultra extenditur. Unde abſolutè ius Diœceſani; & explicatiùs poteſtas, quàm habet Epiſcopus, tanquam Diœceſanus *cap.* 20. & 21. *extra de ſententia & re iud.c.* [Videndus idem Innocentius in *epiſt* 464 *lib.* . *Regiſtri, & lib.* 2. *epiſt.* 130.] Apertiſſimè in *cap. Conſtitutus. de Religioſ. domib. extrà* ius Epiſcopale peti dicitur; quoniam Eccleſia ſita erat in Diœceſi, & ideò iure communi tenebatur in Epiſcopalibus Epiſcopo reſpondere. Ex quibus liquidò conſtat, legem diœceſanam, ius Diœceſani,

Adde quæ habentur infra in *tractatu de Origine & antiquitate Iuris Patronatus* ad *can.* 1. x. Q. 1.

ius Epiſcopale & Iuriſdictionem pro eodem ſumi; ſicut & Iuſtin. in *Nov.* 120. [illegible], pro univerſa poteſtate Epiſcopi accipit. Nec tantùm ab Innocentio lex diœceſana uſurpatur eo ſenſu; ſed etiam ab antiquioribus, maximè in *can* 3. Concilij Ilerdenſis, ex quo deſumpti ſunt *can.* 1. x *Q.* 1. *& can. cùm pro utilitate* xvi. *Q.* 1. Contrarium tamen ſenſum vetus Interpres decreti Ioannes, & recentiores certatim omnes ex illis duobus Canonibus eliciunt; quibus abutuntur, ut efficiant diverſam eſſe legem diœceſanam à lege iuriſdictionis. Verba quibus nituntur ſunt hæc. *Ea quæ in iure Monaſterij de facultatibus offeruntur, in nullo diœceſana lege ab Epiſcopis contingantur*; quaſi ea mens foret Patrum, ut per omnia & in omnibus Monachi lege diœceſana ſolvantur: [cum iis duntaxat prohibeantur Epiſcopi Monaſteria gravare, ut conſtat ex *d. can cum pro utilitate & can.* 64. xvi. *Q.* 1. & mox oſtendemus.]

Vide Antonium Auguſtinum *lib.* 14 *tit.* 3. *&* 4.

Quia verò inficiari non poſſunt, & hoc Concilio & reliquis, Epiſcopis Monachos eſſe ſubditos, ita diſtingunt, ut lege iuriſdictionis quadam commentitia teneantur Monachi, quæ contineat ea quæ ſunt ordinis & iuriſdictionis propriè dictæ; reliquis verò iuribus Epiſcopalibus liberentur, quæ ſpecialiter legis diœceſanæ nomine comprehendantur. Longè tamen alius eſt *huius Canonis* ſenſus; hic ſcilicet, ne occaſione poteſtatis & legis diœceſanæ quicquam in oblationibus, quas Monachis ultrò fideles conferunt, aliquid præſumant Epiſcopi; ne ſcilicet [illegible] exiſtiment, & Religionis prætextu prædam aucupentur: quod in ſumma paupertate veterum Monachorum, iure ſingulari potuit tolerari circa oblationes in provincia Tarraconenſi, in qua Concilium Ilerdenſe habitum eſt. Si tamen integrum *canonem* excutiamus, tantùm abeſt, ut lege diœceſana Monachi in omnibus ſoluti intelligantur; quin potiùs aſtringantur maximè. Hoc tantùm ſcilicet ſtatuitur, ne oblationibus, quæ fiunt Monachis, Epiſcopus participet. In reliquis omnibus lex diœceſana & autoritas Epiſcopalis integra & illibata permanſit, ut ex primis *Canonis* verbis conſtat, quæ ſummè obſervanda ſunt; *De Monachis verò id obſervari placuit, quod Synodus Agathenſis vel Aurelianenſis noſcitur decreviſſe: hoc tantùm adiiciendum ut pro Eccleſia utilitate.*

Vide infra *cap.* 5. ſub finem.

Adde cap 1. *de ſtatu Monachorum.*

Primò hæc verba (*hoc tantùm adiiciendum*) notanda ſunt, ut intelligamus quæ ſequuntur de oblationibus, iure ſingulari contra generales definitiones eſſe recepta; in reliquis omnibus Agathenſis & Aurelianenſis Synodi canones eſſe ſervandos. Intelligit autem Agathenſis Synodi *canones* 27. 28. *&* 38. ex quibus conſtat Monachos Epiſcopis omnino eſſe ſubditos; in res & in Monachos plenam habuiſſe poteſtatem. Idem & Aurelianenſi ſub Clodovæcho primo ſtatuitur *can.* 19 20 21. 22. ex quo Concilio de iure Epiſcoporum in oblationibus ſtatuitur, & certa pars eis aſſignatur *can.* 14. *&* 15. Ex his omnibus facilè colligitur ſenſus horum verborum canonis Ilerdenſis (*hoc tantùm adiiciendum.*) Ex eo enim, quod adiiciendum, non obtinebat antea. Ius tantùm eſt [illegible], & ſingulare: non trahitur ad conſequentias: habet tantùm locum in oblationibus: in reliquis ius commune continetur, Agathenſi & Aurelianenſi Concilio definitum.

Vide infra *cap.* 2. 6. *ſequitur* tertium *& cap.* 5. ſub finem.

Digitized by Google

Hæret tantùm hîc ſcrupulus, cur Agathenſis & Aurelianenſis Concilij, Patres Ilerdenſes meminerunt, cur Hiſpani Gallicanos citant Canones. Hoc ex hiſtoria lucem capiet, ſi memoria repetamus Agathenſe Concilium fuiſſe convocatum in Gallia Gothica, in qua Epiſcopi Galliæ tantùm interſuerunt, qui ſuberant Alarico, qui cum parte Galliarum, Hiſpaniarum etiam regnum obtinebat, & ſæpiſſimè ad Concilia Hiſpaniæ Epiſcopos Gallicanos vocabat, qui ejus ditioni parebant. Potuerunt ergo noti eſſe Synodi Agathenſis, id eſt Galliæ Gothicæ Canones Hiſpanis Epiſcopis, utpote ſub ejuſdem Regis poteſtate & Imperio conſtitutis. Imò & ante Ilerdenſe Concilium, in Tarraconenſi commemorantur ejuſdem Concilij Agathenſis canones. De Aurelianenſi eadem fere ratio: nam habitum eſt anno tantùm quinto poſt Alaricum devictum, & magnam Galliæ Gothicæ partem à Clodovecho primo acquiſitam, convocatis Epiſcopis ex omnibus Galliarum Provinciis, quæ ſuberant Clodovecho primo, inter quos Galliæ Gothicæ nuper ſubactæ Epiſcopi aderant, per quos Hiſpanis Epiſcopis vicinis potuit innoteſcere Aurelianenſe Concilium. Accedit præterea quòd in Narbonenſi provincia poſt victoriam Clodovechi Gothi diu ſederunt: nec enim à Clodovecho ſuperati Narbonenſes Gothi, aut expulſi. Per Narbonenſes itaque, qui Conciliis Hiſpanis adeſſe ſolebant, etiam diù poſt victum Alaricum Canones Aurelianenſes potuerunt eſſe noti Hiſpanis finitimis, ſicut & Agathenſes, de quibus ſuprà.

Quia verò ab Hiſpanis Conciliis ad Gallicana tranſivimus; Agathenſi & Aurelianenſi Epaunenſis Synodi Canones, qui de Monachis idem ſtatuunt, ſunt adnectendi; ex quibus efficimus, quod obſervandum, in ſoliditate Galliarum idem ius receptum, ut ſcilicet Epiſcopi plenam in Monachos & Monaſteria poteſtatem haberent. Agathenſe nempè Concilium id primùm in Gallia Gothica ſtatuit: Aurelianenſe ſub idem ferè tempus in univerſo Clodovechi primi regno (pleniſſimum enim fuit) idem ſtatuit. Conſentit Epaunenſe eodem tempore in regno Burgundionum ſub Sigiſmundo convocatum. Quod ergo in univerſa Gallia ius obtinuit, non debet unico Concilio Ilerdenſi cedere, quod & tantùm provinciale à Sergio Tarraconenſi Metropolitano convocatum: quamvis, ut anteà notatum, illo Concilio non ſoluatur in omnibus lex diœceſana, ſed in oblationibus tantùm; in reliquis illibata & integra manſit Epiſcoporum autoritas & lex diœceſana, ut ipſa Concilia Hiſpaniæ poſt Ilerdenſe habita liquidò probant: Barcinonenſe nempè, quo generaliter ſtatuitur de Monachis id obſervari, quod Chalcedonenſis Synodus ſtatuit: Toletanum IV. *can.* 1. *C.* XVIII. *Q.* 1. & Hiſpalenſe ſecundum. Denique ſi lege diœceſana *illo canone* Ilerdenſi Monaſteria generaliter ſoluta ſunt per orbem univerſum; cur toties Gregorius I. Monachorum res & bona eximit poſt Ilerdenſe Concilium? Cur in *can. pen.* & *ult.* XVIII. *Q.* 1. pro rebus Monaſterio oblatis xenia, eulogiæ & ſervitia præſtantur? Cur poſtremò in 1. Marculphi *formula* reliqua Monaſteria, præter exempta, muneris loco aliquid Epiſcopo præſtare pro oblationibus tenentur, ſicut & parochiæ, ut ibi exprimitur;

Digitized by Google

[Quin & ipſe Honorius III. quamvis primus diſtinctionem inter legem Diœceſanam & legem Juriſdictionis à veteribus Interpretibus, & maximè Hugutione ad *can.* 1. X. *Q.* 1. excogitatam uſurpaverit in *cap. dilectus de Offic. Jud. ordinarij* : ad cujus ſenſum in *cap.* 1. *de verbo ſignif. in* VI. aliquid exigi dicitur legis Diœceſanæ nomine : in *Cap.* tamen *ult. de Capellis Monachorum* agnoſcit quoſdam Monachos lege diœceſana, id eſt Epiſcopali jure Archiepiſcopo Burdegalenſi ſubjectos. Quo loci malè Gloſſa legem Diœceſanam, legem Juriſdictionis interpretatur.]

Itaque ut concludamus, ſive de Clericis, ſive de Monachis & Laïcis quæratur, nihil aliud eſſe conſtat legem Diœceſanam, quàm juriſdictionem & poteſtatem Epiſcopalem, jus diœceſanum, jus commune, quod in ſpiritualibus habet in univerſa diœceſi Epiſcopus. Eadem figura loquendi in *cap. Paſtoralis de Officio Jud. ordinarij. Lex Metropolitana*; in *l.* 16. *C. de Sacroſ. Eccleſiis*, *privilegium Metropolitanum*, *vel Patriarchicum*; *ius Metropolitanæ autoritatis* apud Hincmarum in *opuſculo contra Hincmarum Laudunenſem c. p.* 36. Quibus verbis univerſum jus, vel Epiſcopi, vel Metropolitani, vel Patriarchæ comprehenditur : τὰ πρεσβεῖα vocant Concilium Nicæn. *can.* 6. & Conſtantinop. I. *can.* 1. *&* 2. Et hæc de lege Diœceſana ſufficiant. quam ideò prolixiùs explicavi, ut illas vocum novitates devitarem, quibus à lege juriſdictionis lex Diœceſana ſeparatur. Et ne de verbis tantùm certaſſe nos quiſquam exiſtimet; peſſimo exemplo ex nominum confuſione & ignorantia, rerum & diſciplinæ exorta eſt perturbatio : ita ut hodie vulgò credatur, Monachos lege Diœceſana ſolutos eſſe, non autem juriſdictionis. Quam diſtinctionem meritò Innocentius IV. doctiſſimus Pontifex admiratur, ut novam & incognitam ad *d. Cap. dilectus extra de Officio Indic. ordinar.* Indicavit primus hunc errorem doctiſſimus Anteceſſor Joannes à Coſta præceptor meus, à quo plurima in utroque jure ſingularia me didiciſſe, niſi lubens & bona fide agnoſcerem, ingratiſſimus forem. Illuſtrandæ & confirmandæ præceptoris ſententiæ gratia, multa collegi partim ex jure Canonico, partim ex certa fide & veritate hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, præſertim Gallicanæ; ita ut omnis in poſterum dubitandi occaſio ſublata videatur.

Obtinuit opinio Hugutionis generaliter; & ſic error fecit jus.

CAP. II.

De Exemptionibus.

De exemptionibus Canonicorum, Capitulorum & Eccleſiarum Collegiatarum, vide Innocentij III. *epiſt.* 336.

TRACTATUS de libertatibus & exemptionibus Monaſteriorum ad benignitatem, ſtricta juris ratione inſuper habita, vergit & inclinat. Sicut enim jure Civili placuit in omnibus rebus præcipuam eſſe juſtitiæ æquitatiſque, quàm ſtricti juris rationem; ita & jure Canonico aliquoties rerum temporúmque ratio rectores Eccleſiarum quædam indulgere compellit, συγχωροῦντες ὡς οἶκον μὴ ἔχοντα ἀκριβολογουμένοις στῆναι, [ut Cyrillus ait in *can.* 15. 1. *Q.* 7.] Et hæc eſt illa diſpenſatio οἰκονομίας, quam antiqui Patres adeò

celebrant ; per quam ſæpè difficillimis temporibus in Eccleſia pax & unitas ſervata eſt. *lib. 1. Regiſtri, & lib. 2. epiſt. 139. 211. & 270.*

cap. cum inter 5. extra de Conſuetudine in antiqua. Cujacium ad *cap. 12. de Præſcript.* Chopinum *lib. 1. de ſacra Politia tit. 5. num.* 8. A Coſta ad *cap. 13. de Offic. Iud. ord.* Libertatum Eccleſiæ Gallicanæ *tomum* 2. p. 1046. *& ſeqq.* Earumdem *Tractatus* in fol. *pag.* 348. *& ſeqq.* De Marca *lib. 3. de Concordia cap. 16.* Adde de recentibus exemptionibus Innoc. III. *epiſt.* 117. 171. 193. 194 280. 328. 338. *&* 480. *Libri* 1. *Regiſtri. Lib.* verò 2. *epiſt.* 73. 76. 90. 92. 97. 98. 99. 108. *&* 109.

Huic diſpenſationi & œconomiæ, exemptionum jura meritò tribuerimus : quod & Goffridus Vindocinenſis oſtendit in *tractatu* ad Calixtum Papam, *qualiter in Eccleſia diſpenſationes fieri debent*, his verbis. *Poſſunt etiam & debent fieri diſpenſationes, quibus Eccleſiarum & Monaſteriorum Conſuetudines immutentur* &c. Ad illas exemptiones pertinent *dictum cap. 17. de præſcriptionibus, & cap. 17. Ex ore extra de privileg. & exceſſ.* quæ interpretanda ſuſcepimus. Sed ut ordinem ab initio propoſitum obſervemus ; capite primo docuimus jure communi & lege Diœceſana Epiſcopum Vvigornienſem Monaſterium Eveshamiæ, & Eccleſias ſpectantes ad Monaſterium ſibi vindicaſſe. Contra verò Abbas & Cœnobium exemptiones & privilegia, ſibi conceſſa dudum à duobus Regibus Angliæ in ipſa fundatione, ut loquitur *dict. cap. 17. de privileg.* allegabat, & à pluribus Pontificibus diverſis temporibus confirmata. Regum itaque ſimul & Pontificum privilegiis muniti Monachi Eveshamenſes Epiſcopo proprio ſe ſubtrahebant. Similia privilegia Regum & Pontificum in Anglia Monaſterium ſancti Albani & Vveſtmonaſterienſe ſub Henrico III. ſibi vindicabant, ut ex Matthæo Paride conſtat. Imò & Henricus III. lite exorta inter Dunelmenſem Epiſcopum, & Abbatem ſancti Albani eam compoſuit, ut ex eodem autore colligitur.

Plura hujuſmodi privilegia deprehendere licet in Hiſtoria Eccleſiaſtica Angliæ. Frequentiſſima enim fuerunt in Anglia : qua de re conqueritur Archiepiſcopus Cantuarienſis in *epiſtola 68.* apud Petrum Bleſenſem. Quin & vænalia, ſicut & S. Bernardus : imò & falſa pleraque ait fuiſſe his verbis in fine *epiſtolæ. Falſariorum præſtigioſa malitia ita in Epiſcoporum contumeliam ſe armavit, ut falſitas in omnium ferè Monaſteriorum exemptione prævaleat ; niſi in deciſionibus & examinationibus faciendis iudex, veritatis exactor diſtrictiſſimus intercedat* : qualis memoratur Innocentius III. in eleganti ſpecie *cap. 6. de fide inſtrumentorum* ; & Godefridus Epiſcopus Ambianenſis in contentione Monachorum ſancti Vvalerici, cujus meminit doctiſſimus Juretus ad *epiſtolam* Ivonis 65. Mirum tamen nemini videri debet plurima Monaſteria in Anglia fuiſſe exempta, ſi ſummorum Pontificum in illo Regno jus & poteſtatem expendat, & in memoriam revocet Auguſtinum à Gregorio primo in Angliam reſtituendæ Religionis cauſa miſſum, Monachum fuiſſe, plurima Monaſteria fundaſſe ; imò & in pleraſque Cathedrales * Eccleſias Monachorum, non Canonicorum vel Clericorum Collegia induxiſſe : unde aliquando idem erat

Adde quæ dicimus infra *hoc cap.* §. *adnotant*, de canonibus à Gratiano falſatis, & ſuſpectis.

Adverſus Monaſteriorum exemptiones & immenſa privilegia, vide *Tractatum Gallicum*, inſcrip-

Abbas, qui & Epiſcopus, ut notant Cujacius [& Joannes à Coſta] ad *cap. 9. de judiciis.* Et in eam rem ſingulare eſt reſcriptum quoddam Alexandri II. † quod extat apud Eadmerum *hiſtoriæ ſui ſæculi libro primo*, qui & obſervat multis annis poſt Auguſtinum, jure quodam poſtliminij omnes circiter, qui ex Clericali ordine per regem Vvilelmum primum in Anglia conſtituti Pontifices erant, Rege & Principibus regni conſentientibus, molitos eſſe eliminare Monachos, qui in nonnullis Epiſcopatibus Angliæ ab antiquo vitam agebant, ſed fruſtrà: Lanfranco Cantuarienſi Archiepiſcopo contra obnitente, ad quem reſcriptum, de quo ſuprà, Alexander direxit, quo privilegia Monachorum in Angliæ Eccleſiis confirmantur. [Et in ſimili cauſa videndum eſt reſcriptum Celeſtini III. apud Baronium ad *ann.* 1197. *num.* 14. *tomo ult. p* 1107.] Et hæc ſufficiant ad illam decretalis noſtræ partem, quæ loquitur de exemptionibus in Anglicana Eccleſia receptis.

tum, *Le Roman de la Roſe, en la deſcription du Faux Semblãt*, Guilſelmum Neubrig. *lib.* 4. *cap.* 25. Guilſelmum Tyrium *lib.* 18. *cap.* 3. & 6. Vincentium Bellovacenſem in *Speculo lib.* 29. *cap.* 71. Ivonem Carnotenſem *epiſt.* 95. & Aurelianenſem Conſtitutionem *articulo* 11.

* Vide quæ diximus ad *cap.* 9. & 11. *de vita & honeſt. Clericorum.*

† Vide Alexandri privilegium in *Notis* Seldeni in Eadmerum pag. 165. & 206.

Quia verò turpe eſt ingenuo & liberaliter educato viro jus Civitatis, in qua verſatur ignorare; exemptionum jura, earum initia & progreſſus in Gallia noſtra exponemus. Antiquæ exemptiones, privilegia, ſeu libertates Monaſteriorum hac ratione & forma ſolebant peti & concedi. Ad petitionem Regum, vel fundatorum Epiſcopus, in cujus diœceſi Monaſterium ſitum erat, adhibito Cleri & fratrum conſilio & conſenſu, libertatis privilegium primò concedebat; quod deinde frequentiſſimo Epiſcoporum Concilio, aut ſaltem plurium Epiſcoporum, Clericorum, & aliquando etiam Abbatum ſubſcriptionibus firmabatur. Hujuſmodi verò privilegiis hac forma impetratis & confirmatis, Reges noſtri conſenſum accommodabant & conceſſiones largiebantur, in quibus ſigillatim & per partes ſinguli articuli recenſebantur & confirmabantur; qui tamen articuli omnes ad liberam Abbatis electionem pertinebant, quæ congregationi permittebatur, & ad liberam rerum & bonorum Monaſterij oblatorum adminiſtrationem & diſpoſitionem: Regula, quæ à fundatore ipſius Monaſterij conſtituta fuerat, in omnibus cuſtodita; ſalva Epiſcoporum in reliquis omnibus competenti & canonica juriſdictione in Monachos. Regum itaque ſimul & Epiſcoporum liberalitate & autoritate exemptiones concedebantur, juxta conſtitutionem Pontificum per Regalem ſanctionem, ut Marculphus ait in *formula prima.* Nullius præterea conſenſus & autoritas deſiderabatur. Probantur ea, quæ diximus, autoritate veterum exemptionum Gallicanorum Monaſteriorum, quarum aliquas edidit doctiſſimus & nunquam ſatis laudatus Interpretes Marculphi. Plures ex *M. S. Codicibus* erutas debemus clariſſimo Sirmondo, quarum aliquot petitiſſimè inter Synodos collocavit; quia in Synodis concedi ſolebant: imò & aliquando Synodi ad id tantùm ſpecialiter convocabantur. Ex illis libertatibus

Digitized by Google

& exemptionibus quatuor antiquiſſimas attingam, ex quibus reliquæ deinde prodierunt, & in referendis ſingulis ordinem temporum ſequar.

Occurrit primò Lerinenſis, quæ generaliter *Concilium Arelatenſe III. in cauſa Fauſti* inſcribitur; & ſpecialiter *Inſtitutio*, ſicut in *appendice* Gregorij Turonenſis initio; & apud Goffridum Vindocinenſem *Sermone ultimo* ſub finem his verbis. *Sapientis verò Benedicti Inſtitutio ſancta, ſuavis & levis eſt, & matre virtutum diſcretione videlicet plena. Antiquorum ſanctio Patrum quaſi veteris legis cultores habuit.* Ex his locis ſatis intelligitur, cur *Inſtitutionis* titulo notetur illud Concilium, quia nempè illa formatur Monaſterium Lerinenſe. Confirmat autem Concilium iſtud Arelatenſe, quod ſuprà diximus, in concedendis hujuſmodi privilegiis Concilio fuiſſe opus, non quolibet, ſed frequentiori. Celeberrimum enim fuit, convocatum à Ravennio Arelatenſi Epiſcopo, cui plures Epiſcopi adfuerunt, inter quos primus numeratur Ruſticus Narbonenſis. Cauſa verò agitabatur inter Epiſcopos Theodorum, Valerianum & Maximum, & inter Fauſtum Abbatem Lerinenſis inſulæ. Licet autem inter illos tres Epiſcopos agitari cauſa videatur, in ſententiæ tamen prolatione ſolius Theodori fit mentio. Difficultas oritur, cujus ſedis Epiſcopus, ſed ex *epiſtolis* Leonis Papæ, & aliis non inanibus conjecturis Forojulienſem fuiſſe non dubito; ſicut & Leontius, qui ejus deceſſor vocatur in hoc Concilio, celebris famæ Epiſcopus, Hilario Arelatenſi poſt ejus præſumptionem conſiliarius & inſpector appoſitus à Leone, *epiſtola* 89. Leonis in *fine*. Theodorus autem iſte Forojulienſis Epiſcopus, antiquus Abbas nominatur, quod & confirmari videtur à Caſſiano *præfatione in ſeptem ultimas Collationes*, ubi & Leontij deceſſoris Theodori meminiſſe videtur his verbis. *Totidem & nunc vobis, ô ſancti fratres Ioviniane, Minervi, Leonti & Theodore, credidi conſecrandas; poſterior ſi quidem veſtrûm illam cœnobiorum ſanctam atque egregiam diſciplinam in provinciis Gallicanis antiquorum virtutum diſtrictione fundavit*, &c. De Ravennio Arelatenſi Epiſcopo, qui Synodum convocavit, eique præfuit, ex ejuſdem Leonis *epiſtolis* & ex Hilarij *vita* conſtat, eum ſucceſſiſſe Hilario, & poſt ejus obitum Arelatenſem Eccleſiam rexiſſe. Quatuor iſtorum Epiſcoporum ſedibus indicatis, aliorum, qui Concilio interfuerunt, ſedes conjicere non erit operoſum, videlicet Maximum Rejorum; Valerianum fortè Cemelienſium fuiſſe Epiſcopos, ſed de his ſatis. Opus autem ideò fuit aliquot Epiſcoporum & ſedes & tempus, quo vixerunt inveſtigare, quia in hoc Concilio Arelatenſi III. ſola Epiſcoporum nomina inſeruntur, ſedium & temporis mentione omiſſa: plurimùm autem intereſt, in originibus Eccleſiaſticæ diſciplinæ excutiendis utriuſque rationem habere.

Sequitur inſpicienda litis origo & cauſa, quæ in Concilio non tam explicatur, quàm conjicienda relinquitur. De remedio enim ſcandali, quod in Monaſterio inſulæ Lerinenſis obortum fuerat, inter Epiſcopum & Monachos Epiſcopo ſubditos pertractantes prudentiſſimi Patres, memoriam omnem jurgij & domeſticæ contentionis potiùs quàm

litis auferendam & abolendam æquiùs eſſe duxerunt, quàm poſteris prolixiùs & accuratiùs tradendam. Ex tenore tamen & contextu, ſed præcipuè ex ipſa ſententia colligitur, quæſitum fuiſſe de autoritate & poteſtate Theodori Forojulienſis Epiſcopi in Fauſtum Abbatem & Monachos Lerinenſes. Non ſatis morigeros & obſequentes eſſe conquerebatur Epiſcopus. Contra verò Abbas & Monachi non ita benignum & liberalem eſſe rebus ipſis, quàm verbis Theodorum Epiſcopum innuebant. Querelæ & jurgio à peritiſſimis medicis hoc adhibetur remedium, ut Theodorus ad recipienda ſatisfactionum remedia properaret, & ſanctum Preſbyterum Fauſtum Abbatem Monaſterij ſupradicti, indulta ſi qua illa eſſet culpæ venia, in priſtina pace toto charitatis affectu reciperet; & vice mutua Abbati & Monachis ſolitam conlationem, ut piam ac neceſſariam, ſolatia ſcilicet & præbita, in quo uſus exigeret, pleniſſimè exhiberet. Solebant enim Epiſcopi ad victum neceſſaria non tantùm Clericis, ſed etiam Monachis liberaliter ſuppeditare, *can.* 58. Concilij Toletani IV. Poſteà enumerat jura, quæ in Monachos Epiſcopis competunt: item ea quibus per exemptiones ſolent liberari; in quibus hæc diſtinctio obſervatur, ut laica omnis Monaſterij multitudo & congregatio ad ſolam ac liberam Abbatis proprij curam, ordinationem, diſpoſitionem pertineat: Clerici verò ad ordinationem Epiſcopi debita ſubjectione reſpiciant; quibus verbis Monachos nondum promotos, laïcos vocat, ut antiqua Concilia.

Operæpretium eſſet in ſingulis verbis elegantiſſimi Concilij immorari: ſpirat enim antiquitatem veram & ſinceram; ſed ea in aliud tempus omittemus. Adnotaſſe ſufficiet pleraque jura, quæ ibi recenſentur, repeti in ſequentibus exemptionibus & privilegiis Monaſteriorum, & à doctiſſimis viris explicata fuiſſe.

Agaunenſi privilegio quædam antiquiora ſunt à Clodovæo primo Conceſſa, v. g. Miciacenſe in *Annalibus Aurelianenſibus*, S. Joannis Reomaenſis, vulgò Monſtier S. Jean, quod eſt antiquiſſimum Burgũdiæ Cœnobium, & S. Petri vivi Senonenſis.

Poſt Lerinenſis cœnobij privilegium, Agaunenſis Monaſterij mentionem fieri ratio temporum expoſcit, quod Monaſterium S. Mauricij Agaunis vocat Clodovæus II. in *præcepto de libertate Monaſterij ſancti Dionyſij*. Hoc Monaſterium ſolerti cura cum domibus baſilicíſque ædificavit Sigiſmundus rex Burgundionum, Gundobaldi filius: & ab Avito Viennenſi cæteriſque Epiſcopis, qui erant in regno Burgundionum, privilegium, quod Agaunenſi Monaſterio conceſſerat, juſſit confirmari, ut docet Gregorius Turonenſis *lib. 3. cap. 5.* & expreſſiùs Autor *ſupplementi hiſtoriæ* Gregorij initio. Concilium verò illud, quo confirmatum eſt privilegium cœnobij Agaunenſis, non extat. [Chartarum verò fundationis fit mentio apud Avitum Viennenſem in *Notis* pag. 26. Meminerunt quoque And. Du Cheſne in *Sigiſmundo*, & Joſias Simlerus in Valeſiæ deſcriptione; ubi & dicitur filios Clodovæi confirmaſſe Sigiſmundi fundationem.]

Sequitur tertium privilegium, quod continetur in Concilio Valentino ſecundo. Obſervandum autem occaſionem convocandi Concilij referri ab Autore *ſupplementi hiſtoriæ* Gregorij Turonenſis his verbis. *Anno viceſimo quartò regni ſui* (Guntheramnus rex ſcilicet) *divino amore Eccleſiam beati Marcelli, &c. ædificari juſſit, ibique Monaſterium condidit, ipſamque Eccleſiam rebus plurimis ditavit, Synodum quadraginta*

quadraginta Epiſcoporum fieri precepit, & ad inſtar inſtitutionis Monaſterij Sanctorum Agaunenſium, &c. *Hujus Synodi conjunctione Monaſterium ſancti Marcelli Guntheramnus inſtitutione formandum curavit.* Hæc inſtitutio habetur in Synodo Valentina ſecunda, quæ juxta imperium glorioſiſſimi Guntheramni regis convenerat. Decernit autem, *ut ſi quid Baſilica ſancti Marcelli, vel ſancti Symphoriani, vel quibuſcumque locis, vel ſervientibus ideò per quaſcumque autoritates, vel ſcripturarum Epiſtolas præfatus dominus Rex & filius ejus contulerint in quoſcumque Monaſterij uſus, vel conferre voluerint, neque Epiſcopi locorum, neque poteſtas regia quocumque tempore ſucceſſura, de eorum voluntate quidquam minorare aut auferre præſumat.* Ibi quod de locorum Epiſcopis dicitur, convenit planè cum Ilerdenſis Concilij *can. 3. Ea que in jure Monaſterij de facultatibus offeruntur, in nullo Diœceſana lege ab Epiſcopis contingantur.* Utriuſque loci comparatione conſtat veriſſima eſſe, quæ *capite primo* de lege Diœceſana diſſeruimus. [Conſule *Hiſtoriam Reomaenſis Cœnobij.*]

Ultimo loco Luxovienſe privilegium connumeratur tam à Marculpho, quàm Bertefrido Epiſcopo Ambianenſi in privilegio ab eo conceſſo Monaſterio Corbeienſi, & plurium Epiſcoporum ſubſcriptionibus firmato. Rectè verò ultimo loco refertur, quia Luxovienſe Monaſterium, poſt illa tria Monaſteria ſuprà numerata, fundatum eſt. Autor verò & primus Monaſterij inſtitutor reperitur ſanctus Columbanus, qui ex Hibernia in Galliam profectus ſub Sigiberto primo, ex cujus præcepto petiit Heremum in partibus Burgundionum, quæ Voſagus appellatur. Et cùm jam multi Monachi ſe in ejus contubernium & ſocietatem adjunxiſſent, in ea Heremo commodum locum elegit Monaſterio condendo, quod Luxovienſe appellatum à Luxovio caſtro nobiliſſimo, quod in ea Heremo olim munitiſſimum erat. Sanctus Columbanus Monachos ibi inſtituit, & canonem ſive regulam, quam ſequerentur, præſcripſit. Privilegium tamen Luxovienſis Monaſterij, cujus Marculphus & Bertefridus mentionem faciunt, hodie non extat. Conceſſum verò videtur, ſi conjecturæ locus ſit, à Clotario ſecundo; impetratum verò ab Euſtaſio, quem Monaſterio Luxovienſi in Italiam ſecedens Columbanus præfecerat. Clotarius enim ſecundus erga Columbanum & Euſtaſium fuit optimè affectus, & precibus Columbani incitatus, omni præſidio Luxovienſe Monaſterium communire ſtuduit, annuis cenſibus ditavit, fines ejus undique pro venerabilis Euſtaſij voluntate auxit. Imò & cùm Epiſcopi nonnulli & Monachi, inter quos præcipuus Agreſtinus Luxovienſis Monachus, Columbani regulam calumniarentur, Clotarius diù eos redarguere & reprimere tentavit; ſed cùm prævalere non potuiſſet, ſtatuit ut Synodali examinatione probaretur: ideóque regali autoritate emanante, Epiſcopi Matiſconem convenerunt, & cauſa cognita regulam Columbani confirmaverunt. Et hæc omnia colliguntur ex ſcriptis Jonæ Monachi Bobienſis [in Bibliotheca Lerinenſi,] qui Columbani & Euſtaſij vitam conſcripſit, & eodem ferè tempore floruit.

V. infra *cap. 5. §. adnotandum etiam.*

Gallonius *de Monachatu Gregorij* pag. 29. & 30.

Columbani regulam & alia quædam opuſcula inter Autores panegyricos edidit Goldaſtus ex Blioth. Germa-

niæ, ex cujus Columbani diſcipulis fuit S. Gallus, qui celeberrimum ſancti Galli Monaſterium condidiſſe vulgò creditur.

Ex illis privilegiis & libertatibus Marculphus formulam primam contexuit, cui & adjecit Conceſſionem, ſeu præceptum Regium, quo hujuſmodi libertates recenſebantur, ut ait, & confirmabantur. Ex quibus conſtat veriſſimum eſſe, quod aſſerimus, Regum edictis & conceſſionibus præmuniri privilegia, ab Epiſcopo proprio & deinde à Synodo conceſſa, vel confirmata: falli verò & errare juris Canonici Interpretes, qui conceſſiones Regum in temporalibus tantùm, non autem in ſpiritualibus locum habuiſſe volunt. Fruſtrà enim ſi tantùm ad temporalia pertinerent, poſt conceſſionem Epiſcopi proprij, poſt Synodi confirmationem impetrantur: fruſtrà in eis tam anxiè jura Epiſcopalia ſingula recenſentur. Et ut omnis materia & occaſio cavillandi præcidatur, alia erat formula, & alia obſervabantur in concedenda immunitate in temporalibus tantùm; alia longè, ſi concedenda foret immunitas à Regibus noſtris tam in temporalibus, quàm in ſpiritualibus. Unde à Marculpho illæ formulæ apertiſſimè ita ſeparantur, ut *Prima libri primi*, quæ Epiſcopi proprij privilegium continet, de ſpiritualibus tantùm loquatur, id eſt de juribus Epiſcopo, jure Canonico competentibus. *Secunda* continet conceſſionem Regis ad hoc privilegium, & in ea non tantùm de temporalibus, id eſt de fiſci juribus remittendis agitur; ſed etiam de ſpiritualibus *, id eſt de juribus ab Epiſcopo Diœceſano remiſſis. Tertia, quæ vocatur confirmatio de emunitate, ad jura fiſci & ad temporalia tantùm pertinet. Quin & in *Cap. Auditis. de præſcriptionibus* ſuprà expoſito, ubi de juribus Epiſcopalibus agitur nominatim, ait Innocentius, *ſi Eccleſiæ, de quarum exemptione agebatur, forent illæ, de quibus mentio fiebat in privilegio Regum, non eſſe dubitandum de libertate & exemptione illarum.* Addamus ex Concilio Sueſſonico III. ſub Carolo Calvo, Abbates regiam clementiam & Synodalem adire pietatem ſolitos, pro privilegiis Monaſteriis impetrandis, quibus ſub tuitione Regia atque Apoſtolica & Synodali defenſione, perpetuò munirentur. Atque hanc autoritatem & poteſtatem Regum & Principum in Monaſteria nemo mirabitur, ſi attendat Canones Concilij Chalcedonenſis, qui ad ſtatum Religioſorum pertinent, non ab ipſis Patribus Concilij primùm emanaſſe; ſed à Martiano Imperatore Patribus oblatos, & exceptos & laudatos ab omnibus Epiſcopis cum hujuſmodi acclamationibus; *Hæc fide digna ſunt, Sacerdoti, Imperatori multos annos*, ut conſtat ex *Actione ſexta* Concilij Chalcedonenſis. Legitimam iſtam Principum poteſtatem, ut indicavimus, in *hoc cap.* Innocentius III. in Regibus Angliæ agnovit: in noſtris verò Regibus plures Summos Pontifices eam & laudaſſe & probaſſe oſtendemus.

Similem exemptionem vide Stradenſis Monaſterij in pago Bituricenſi, vulgò *S. Genou*, in vita S. Genulphi *lib. 2. cap. 6. 7. 8. 9.* pag. 51. & ſeqq. in *Biblioth. Floriacenſi.* Adde recentiorem in *vita* Ivonis Carnotenſis, datam in fundatione Monaſterij Canonicorum regularium S. Quintini, quibus Ivo præpoſitus fuit. Adde & exemptionem Abbatiæ de Ribodimonte, cujus Autor Philippus I. anno Ch. 1084. pag. 642. Galliæ Chriſtianæ.

* Adde Chartam Ludovici Regis filij an. 939. ubi hæc verba notanda. *Apoſtolicæ Sedi ad tuendum, non ad dominandum ſubjugavit.* Biblioth. Cluniacenſis pag. 6. & ibidem obſerva illud privilegium confirmatum ab Agapeto Papa. Junge exemptionem Fuldenſis Monaſterij à Pipino conceſſam inter Bonifacij Moguntini Epiſtolas, 151.

Diximus ab Epiſcopo proprio & Synodo concedi primò privilegia & libertates, deinde à Regibus confirmari: quo jure, ut ſuprà oſtendimus, diù Gallia uſa eſt. Sed ut major autoritas accederet, non crediderunt aliqui Abbates ſe ſatis eſſe munitos adverſus jus commune & legem Diœceſanam; niſi & Summorum Pontificum præſidium, tuitio & confirmatio accederet, quam ab initio quidam tantùm & parcè, deinde certatim ferè omnes exquiſiverunt. Licet autem liquidò non conſtet, quo tempore hujuſmodi confirmationes cœperint peti: non levis tamen eſt ſuſpicio poſt Gregorium primum, vel primam, vel inter primas eſſe numerandam illam, quam Adeodatus Papa Monaſterio ſancti Martini Turonenſis conceſſit ad petitionem Ægyrici Abbatis, Romam in hanc cauſam profecti. Oritur ſuſpicio ex his verbis. *Parumper autem ambigimus, idcirco quod mos atque traditio ſancta noſtra Eccleſia plus non ſuppetat à regimine Epiſcopalis providentia Religioſa loca ſecernere*, &c. Ex his verbis & ſequentibus, quæ ſunt notatu digniſſima; diſcimus ordinem & formam concedendarum exemptionum ſuperiùs expoſitam, & antiquam eſſe & ſolemnem, & Pontifici ſummo Adeodato valdè probari. Nec enim abſciſsè & indicta cauſa ſtatim confirmationem indulget, ſed matura deliberatione habita. Primùm enim ait Pontifex ab Ægyrico Abbate Crotberti Turonenſis Eccleſiæ Præſulis Monachicæ libertatis ſcripto conceſſæ exemplaria prolata, in quibus Gallicanorum Epiſcoporum ad id conſenſum præbentium ſubſcriptiones ſubter annexas, ſe inſpexiſſe Pontifex aſſerit, & in fine addit. *Et erga quod & præcellentiſſimi totius Galliæ Reges, ut ſcripto comperimus, ad reprimendas laicorum infeſtationes, edicto præmunire idem venerabile Monaſterium regali pietate dignati ſunt.* Obſervandum religioſiſſimè caviſſe Pontificem, ne quis allegaret rumoribus & ſuggeſtionibus Ægyrici Abbatis aures patulas præbuiſſe. Ubique enim inculcat Pontifex in ſingulis articulis ex ſcripto comperiſſe ea, quæ proponebantur, ſecundùm morem Eccleſiæ ſolemnem, maximè in Gallia uſurpatum, ut ex ſcripto omnia peragerentur, ut conſtat ex *cap. 1. de libelli oblatione.* Tandem his omnibus conceſſionibus motus Pontifex, *Propterea & nos* (inquit Adeodatus) *erga quod iidem fratres noſtri reverendiſſimi præſentes conferre providerunt, ſimili cenſura ex autoritate profectò Apoſtolorum Principis identidem firmari conceſſimus.*

In *tomo 2.* Concil. Galliæ Fulcrado Abbati S. Dionyſij conceſſum eſt habere Epiſcopum ſpecialem. Item S. Martini Turonenſis Abbati, cujus quidem meminit Molinæus ad *cap. 2. de privileg. & exceſſib. Privil.* Maſſonius etiã in *vita* Adeodati de privilegio Turonenſis Eccleſiæ loquitur, quo ſpecialem habeat Epiſcopum. Sed hunc morem, Epiſcopo illo decedente, ſuſtulit Urbanus II. & juſſit eorum omnes cauſas Romæ diſcuti in poſterum, illo ſpeciali Epiſcopo ſublato.

Huic privilegio & confirmationi plures aliæ confirmationes adjungi poſſunt, quas non ita difficile eſt inveſtigantibus reperire, in quibus omnibus Epiſcopi proprij & aliorum Epiſcoporum conceſſionis, ſimul & Regiæ autoritatis nominatim fit mentio; quibus præcedentibus non denegat Pontifex confirmationem. Tot autoritatibus & conceſſionibus roboratæ exemptiones non poſſunt ampliùs convelli, & Monaſteria *Propriam ſuæ libertatis habent munitionem, & Pontificale*

decretum, Regumque immunitates; Romaníque Pontificis conſtitutum, inviolabilem perpetuis obtinent temporibus firmitatem, ut loquitur Nicolaus I. in fine *privilegij libertatis* Monaſterio ſancti Karileſi conceſſi, in cujus initio Caroli Regis pietatem in defendenda libertate illius Monaſterij commendat. Ideò verò ex pluribus privilegiis iſtud eligo, quia contradicto judicio, renitente Epiſcopo Cœnomanenſi Roberto editum eſt, & accuratè concedendarum exemptionum formam complectitur: cui adjungi poteſt ejuſdem Nicolai doctiſſimi Pontificis privilegium Monaſterio Corbeienſi conceſſum. Ex his conſtat eadem privilegia ſæpiùs renovari & inſtaurari ſolere. In *privilegio* enim *Corbeienſi* Nicolaus I. ait, idem privilegium conceſſiſſe deceſſorem ſuum Benedictum III. in *privilegio* verò dicti Monaſterij S. Karileſi accuratiùs Pontifex enumerat privilegia anteà conceſſa dicto Monaſterio; *Quia*, ut ipſe loquitur, *Epiſcopalis ambitio Monaſterium illud in ſervitutis jus evindicare conabatur.* Quæ ratio poteſt addi his, quæ diximus, cùm de geminata impetratione privilegiorum ageremus. Hæc ſufficiant de modo & forma obtinendæ & concedendæ libertatis Monaſteriorum.

Antiquioribus privilegiis electionis tantùm facultatem, & liberam rerum diſpenſationem permitti, ſalva in reliquis omnibus generali & canonica jurisdictione Epiſcoporum, certum eſt. Oſtendimus in *primo capite*, lege Diœceſana Monaſteria non eſſe liberata; quod & hic apertiſſimè confirmabimus. Si enim exempta Monaſteria non omninò lege Diœceſana ſolvuntur per omnia & in omnibus, ſed in quibuſdam tantùm articulis, ſcilicet in electione Abbatis, & libera rerum diſpenſatione; multominùs ea quæ non ſunt exempta, non poterunt hanc libertatem præſumere. Exempta verò Monaſteria in duobus illis tantùm articulis liberari lege Diœceſana & jure communi, probamus ex ipſa ſerie & verbis privilegiorum, quæ ſuperiùs enumerata ſunt. In reliquis Canonicus ordo & regularis Epiſcoporum poteſtas integra & illibata remanet. In recenſendis verò privilegiis ordinem temporum ſequemur. Et primò quidem in Lerinenſi, laica omnis Monaſterij congregatio Abbatis proprij haber electionem; regula quæ à fundatore ipſius Monaſterij dudum conſtituta fuerat, in omnibus cuſtodita. Jura verò Epiſcopi Forojulienſis nominatim conſervantur & exprimuntur, ut conſtat ex Concilio Arelatenſi III. In Concilio Valentino II. quidquid rex Guntheramnus, vel ipſius uxor & filiæ Monaſterio ſancti Marcelli, vel ſancti Symphoriani quomodocumque contulerint, vel conferre voluerint, *neque Epiſcopi l[illegible]rum, neque poteſtas Regia, quocumque tempore ſucceſſura, de eorum voluntate quidquam minorare, aut auferre præſumat.* Quod ad privilegia Monaſteriorum ſancti Mauricij Agaunenſis & Luxovij pertinet, licet non extent, idem tamen jus ſtatutum fuiſſe ex Marculpho & Berthefridi privilegio, & ex his, quæ retulimus *capite ſuperiori*, colligere licet. Sed ut inhæreamus ordini temporum, quem nobis ipſi præſcripſimus, in *formula* Marculphi apertiſſimè congregationi Monachorum electio Abbatis permittitur, & ea quæ Monaſterio, Regio munere aut privatorum conlaturis, ut ait, offeruntur, integra

& illibata manent. Nec hujuſmodi oblationum occaſione aut prætextu de Monaſterio exempto, ſicut de Parochiis aut cæteris Monaſteriis, non exemptis ſcilicet, Epiſcopus aut Archidiaconus, vel cæteri Ordinatores quidquam audeant ſperare aut ferre. Quibus exceptis, Epiſcoporum jura in *eadem formula*, & in *reliquis exemptionibus* conſervantur, & ut difficultatis cauſa tollatur, ſigillatim exprimuntur.

Ad inſtar illius formulæ reliquæ ferè omnes exemptiones antiquiores compoſitæ ſunt, quas brevitatis cauſa prætermittimus, Monaſteriorum ſancti Martini Turonenſis, ſancti Dionyſij Fontanellenſis, Corbeienſis, ſancti Karileſi, Solemniacenſis, & pleræque aliæ. Apertiſſimè verò in Concilio Pariſienſi, Monaſterio Corbeienſi electionis gratia, & rerum ſuarum diſpenſatio conceditur. Quod & Summi Pontifices probaverunt in confirmationibus privilegiorum. Adeodatus evidenter in confirmatione privilegij ſancti Martini Turonenſis, liberam diſpenſandi licentiam, & Abbatis electionem relinquit. Zacharias, Benedictus III. & Nicolaus idem exprimunt.

Privilegiis & libertatibus enumeratis, Gregorij Magni exemptiones adjungere operæ pretium foret, quarum etiam aliquas Gratianus in decreta retulit in *can.* 5. 6. 7. *Cauſa* XVIII. *Quæſt.* II. Plures aliæ in ejus *Regiſtris* ſuperſunt, quæ ſingularem tractatum meritò deſiderant. Aliquid tantùm adnotaſſe nunc ſufficiat. Non aliud jus in Gregorianis exemptionibus, ſi rectè intelligantur, quàm in illis omnibus, quas ſuprà enumeravimus, conſtituitur. In hanc rem utiliſſimum eſt, quod eruditiſſimi Romani Correctores monent ad *dict. can.* 5. XVIII. *Cauſa Quæſt.* II. canonem illum deſumptum eſſe ex decreto Concilij Lateranenſis ſub Gregorio primo, & ejus magnam partem referri *libro* 7. *regiſtri indictione primâ epiſtola* 18. ſcripta Mariniano Epiſcopo Ravennati, [quæ continet privilegium Monaſterij SS. Joannis & Stephani in Claſſitana civitate, quæ eſt in Æmilia prope Ravennam.] Nec fruſtrà viri prudentiſſimi illius epiſtolæ, & Mariniani mentionem injecerunt. Ex illa enim epiſtola in Concilio Lateranenſi locum corruptiſſimum reſtituere licebit, ibi. *Si qua cauſa fortè inter terram venientem ad partem ſuarum Eccleſiarum & Monaſteriorum evenerit, & pacificè non potuit ordinari apud electos Abbates, & alios Patres timentes Dominum ſine voluntaria dilatione*, &c. Legendum ex illa epiſtola, *Sed ſi qua fortè cauſa inter Ravennatem Eccleſiam & præfatum Monaſterium evenerit, & pacificè non potuerit ordinari apud electos à partibus timentes Deum ſine voluntaria dilatione*, &c.

Hic Marianus primùm fuerat Monachus, in eodem, quo Gregorius I. Monaſterio converſatus, & ex Abbate poſtea Epiſcopus Ravennatum communi concordantique voce ſæpius petitus, & à Gregorio I. confirmatus, ut ipſe Gregorius refert *lib.* 4. *Regiſtri epiſt.* 45. circa annum Chriſti 595. ut notat Baronius ad *an.* 595. *num.* 75. qui & *numero* 76. ſcribit eundem Marianum à Gregorio notari, ut quem honor Epiſcopalis ex optimo Monacho & Abbate non bonum Epiſcopum fecerat, ut patet ex *epiſt.* 29. *lib.* 5. *Regiſtri.* Cui tamen reconciliatus eſt deinde Gregorius, ut ex pluribus *Epiſtolis Regiſtri* conſtat.

Adnotant præterea Romani Correctores ſub finem *canonis 5.* addendam eſſe *epiſtolam 43. libri 4. Regiſtri;* non inutiliter. Si quis enim rectè perpendat, quæ in illa epiſtola ſcribuntur, legendum deprehendet. *Et Monaſterium illud nulli ulterius alij, quàm generali canonicæve juriſdictioni deſerviens,* &c. Nicolaus I. in privilegio Corbeienſi hoc ita exprimit. *Epiſcopus verò Ambianenſis nullam ex eis accipiat vel expoſcat portionem,* &c. deinde excipit; *niſi quantum Canonicus ordo permittit.* Sed ne alios Interpretes præter Gregorium primum requiramus, quam in *illa epiſtola* generalem Canonicamve juriſdictionem appellavit; *lib. 7. epiſt. 33.* diſtrictam & regularem emendationem vocat; competentem regularémque moderationem *libro 7. epiſtola 65.* quod confirmatur *epiſtola 67. lib. 9. & lib. 11. epiſtola 54.* initio. Et ut omnis ſcrupulus eximatur; Canonica illa & regularis juriſdictio Epiſcopo Ravennatenſi competere dicitur in illud ipſum Monaſterium, licet exemptum, ut conſtat ex *epiſt. 22. lib. 10. Regiſtri.* Sed ne quod verum & ſincerum eſt, incruſtemus; Concilium illud Lateranenſe, quod Gregorio primo tribuitur, commentitium eſſe non dubito, ex duabus Gregorij *epiſtolis* contextum: quod & in quibuſdam *MS.* Epiſcoporum ſubſcriptiones ex aliis Conciliis, ſub eodem Gregorio habitis, repetitæ indicant: & ex eo confirmatur quòd non reperiatur in *Regiſtris* Gregorij. Quo argumento Tancredus vetus Interpretes juris Canonici, falſa eſſe deprehendit quædam reſcripta, quæ tribuebantur Innocentio III à quò poſteà rem ita ſe habere comperit. [Polycarpo tamen, Anſelmo, Ivoni, Gratiano, & etiam] illuſtriſſimo Baronio, & Interpretibus hactenus impoſitum eſt. [Adde quæ ſupra *hoc cap. 5. plura hujuſmodi* de falſariis Monachis notavi, & Gregorij *MS. epiſt. 69. lib. 9*]. Perpetuò autem hoc obſervandum regulam à Fundatoribus Monaſteriorum conſtitutam cuſtodiendam eſſe, ubi ſcilicet ſemel probata eſt; ſive ſint exempta Monaſteria, ſive non exempta, Concilio Arelatenſi III. in fine, & *lib. 6. Regiſtri* Gregorij *epiſtola 32.* & in Concilio Matiſconenſi, in quo de regula Columbani actum fuiſſe ſuperiùs diximus.

Ivo *parte 7. cap. 11.* ita inſcribit. *Decretum S. Gregorij Papæ.* & notant Correctores Rom. haberi in Polycarpo, & apud Anſelmum. Vide omnino Petrum Venerabilem pag. 676. & ſeqq.

Hactenus de jure antiquo Exemptionum, in quo diutiùs immorati ſumus, quia ferè nulla illius veſtigia in Decreto & Decretalibus ſuperſunt; licet Galliam eo jure uſque ad annum milleſimum, & quod excurrit, uſam fuiſſe reperiamus. Imo & anno milleſimo quadrageſimo, regnante Henrico Francorum Rege, anno nono, Monaſterio Vindonenſi privilegium ſub eadem penè forma conceſſum eſt. Goffridus Martellus Comes Andegavenſis, & uxor ejus Agnes in fundatione Monaſterij Vindocinenſis à Theodorico Carnotenſi Epiſcopo, convocatis multis aliis Epiſcopis & Abbatibus, petierunt confirmari exemptionem dicti Monaſterij, quod conſtruxerant, dotaverant, & ut ipſi loquuntur, *Beato Petro & ejus Romanæ Eccleſiæ in patrimonium & alodium obtulerant.* Epiſcopus Carnotenſis Clericorum ſuorum aſſenſu & conceſſione, in conventu plurium Epiſcopotum, Abbatum & Clericorum, qui ſubſcripſerunt, perpetuam libertatem indulget. Plures deinde Pontifices illam Epiſcopi conceſſionem probaverunt, quorum aliquot privilegia accuratiſſimus Interpres Goffridi retulit. Eadem

Digitized by Google

ferè formula Guillelmus Dux Aquitaniæ Cluniacenſe Monaſterium paulò antè fundaverat. Elegimus Vindocinenſis Monaſterij privilegium, quia & nullum aliud in Gallia tot & tam inſignibus privilegiis ornatum reperitur: & præterea libertatis & immunitatis privilegia integerrima extant, ex quibus conſtat ſicut in antiquis, ita & in recentioribus exemptionibus præceſſiſſe Epiſcopi proprij & aliorum conceſſionem, quam deinde ſummi Pontifices ſubſequuntur.

Non dubito tamen Summos Pontifices hunc conſenſum non ſemper neceſſarium fuiſſe arbitratos; imò & reluctantibus & contradicentibus Epiſcopis, ſolos exemptiones frequenter conceſſiſſe, ut infrà dicetur: maximè verò in Anglia, ad quam pertinet *dictum Cap. Auditis. de præſcript.* ita ut Henricus Spelmannus Anglus in *Gloſſario* in dictione, *Abbates*, ex actis publicis viginti novem Abbates, & quatuor Priores exemptos in Anglia referat, inter quos primus collocatur Abbas ſancti Auguſtini Cantuarienſis. Frequentiſſimas etiam fuiſſe illas exemptiones in Anglia notat Archiepiſcopus Cantuarienſis apud Petrum Bleſenſem in *epiſtola ſexageſima octava ad Alexandrum III.* Similes extant notæ Gallicanorum Epiſcoporum & aliorum, ut Ivonis *epiſt.* 56. & 195. contra Goffridum Vindocinenſem, ubi & alia exempla doctiſſimus Juretus refert. [Unde & exemptos Epiſcopi vocabant Acephalos, in *notis* Sirmondi *ad Goffridum* pag. 39.] Bernardus etiam ea de re ex profeſſo ſcribit *lib. 3. de conſideratione ad Eugenium, & epiſtola 42. ad Henricum Archiepiſcopum Senonenſem.* Ex quibus locis Petrus Bleſenſis, nomine ſuppreſſo, verba & ſenſus mutuaſſe videtur in *dicta epiſtola* 68. & *in epiſtola* 90. [Adde Glabrum Rodulphum *lib.* 2. *hiſt. cap.* 4. & Biblioth. Cluniacenſem pag. 6. & 7.]

Noviſſimarum autem exemptionum jura ferè ſunt hæc. Inter exemptos & Summum Pontificem nulla media eſt perſona: res & perſonæ ab omni jure Epiſcopi liberæ ſunt: Abbates exempti ad Concilium ire non coguntur: poſt benedictionem & conſecrationem, profeſſionem & promiſſionem fidelitatis ſeu obedientiam Epiſcopo non præſtant: inſignia Pontificalia gerunt: Pontificum more, mitra, annulo & ſandaliis utuntur, etiam in Synodis: denique nullum alium habent Epiſcopum præter Romanum Pontificem. In indicium verò perceptæ libertatis à Romana Eccleſia ſolvebant aliquem cenſum. Hujuſmodi verò exemptiones in fundationibus plerumque concedebantur; unde & aliquando Inſtitutiones abſolutè vocantur. Nec illas improbat ſanctus Bernardus his verbis. *Nonnulla tamen Monaſteria ſita in diverſis Epiſcopatibus, quod ſpecialius pertinuerint ab ipſa ſui fundatione ad Sedem Apoſtolicam pro voluntate Fundatorum, quis neſciat? ſed aliud eſt quod largitur devotio: aliud quod molitur ambitio impatiens ſubjectionis.* Liberalitatis provocandæ gratia, conniventibus oculis, aliquid fundatoribus indulgendum eſſe, æquitate ſuggerente, fuit receptum. Hæc omnia colliguntur ex variis fundationum & exemptionum Chartis, ex Decretalibus, maximè ex *titulis de privilegiis*, ex *locis citatis* S. Bernardi & Petri Bleſenſis, ex Goffridi *epiſtolis* 8. 27. *lib.* 1. *libri* 2. *epiſtolis* 27. 28. 29. & *opuſculo decimo*. Quia tamen iſtæ exemptio-

nes ab arbitrio & poteſtatis plenitudine Summorum Pontificum pendent; diligenter ſunt obſervanda privilegia. Quid illis concedatur, quibus verbis concipiantur ſedulò eſt attendendum, ne quis ea in re fallatur. Nec enim ſi qui tantùm in proprios & ſpeciales filios Eccleſiæ Romanæ fuerint aſſumpti; vel ſimpliciter Eccleſiæ Romanæ annuum cenſum ſolvant; [vel eis protectio, Mundeburde, Cuſtodia, patrocinium, aut tuitio promiſſa ſit:] ideò exempti ab Ordinarij poteſtate dicentur. Idem jus erit, ſi certi articuli ſpecialiter enumerentur, à quibus eximantur. Item ſi generales illæ duæ clauſulæ conjungantur, quod in ſpeciales Romanæ Eccleſiæ filios ſunt aſſumpti, & ad indicium perceptæ libertatis annuum cenſum ſoluunt. Proſunt enim illa quidem ad protectionem, non autem ad plenam libertatem: & in certis articulis privilegiati Ordinariorum juriſdictioni, quantùm ad alia, ſunt ſubjecti *cap.* 7. 8. 18. *extra de privilegiis,* *& cap.* 10. *eodem tit. in* VI. [*cap.* 18. *de exceſ. Prælatorum, & cap.* 1. *de verb. ſignif. in* VI.] Addamus nec uſum mitræ, quem ſanctus Bernardus & Bleſenſis valdè improbant, certum eſſe & perpetuum exemptionis ſignum *cap. 6. de privileg. in* VI.

Vide *lib* 1. *Regiſtri* Innoc. III. *epiſt.* 194. & Sirmondum ad *Goffridum Vindoc. p.* 39.

Cauſas exemptionum antiquarum & recentium Summi Pontifices tribuunt vexationibus Epiſcoporum, quas frequentes fuiſſe olim pluribus epiſtolis ſcripſit Gregorius Magnus. Has exactiones & præſtationes Epiſcopi & Clerici honeſtis nominibus xeniorum, munerum, eulogiarum & conſuetudinum prætexuiſſe, ait idem Gregorius *lib.* 7. *Regiſtri epiſt.* 33. *& aliis*, quæ ad Marinianum Ravennatenſem Epiſcopum ſcriptæ ſunt. Speciosa nomina non placent illis quos onera premunt, τὸ πυρώτερον τοῦ φορήματος, καὶ τὴν ἰσομοιρίαν ἐκταράζειν τὴν δεξ ... ut in re ſimili contra Monaſteriorum Exarchos Græci Patres dixerunt. Hujuſmodi vexationum & gravaminum cauſis moti Pontifices eximebant primò Monaſteria, libera tantùm rerum diſpenſatione relicta: nec ideò ſibi Monaſteria applicabant. Quia verò eo remedio ſenſerunt morbum non perſanari; tandem ab omni jure Epiſcopali quædam tantùm, & ſerò liberaverunt, ut diximus. Ab his initiis indiſtinctè, etiam ſine ulla alia cauſa, niſi liberalitatis exercendæ, non adhibito Epiſcoporum conſenſu; imò & inconſultis & invitis, privilegia plurima Summi Pontifices conceſſerunt: quod potiſſimum frequentaſſe videntur Leo XI. Gregorius VII. Victor III. Urbanus II. Paſchalis II. Alexander III. & ſequentes Pontifices. Fuerunt etiam aliæ concedendi cauſæ. Sed iſtas indicaſſe ſufficiat, quas nec placuiſſe Epiſcopis ex eo ſatis conſtat, quod plerique eorum contradixerint & inſuperhabuerint, in exemptos nihilominùs Epiſcopalia jura exercentes; ita ut contradicto judicio recentia iſta privilegia, ſicut & vetera, neceſſe fuerit firmari. Epiſcopi autem ſemper cauſa ceciderunt, dummodo de veritate privilegiorum conſtaret. Præter ea, quæ in Decretalibus ad hujuſmodi judicia pertinent, quæ facilè inquirentibus occurrent, celeberrima duo judicia in Gallia contra Epiſcopos in gratiam exemptorum adnotabo. Primum inter Rodulphum Turonenſem Archiepiſcopum, & Bernardum Abbatem majoris Monaſterij, quod tandem abſolutum eſt, pronunciante ſententiam

tentiam Urbano II. in octavis beati Martini, in Concilio Claromontenſi anno milleſimo nonageſimo tertio, regnante in Galliis Rege Philippo, præſente Archiepiſcopo cum Clericis ejus, & aſſiſtente Bernardo Abbate. Totius litis narrationem prolixè retulit Autor *de tribulationibus & anguſtiis & perſecutionibus majoris Monaſterij*. Secundum judicium in eodem Concilio reperitur, quod Arvernenſe vocat Goffridus Vindocinenſis. Peractum autem fuit inter Ivonem Carnotenſem & Goffridum Vindocinenſem Abbatem, quem ſibi parum facilem & æquum ſæpiùs indicat Goffridus. Initium, progreſſum & exitum litis infælicem Ivoni ex *dictis epiſtolis* licet repetere; cui judicio Goffridus Ivonis ſucceſſor ægrè, ſed tandem acquievit. Plura hujus generis exempla in Decretalibus, & apud alios Autores extant. Summorum tamen Pontificum autoritate, & rebus judicatis adduci non potuerunt Epiſcopi, ut juri ſuo cederent, & ab exemptis fatigandis abſtinerent, ut colligitur ex *cap. 16. & 17. de exceſſibus Prelat. extra*. Et contra ut fieri ſolet, exempti vix ſe continebant. Utriſque modus fuit imponendus in Conciliis generalibus, Lateranenſibus duobus, ſub Alexandro & Innocentio III. nec tamen deſtiterunt. Renovata eſt querela, & Viennenſi Concilio terminata. Nondum tamen pax firmari potuit. Iterum enim in Conſtantienſi & Baſileenſi de ea re, ſumma contentione utrinque certatum fuit; quod & aliquando accuratiùs juvabit executere. Nec certe tractatio iſta de exemptionibus multùm abhorret ab uſu & moribus noſtris. Invenit enim locum inter Eccleſiæ Gallicanæ libertates à prudentiſſimo & peritiſſimo rerum noſtrarum Petro Pithœo digeſtas; qui & monita quædam publicè ea de re commemorat, edita tempore Baſileeuſis Concilij, [nomine Autoris ſuppreſſo; quia pro conſervandis exemptionibus contra Epiſcopos & Clericos inclementiùs & acerbiùs, ne quid ampliùs dicatur, præcipuè in fine tractatus invehitur.] Supereſt ut moneam agere me tantùm de Religioſorum, non de Clericorum exemptionibus: item exemptiones Monaſteriorum ſtrictè adeò concludi, ut nec pertineant ad Eccleſias Monaſteriis conceſſas; niſi nominatim in privilegiis vel conceſſionibus Eccleſiarum exprimatur, ut pleno jure, [ſive ut utroque jure] id eſt tam in temporalibus, quàm in ſpiritualibus Monaſteriis applicentur, *cap. Conquerente de Offic. Iudicis Ordin. cap. 3. §. in Eccleſiis, cap. 16. 17. & 21. extra de Privileg.* [juncto *cap. 2. de ſupplenda neglig. Prælat.*] Et hoc eſt quod hoc noſtro Capitulo dicitur, *Pleno jure poſſidere*. [Quod quidem fuſiùs explicatur ad *cap. 10. & 12. de Preb.* ab Joanne à Coſta, & à Cujacio ad *cap. 31. eodem tit* junctis *can. 1.* XVI. *Quæſt. 2. cap. 15. & 18. de Præſcript. cap. 1. de Capel. Monach. cap. Conſtitutus, de Religioſis domibus, cap. 11.* Conc. Trid. *ſeſſ. 25. de Regula*, & maximè *cap. 13. de ſent. & re judicata*, quod ſumptum eſt ex *epiſt.* 280. *lib. 1. Regiſtri* Innocentij III. In quibus explicatur, quid per *plenum Ius* intelligendum ſit. Vide quæ ſcripſimus ad *cap. 10. 12. 30. & 31. de Prebendis.*] Hactenus de origine, cauſis, forma, progreſſu & vario uſu exemptionum antiquarum & recentium, maximè in Gallia noſtra.

Adde *epiſt.* 14. & 15. Alexandri II. quæ extant inter Gerberti Epiſtolas: & quæ de Cluniacenſi, in *Bibliotb. Cluniacenſi.*

Eccleſia exépta non poteſt in præjudicium exemptionis à Pontifice ſib conceſſæ, eo inconſulto, trãſigere vel compromittere *cap. 5. ex de Arbitris.*

Digitized by Google

Cap. III.

De Præſcriptionibus.

POST expoſitam narrationem *cap. Auditis de Præſcriptionibus*, cujus interpretationem ex profeſſo ſuſcepimus; ne quid in juris quæſtionibus, quæ oriuntur ex facto, perturbatè & confusè traderemus, ſingulis allegationibus partium ſingula capita deſtinavimus. In prima allegatione, *de Lege Diœceſana*; in ſecunda, *de Exemptionibus* diximus; in tertia, *de Præſcriptionibus* agemus. Sed more noſtro factum præmittendum eſt. Abbas Eveshamiæ ab initio litis exhibet exemptiones & libertates à Regibus Angliæ & ſummis Pontificibus ſibi conceſſas. Poſteà verò eccleſias ad Monaſterium ſpectantes, de quibus potiſſimùm agebatur, pleno jure à ſe poſſeſſas allegat. Incipit ab exemptionibus & à juſto titulo, antequàm ad poſſeſſionem veniat. Si enim à poſſeſſione incœpiſſet, & deinde titulum & cauſam poſſidendi nactus fuiſſet, non poterat præſcriptio procedere hoc jure. Si enim conſummata fuiſſet, quando privilegium impetratum fuit, juri præſcriptionis renunciaſſe videretur: ſi verò nondum conſummata fuit, poſt impetratum hujuſmodi privilegium bonam fidem non habuiſſe præſumeretur. Qui enim ſincera fide & animo domini poſſidet, certus eſſe debet de jure ſuo; non debet ambigere, & titulum quo jus ſuum confirmet, aliunde emendicare *cap. 19. hoc titu-li*. Ex quo, ut & ex *cap. vigilanti & cap. ult. eod.* requiritur, ut qui hoc jure præſcribit, in nulla temporis parte rei alienæ habeat conſcientiam; quam habere videtur qui privilegium impetrat, quo non erat opus, ſi ſibi conſcius non fuiſſet. Rectè ergo & peritè ab Abbate Eveshamiæ titulus & privilegium proponitur, quaſi origo, principium & cauſa poſſeſſionis ſuæ. Eadem forma in celebri cauſa Monaſterij ſancti Karileſi & Epiſcopi Cœnomanici Nicolaus primus ait, Abbatem Regum noſtrorum & ſummorum Pontificum privilegia præmiſiſſe, quæ ſequenti poſſeſſione confirmabat. Locus in hanc rem ſummè notandus in *privilegio* conceſſo dicto Monaſterio à Nicolao primo Pontifice. Præterea in dicto *privilegio* tempus ad præſcriptionem neceſſarium liquidò exprimitur his verbis. *In legibus habemus ut omnes quæſtiones infrà triginta annos terminum accipiant. De Eccleſiaſticis autem cauſis poſt quadrageſimum annum nulla querela moveri poteſt, ſi non intra hoc ſpatium annorum mota fuerit.* Ad leges recurrit, ſicut & antiqui Canones *can. 2. 3. 4. 5. 6.* & paſſim XVI. *Q. 3.* in qua quæſtione & ſequenti Collectorem & Interpretes labi & errare paucis demonſtramus. Eccleſia leges publicas ſuſcipere & ſequi ſæpiſſimè non aſpernatur, quod in hac parte juris apparet maximè. Legibus autem publicis, id eſt [in Oriente primùm celeberrima] conſtitutione Theodoſij junioris, [ut veriſimile eſt, & inſcriptio ipſa legis indicat, quæ extat unica ſub titulo *de Actionibus certo tempore finiendis* in *Cod. Theod.* & in *Cod.* Juſtiniani *l. ſicut 3. de Præſcript. 30. vel. 40. an.*] Et deinde in Occidentis partibus,

Explicantur *Quæſtiones 3. & 4. Cauſæ* XVI.

triginta annorum præſcriptio antè neſcita [propter Joannis Tyrannidem,] proquiritata fuit [à Valentiniano III. poſt receptum Occidentis imperium, *Novella Conſtitutione de Præſcript. 30. annor. omnibus Cauſis opponenda*, quæ habetur ad calcem *Cod. Theodoſiani*,] quæque peremptoriis rubricis omnes lites extinguit, [ut loquitur Sidonius *lib. 8. epiſt. 6.*] Poſteà in gratiam Eccleſiarum Juſtinianus centenariam induxit, [*l. ut inter divinum* 23. *Cod. de ſacroſ. Eccleſiis & Nov. 9.*] quam deinde ſuſtulit ipſe *Nov.* 131. aliqua tamen prærogativa Eccleſiis indulta, ut ſcilicet adverſus Eccleſias non triginta, ſed quadraginta annorum poſſeſſio neceſſaria foret: [ne Romana quidem excepta Eccleſia, *Nov.* 111. *&* 131. *Cap. 6.* Cujacius ad *d. Nov.* & *lib. 5. Obſervat. cap. 5. & Tractatu de Diverſis & tempor. præſcript. cap.* 31. Quibus locis meritò veterum quorumdam Interpretum ſententiam, qui Eccleſiam Romanam eodem Jure pariter quadragenariæ præſcriptionis uſam fuiſſe cenſuerunt, ſolidiſſimis rationibus confirmat.]

Eodem ferè progreſſu juris uſam fuiſſe Eccleſiam reperio. Et tricenariam quidem admittit Concilium Chalcedonenſe Oecumenicum *can.* 17. [qui extat *primus Quæſt.* 3. *C.* XVI.] & plerique Canones, quos ſuprà retulimus. Quadragenariam verò, quæ eſt Juſtiniani, Canones alij agnoſcunt, *can.* 1 2. *&* 3. *Cauſa* XVI. *Qu.* 4. quam à *Quæſtione tertia*, quæ tantùm tricennalis mentionem facit, Gratianus hoc commento imperitè diſtinguit, ut ſcilicet in *Quæſtione tertia* Eccleſia adverſus Eccleſiam triginta annis; in *Quæſtione* verò *quarta* Monaſterium adverſus Eccleſiam non niſi quadraginta annis præſcribere permittatur. Nullum tamen diſcrimen inter Eccleſias & Monaſteria in præſcriptionibus Autores ſupra dicti legum & Canonum conſtituunt. Vera itaque differentia à temporibus & locis deſumenda eſt. A Theodoſio juniore uſque ad Juſtinianum in Eccleſia præſcriptio tricennalis obtinuit. Sub Juſtiniano centenaria parum probata in quadragenariam mutata eſt, & paſſim recepta in Eccleſia; à qua Gregorius I. non excepit Romanam *dict. can.* 2. XVI. *Quæſt.* 4. [Gregorij tamen Succeſſores, Joannes VIII. primùm in *can. ult. Qu.* 3. *Cauſa* XVI. Innocentius in *cap.* 13. *&* 14. *Extra de præſcript.* & Bonifacius VIII. in *cap. 2. eod. tit. in* VI. centenariam tantùm probaverunt in gratiam Romanæ Eccleſiæ.] Hæc de tempore, jure & vario præſcriptionum uſu rata ſunto.

Suidas in voce, *Priſcus Emiſenus.*

Obſtant *canones* 3. 4. 6. *&* 10. *d. Cauſa* XVI. *Qu.* 3. omnes poſt Juſtinianum editi, quibus tamen tricennalis tantùm præſcriptio admittitur; nulla mentione quadragenariæ facta, nulla diſtinctione inter Eccleſias & Monaſteria adhibita: ut non immeritò generaliter Alexander III in *cap. 8. extra de præſcriptionibus*, ſpreto Gratiano reſcribat, quoſdam Canones comprobare tricennalem; Romanam verò Eccleſiam non admittere minorem, quàm annorum quadraginta. Innuit tacitè, quod & monuimus, rationem diverſitatis à locis eſſe repetendam, quod veriſſimum eſſe oſtendo. Canones nempè illi, [qui tricennalem præſcriptionem probant], ex Conciliis Hiſpanis deſumpti ſunt, in quibus non Juſtiniani, ſed Theodoſij Codex

Adde omnino *can.* 12. Concilij Aurelianenſis III. *tomo* 1. Conciliorum Galliæ, ubi ſumma Capituli contraria eſt ſenſui.

Digitized by Google

ex Alarici præcepto collectus, vim & autoritatem obtinebat. Quod & apertè colligitur ex *can. 6.* qui repetitur ex *l.* 1 *C. Theod. de actionibus certo temp. fin.* maximè verò ex *l. 4. eod. Cod. finium regund.* cujus ipſa verba in *dictum canonem* tranſlata ſunt, ſenſu tamen paululùm inflexo. [Idem ferè dicere liceat ad *can.* 12. Conc. Aurelianenſis III. in quo tricennaria tempora repetitioni rerum ablatarum competere dicitur Eccleſiis. Quamvis enim circa tempora Juſtiniani fuerit habitum; Gallia tamen, ad quam pertinet, non Leges Juſtinianei, ſed Theodoſiani Codicis agnovit]

Ne quid autem ad omnium illorum Canonum intelligentiam deſideretur, obſervandum eſt in actione generali finium regundorum, ſeu in actione limitis, quæ per agrimenſores & inſpectores dirimi ſolet, varias controverſias ſpeciales incidere, de modo, de proprietate, de jure territorij. Incidunt & aliæ, de quibus doctiſsimus Cujacius *lib.* 10. *Obſ. cap.* 2. tractat, arte & judicio ſingulari: ſed ad iſtorum canonum explicationem ſufficiunt illæ. Controverſia de modo, ad quam pertinet dictus *can. 6.* inſpectis per menſores terminis publicis, & forma æris publica decidebatur. Nec erat locus præſcriptioni contra illa monimenta publica, ſive de parœciarum limitibus, ſive de provincialibus ageretur, ſive majores, ſive minores termini; dummodo publici, non privati & comportionales; [quia res voluntaria eſt. Vide Cujacium ad *l. 7. ff. Fin. regund.*] Status enim publicus antiqua diſpoſitione ordinatus, nulla ratione divelli debet *d. can. 6.* juncto *can. 5. & 7. d. Q. 3. & cap. 4. de Parochiis.* Et hoc jus in Eccleſia univerſa videtur ubique obtinuiſſe ab initio. Quia tamen varietate ſucceſſionum, & arbitrio poſſeſſorum fines, vel additis vel detractis particulis ſæpiſſimè confunduntur, obſcurantur, immutantur: quod in civili adminiſtratione evenit, ut paulatim agri limitati ad occupatorum conditionem reciderint; idem & in Eccleſia per partes videtur eveniſſe. Ideóque quod primùm in Concilio Hiſpal. II. *d. can. 6.* ſtatutum [fuerat ſecundùm jus commune] : quod Concilium tantùm fuit Provinciale, Bœticæ ſcilicet provinciæ, cui Iſidorus Metropolitanus Hiſpalenſis præfuit: in Concilio Toletano IV. Generali totius Hiſpaniæ nempè & Narbonenſis Galliæ, cui & Iſidorus præfuit, iterum & accuratiùs retractatum; & [hæc diſtinctio introducta primùm,] ut intra unam & eandem provinciam Epiſcopus alterius Epiſcopi diœceſim per triginta annos præſcriberet; extra provinciam verò nullo modo: ne, ut aiunt, Patres Concilij, dum diœceſis defenditur, provinciarum termini confundantur. *Provinciarum termini*, quod notandum. Nam de Parœciarum [& Epiſcoparuum intra unam & eandem provinciam] terminis non curaverunt. Et hoc jure uſa eſt diu Hiſpania contra jus vetus, de quo in dicto Concilio Hiſpalenſi II. *can.* 5. XVI. *Q.* 3. ut conſtat ex Concilio Emeritenſi *can.* 8. in quo nominatim derogari videtur *dicto Canoni quinto*, cujus autor dicitur Gelaſius. Tandem poſt multas juris varietates abrogata videtur omnino autoritas dicti Concilij Toletani IV. & Emeritenſis, ab Urbano III. & jus antiquum reſtitutum, de quo ſuprà; ita ut media illa Juriſprudentia Hiſpaniæ ſublata,

Siculus Flaccus *pag.* 17. *&* 18. & Hygenus *pag.* 213.

Vide Joannem Fabrum ad §. *præterea quod per alluvionem Inſt. de rerum diviſione.*

Nota fines 40.

juribus apud omnes populos in unam conſonantiam redactis ex *cap. 4. de Parochiis*, cujus eſt Autor Urbanus III. limites tam parœciarum, quàm provinciarum Eccleſiaſtica ordinatione publicè ſtatutos præſcribere nec liceat; nec aliter præſcriptioni locus eſſe poſſit, quàm ſi limes legitimus non concludat illam Baſilicam, de cujus præſcriptione agitur. Ubi verò præſcriptioni locus eſt, tunc vertitur proprietatis quæſtio, quæ potiùs ad jus ordinarium quàm ad artem menſoris pertinet; ſicut vice mutua controverſia de modo, ſive de finibus & limitibus, ad peritos artis, & ad inſpectores magis pertinet, (quorum paſſim mentio in *dictis canonibus*) quàm ad judices. Et hæc ad controverſias de finibus & de proprietate. Succedit tertia de jure territorij. * Sicut enim in jure civili adempta & aſſignata proprietate alicujus prædij, non adimebatur & immutabatur jus publicum territorij & juriſdictio, ſive diſtrictus; ita & jure canonico, licet tricennalis poſſeſſio diœceſim tollat, non adimit tamen territorij conventum, quem ſcilicet antiquus Epiſcopus retinet, cui per præſcriptionem diœceſis adempta eſt ab alio Epiſcopo *dicto can.* 2. XVI. *Qu.* V. *can.* 3. *&* 5. *in fine* XVI. *Qu.* 3. in quibus conventus mentio oſtendit canones ad Hiſpaniam pertinere, quam notum eſt per conventus diviſam fuiſſe: & abſolutè conventus pro territorio accipitur in dicto Concilio Toletano IV. *can.* 52. in cujus initio legendum; * *Religioſi propria Religionis*, nempè qui ſemetipſos à congregationibus cœnobiorum ſequeſtrant, & nulli Abbati ſubjecti ſibi cellulas conſtituunt, eáſque Monaſteria nuncupant, ſuo in eis jure ac libertate conſiſtentes, ut loquitur Caſſianus.

Sed ab hoc diverticulo in viam redeamus. Diximus initio tricennalis præſcriptionis Autorem eſſe non Theodoſium magnum, ſed juniorem. Argumentis, quibus hoc confirmant viri doctiſſimi, unicum addo, quod nondum notatum eſt: & eò validius eſt quia ſuppeditatur ab ipſo Theodoſio juniore in *l. 7. C. Theodoſ. ſi certum petat. de chirogr.* In *illa lege*, quæ triennio edita eſt ante *d. l. 1. C. de actionibus certo tempore fin.* deciditur præſcriptione triginta annorum à reo non repelli agentem condictione certi ex chirographo: quod ſecus foret, ſi vel à Theodoſio juniore dicta lex prima, vel à Theodoſio magno lex aliqua de præſcriptione triginta annorum dudum fuiſſet perlata. Hoc tantùm beneficium reo præſtatur, ſi neget ſuam manum eſſe, & probet triginta annos emenſos ſub ſilentio judiciariæ conventionis; ut ab actore priùs debitum probetur, quod poſt probationem tunc repoſcitur; remota ſequeſtratione pecuniæ poſtulatæ, quæ omnino neceſſaria erat actione ante triginta annos inter viventes inſtituta, ubi reus manum ſuam negabat litigaturus ex falſo. Intra civiles iſtos & legitimos terminos hæc noſtra obſervatio videtur coërcenda: ſed ne quis eos avellere, vel exarare præſumat, Alexandri III. autoritate muniemus, qui *cap.* 8 *de præſcriptionibus* ſtatuit his verbis. *Licet quidam canones tricennalem præſcriptionem comprobent; Eccleſia tamen Romana minorem præſcriptionem, quàm quadraginta annorum non admittit.* Ita fit ut in hoc præſcriptionum jure omnia cohæreant, & ſummorum Pontificum auto-

annorum ſpatio præſcribi ex *cap. 9. extra de præſcript.* quod eſt Gregorij I. Sed de finibus privatorũ prædiorum inter duo Monaſteria loquitur; non de finibus publicis Parœciarum vel Epiſcopatuũ vel Provinciarum.

* Territorium impropriè accipitur pro ipſa poſſeſſione in fine *d. can.* 5. Sed ea verba proculdubio non eſſe Gelaſij Autoris Canonis, monuimus ad *Quæſt.* 5. *C.* XVI.

* Ἐπιορῥησκεία.

ritate & diligentia ſublata ſit omnis diverſitas. Et revera in *dicto cap.* 8. Alexander III. temporis ; poſt Alexandrum verò Urbanus III. [*cap. 4. de Parochiis*] limitum differentias ſuſtulit, ut ſuprà oſtendimus. Nec tamen inficior in hac obſervatione, ſicut & in aliis, illectas ſpicas jacere, quas ſi non occupaverint alij, ſuo tempore legemus.

Cap. IV.

De Interruptionibus Præſcriptionum.

Contra exemptionem & præſcriptionem, quas *cap. præcedenti* Abbatem Eveshamiæ conjunxiſſe diximus, Vuigornienſis Epiſcopus interruptionem, contrarium uſum, & contrariam etiam præſcriptionem allegabat. Sex autem interruptionis & contrarij uſus modos probare nitebatur in locis, quæ dicebantur exempta: proceſſionem Pentecoſtalem, receptionem & procurationem Archidiaconi, ſolutionem denariorum ſancti Petri, cognitionem cauſarum matrimonialium, Capellani ſuſpenſionem, poſtremo interdictionem. Tentari poteſt ex illis ſex modis tres tantùm ultimos juſtos eſſe & legitimos; reliquos minùs eſſe ſolemnes. Hæc quæſtio difficilis eſt & impedita; quia tamen utilis eſt & erudita, illam accuratiùs excutiemus. Obſervandum præſcriptionum interruptionem & uſurpationem multis modis contingere, vel amiſſa poſſeſſione ante præſcriptionem impletam, vel interpellatione, vel uſu contrario domini. Speciales modi interrumpendi ſuprà enumerati ad uſum contrarium pertinent antiqui domini, id eſt Epiſcopi, qui juribus Epiſcopalibus uſum ſe contendit in locis, quæ dicebantur exempta. Contrarium uſum dixi: opponitur quippè interruptio præſcriptioni, ut contraria. Itaque ſi uſus ille præſcriptioni non ſit omnino contrarius, ſed tantùm diverſus, non proderit ad interruptionem. Sicut enim jure civili, qui alia ſervitute, vel alio tempore, vel aliter utitur, quàm in conſtituenda & imponenda convenerit, uſus hujuſmodi nihil ei prodeſt; & nihilominùs ſervitutem amittit, quaſi omnino non fuerit uſus *l.* 10. §. 1. *l.* 11. 17. *&* 18 *D. Quemadmodum ſervit. amit.* Ita qui uſu non contrario, ſed alio quolibet interrupit, nihil egiſſe omnino, non interrupiſſe cenſetur. His cognitis ad *cap noſtrum* redeamus. Abbas per quadraginta annos poſt impetratam exemptionem emenſos, Epiſcopum juribus Epiſcopalibus uſum eſſe negat. Contradicit Epiſcopus, uſum ſe affirmat, & ſingula jura recenſet. Supereſt diſquirendum in ſingulis. Primò, an ſint verè & propriè Epiſcopalia jura; deinde an Abbatis exemptioni aut præſcriptioni, non genere quodam contrarij, ſed exquiſitiſſimo & per eminentiam κατ' ἀντίφασιν opponantur, ita ut directò exemptioni, vel præſcriptioni obſtent.

πρόσοδος in veteri inſcriptione ιος Βελῖν ϗ δι-

Primum interruptæ poſſeſſionis argumentum proponitur Pentecoſtalis proceſſio, quam à civitate Vvigornia in loca, quæ dicebantur exempta, duxerat Epiſcopus. Quid per proceſſionem intelliga-

tur videndum. *Publica proceſſio*, ait doctiſſimus Cujacius; *quæ* δημόσια πρόσοδος *apud Iuſtin. Nov.* 67. Explicatiùs idem in *Nov.* 125. ſub finem, δημοσίας προσόδου, ait dici in *Nov* 67. *publicas rogationes*, λιτάς *, *litanias l.* 3. *C. de hæret. inventum recèns Mamerti in Gallia:* hæc Cujacius. Ut res intelligatur planè & ex arte, notio varia nominis diſtinctè eſt explicanda, & homonymia removenda. Et quidem proceſſus & procedendi, in veteri jure civili & apud antiquiores Autores, remotiores ſunt ſignificationes, quàm ut hîc congerantur. Quæ propiùs huc ſpectant, & ex jure civili novo repetuntur, doctiſſimi Gloſſographi ad Julianum expoſuerunt Ex jure illo civili novo, licet Autores canonum ſuam publicam proceſſionem, & procedendi verbum repetierint; ſenſum tamen immutarunt: imò aliter antiqui canones, aliter novi & decretales accipiunt. Gelaſius in *can. certum de Conſecratione Diſt.* 1. publicam frequentationem interpretatur: [*noſtris eſt præceptionibus conſtitutum, ne quis in Eccleſia, aut in oratorio, quod ſedis noſtræ non legitur permiſſione dedicatum, proceſſionem publicam putaret impendi.*] Idem vocat proceſſionis aditum *can.* 26. & 27. XVI. *Qu.* 7. juncto *can. preſbyteri Diſt.* XXIV. Et quod notatu dignum in *can.* 17 Concilij Laodiceni, σύναξις vetus Interpres antiquior Gelaſio, proceſſionem vertit; Dionyſius Exiguus conventum. Et contra in *can.* 56. ejuſdem Concilij, εἴσοδος Dionyſius proceſſionem vertit; vetus Interpres, introitum. Quæ dicitur publica proceſſio in *epiſtola* 41. *libri quarti Regiſtri* Gregorij I. in *epiſtola* 43. *ejuſdem libri* explicatur popularis conventus; populorum conventio in *l.* 10. *C. de hæretic.* Eadem notione in *veteri Ordine Romano* procedere, & proceſſiones paſſim uſurpantur.

Ex his conſtat antiquitùs in Eccleſia publicam proceſſionem δημοσίαν πρόσοδον, εἴσοδον, σύναξιν, publicam frequentationem, popularem conventum, proceſſionis aditum, introitum in Eccleſiam, pro eodem ſumi, etiam in *dicta Nov.* 67. ſi rectè intelligatur, junctis *Nov.* 5. *cap.* 1. 57. *cap.* 2. & 131. *cap.* 7. Apud recentiores autem ut plurimum proceſſio ita ſpecialiter accipitur, cùm ab una Eccleſia in aliam Clerus ſimul & populus progrediuntur ſupplicationis & orationis gratia: quo caſu fateor quidem, opus eſſe priùs publico conventu & congregatione: ad condictum debent omnes priùs convenire in aliquam Eccleſiam, à quo deinde in aliam labaro Crucis prælato, Clero præeunte, populus procedat orandi cauſa. Quæ forma ut neceſſaria præſcribitur *Nov* 123. *cap.* 32. Ita per partes factum eſt, ut nomen generis ſpeciei vulgò tribuatur. Eadem forma litaniæ primò dictæ ſunt quælibet preces & ſupplicationes, quæ in cœtibus publicis celebrandis in Eccleſiis ritè fieri ſolent, *dicta l.* 3. *C. de hæret.* juncta *l.* 30. *C. Theod. eod.* Deinde ad eas, quas vulgò proceſſiones nominamus, *dicta Nov.* 123. poſtremò ad ſolemnes & ſtatas [certis anni temporibus] rogationes traductæ ſunt. Eadem etiam varietate ſynaxis, communio, collecta, concio & Miſſa, pro temporum, rerum & uſus mutatione diverſè intelliguntur,

μοι in *Marmoribus Arundelianis* pag. 42. loco à Seldeno non intellecto.

* λιταί, litaniæ producto vocabulo: προσ-όδοι Parabolani inflectione Romana.

Vide Gregorium *lib.* 2. initio, ubi indic-

tionis forma proponitur: & notata ad Sidonij *epiſt.* 14. *lib.* 5. & 1. *lib.* 7. de rogationibus à Mamerto inſtitutis.

--- Ita verborum vetus interit ætas,
Et juvenum ritu florent modò nata, vigentque.

Sed ut ad proceſſionem publicam redeamus, ſive generaliter pro qualibet congregatione & conventu populorum, ſive ſpecialiter ſumatur, ut nunc fit, pro proceſſione in publicum ab una Eccleſia in aliam; jus non videtur immutatum, quia eadem ratio & cauſa manet, orandi & ſupplicandi ſcilicet. Itaque quod in *dict. can. Frigentius*, *can. Pia mentis*, & *ſimilibus* de antiqua proceſſione dicitur, *Proceſſionis aditum Chriſtianis omnibus in commune deberi*; idem in nova proceſſione ſtatuendum eſt. Ex his colligitur proceſſionem, de qua in *dicto cap. Auditis*, non eſſe jus aliquod Epiſcopale, ſed ad omnes omnino Chriſtianos pertinere; niſi pœnis Canonicis inhibeantur, niſi banno Chriſtianitatis innodentur. Monaſteria tamen ſpecialibus privilegiis à publica proceſſione & populari conventu ſolebant eximi; ut eorum quieti conſuleretur *dictis epiſtolis* Gregorij, & aliis plerisque exemptionis privilegiis antiquis & novis. Eadem etiam jura Eccleſiis quæ ad Monaſteria pleno jure pertinent, ſenſim cœperunt concedi, ut ſuprà diximus. Et his caſibus, obſtante titulo exemptionis, privilegio ſcilicet, interruptio & contrarius uſus non ſufficiebat, niſi tempore legitimo, id eſt ad contrariam præſcriptionem neceſſario juvaretur; ut ita jus antiquum privilegio ademptum Epiſcopus reciperet. Quare rectiſſimè in *cap.* 17. *de privilegiis*, quod ſuprà explicuimus, non tantùm interruptionem, ſed etiam præſcriptionem Vvigornienſis Epiſcopus allegavit, ut apertè conficitur ex his verbis decretalis, *Quoniam à neutra parte præſcriptio probata eſt.* Ut abſoluatur hæc quæſtio, breviori tempore contra privilegia & exemptiones præſcribitur, triginta ſcilicet annis: res enim faciliùs ad ſuam redeunt naturam *cap.* 6. *de privileg.* Cui non obſtat *cap.* 15. *eod.* in quo res non redit ad naturam; ſed exemptus adverſus exemptum præſcribit. Et hæc de primo interrumpendi modo per proceſſionem.

Secundus ad receptionem & procurationem Archidiaconi pertinet, quod jus competit Archidiaconis tanquam Epiſcoporum vicarii: ideóque Archidiaconi interruptio & factum prodeſt Epiſcopo. De hoc jure Archidiaconorum agitur paſſim *titulo de officio Archidiaconi.* [illegible] ſuos habuerunt Græci, quibus hoc munus injunctum, ſicut & aliquando apud Latinos viſitatoribus. Quin & Epiſcopi viſitare ſolent: & illis omnibus ratione viſitationis ſubſidium, ſolatium, impenſæ neceſſariæ & procurationes ab Eccleſiis quas viſitant, exhibentur. Quod jus adeò ſingulare eſt, ut nec poſſit præſcribi. Speciali tamen privilegio procurationis onus poteſt remitmitti, non tamen ipſum jus viſitandi, quod & nominatim in exemptionibus concedendis, Epiſcopis ſolet reſervari, Gregori. I. *epiſt.* 18. *lib.* 7. & aliis, *cap.* 11 & 16. *de præſcript. cap.* 14. 17. 24. 25 *de cenſibus* & *cap.* 1. *de Offic. judic. Ordin. in extravag. communibus.* Non ſemper ergo ſufficit interruptio, ſed etiam aliquando perficienda eſt præſcriptio contraria; quando vel ſpeciale privilegium, vel præſcrip-

tio

tio legitimo modo completa veteri domino obiicitur, ut in hoc caſu.

Tertius modus ſequitur de ſolutione denariorum ſancti Petri, quod jus Epiſcopis lege Diœceſana & jure communi non competit. Pertinet enim ad ſummum Pontificem ex conceſſione & liberalitate Regum Angliæ. Solebat autem ſummus Pontifex ad illam collectionem Epiſcopos delegare *cap.* 12. *de Cenſibus.* Hoc jus qua'e ſit ex hiſtoria Angliæ facile eſt repetere; maximè ex *notis & ſpicilegio* doctiſsimi Seldeni ad Eadmerum, in quibus refert *epiſtolam* Guillelmi primi *ad Gregorium VII.* qua jus illud confirmatur. Pertinet etiam ad hujus vectigalis exigendi modum & formam *articulus* 18. in *legibus Angliæ* veteri lingua Gallica conſcriptis, & nuper ab eodem Seldeno ibidem editis, quæ Guillelmo primo tribuuntur. Aliquando verò Epiſcopi minùs erant attenti in hoc munere obeundo, qua de re conqueritur Innocentius III. in quibuſdam reſcriptis nuper editis à clariſsimo Senatore Divionenſi Paulo Maïo: ideóque cogebantur ſummi Pontifices alios quæſtores & collectores committere. Non abſimile jus exigendi denarij in ſingulas domos Albigenſibus hæreticis ereptas, in iiſdem reſcriptis Innocentius III. committit Simoni Comiti Montisfortis. Ex quibus apparet hoc jus propriè non eſſe Epiſcopale. Quia tamen ſæpiſsime Pontifices Epiſcopis hanc curam injungebant; non impropriè ad officium & jus Epiſcopale refertur ex Angliæ conſuetudine: quo caſu interruptioni locus eſſe poteſt, ſi collectionem alij ſibi arrogent: ſi verò ab initio aliis conceſſa ſit, poterit etiam ab Epiſcopo præſcribi.

Vide Anſelmum Cantuarienſem *lib.* 3. *epiſt.* 85. & *notas* pag. 129. ut & quæ habet Matth. Paris de vita Offæ Merciorũ Regis. Itemque *acta* in proditores pulverariæ conjurationis Anglicæ *pag.* 190. & 191.

De tribus reliquis juribus Epiſcopalibus, de quibus *hoc capite*, nulla eſt difficultas. Conſtat enim inter omnes cognitionem cauſarum matrimonialium, jus interdicendi & ſuſpendendi, ad Epiſcopalem juriſdictionem ita pertinere, ut in illis præſcriptioni & interruptioni locus ſit. Ideò verò ſigillatim enumerata ſunt illa jura; quia, ut oſtendimus, non idem jus eſt receptum in ſingulis: deinde quia, ut monuimus, in his quæ non ſunt nominatim conceſſa vel præſcripta, Epiſcopo jus manet integrum. Totius itaque diſputationis brevis hæc ſit conjectio. In his juribus, quæ adverſus Epiſcopum præſcribi poſſunt, ante impletam præſcriptionem neceſſaria eſt interruptio. In his quæ præſcribi non poſſunt, ſed tamen ſpecialiter poſſunt concedi [& revera conceſſa fuerunt,] ut procurationis onus, interruptio non ſufficit, ſed contraria præſcriptione eſt opus. Poſtremò, quia quædam nunquam poſſunt præſcribi, nec concedi niſi rariſſimè, ut viſitatio, de qua ſuprà; in his & interruptio & præſcriptio non deſiderantur: ſunt enim hujuſmodi, ut Epiſcoporum æterna ſit autoritas.

CAP. V.

De antiquo ſtatu Religioſorum in Gallia.

EXEMPLO juris Autorum, ſuperioribus diſſertationibus hanc ultimam ſubiiciemus; quia communia quædam omnibus com-

De vitæ Monaſticæ origine

plectitur. Frequentem enim de Monachis & eorum inſtitutis fecimus mentionem. Generalis tamen tractatio intra certos fines conſiſtet: nec enim Gallia noſtra excedimus; alioquin ſi produceretur ultra, propter copioſam rei varietatem, non unica diſſertatione, ſed libro eſſet opus. In hac autem diſſertatione ſervabimus hunc ordinem, ut primùm aliquot antiquiora & celebriora Monaſteria recenſeamus: deinde Inſtitutiones & Regulas ſingulorum indicemus. Non incommodè incipiemus à quodam *capitulari interrogationum* Caroli Magni, quod anno imperij ſui undecimo edidit, & habetur *tomo 2.* Concil. Galliæ. Continet enim totius noſtræ diſputationis ſummam. In *cap.* 12. proponitur hæc quæſtio. *De converſatione Monachorum, & utrum aliqui Monachi eſſe poſſint, præter eos qui Regulam ſancti Benedicti obſervant.* * *Inquirendum etiam ſi in Gallia Monachi fuiſſent, priuſquam traditio Regulæ ſancti Benedicti in has parochias perveniſſet.* In alio verò *capitulari interrogationum*, quod ſequitur proximè, eandem conſultationem ita proponit, ut reſponſioni viam paret *cap.* 12. * *Qua Regula Monachi vixiſſent in Gallia, priuſquam Regula ſancti Benedicti in ea tradita fuiſſet, cùm legamus ſanctum Martinum & Monachum fuiſſe, & ſub ſe Monachos habuiſſe, qui multò ante S. Benedictum fuit.* Autor ergo & fundator Monaſteriorum primus in Gallia noſtra S. * Martinus, qui ab Auxentio Epiſcopo Ariano, deceſſore Ambroſij, Mediolano exturbatus, ubi Monaſterium ſibi ſtatuerat, in Gallias rediit: & amicitia & inſigni pietate Hilarij magni incitatus, non longè à Pictava civitate ſibi Monaſterium collocavit. Poſtremò apud Turones duo Monaſteria, duorum alterum quod majus Monaſterium dicitur, duobus ferè extra civitatem millibus ſibi conſtituit. Primum itaque Monaſterium Martini Mediolani: ſecundum propè civitatem Pictavam: tertium & quartum apud Turones fuiſſe colligitur ex ejus diſcipulo Sulpicio Severo *lib. 1. de vita Martini cap.* 3. & 7. Gregorio Turonenſi *hiſt. lib. 1. cap.* 48. ex Abbate Jona initio *vitæ Columbani*, & ex Anonymo ſcriptore de *geſtis Epiſcoporum Turonenſium & Abbatum majoris Monaſterij:* qui tamen Sulpicij & Gregorij mentem non videtur percepiſſe.

Nicephorus *li.* 8. *cap.* 39. 40. & 41. & *lib.* 11. *cap.* 34. 35. uſque ad 44. Theodoretus *l.* 4. *cap.* 24 & 25. & *tota hiſtoria ejus* religioſa. Iſidorus Peluſiota *epiſtola* 87. *ad Monachas Sandalarias.* De Monachorum & Cœnobitarum continentia & moderatione in Eccleſia, S. Auguſtinus *lib.* 1. *de moribus Eccleſiæ Cathol. cap.* 24. 31. & *ſeqq.* & *epiſtola* 109. quæ ſeorſim nuper edita & illuſtrata fuit. Item Ivonis *epiſtola* 192. Iſidori Peluſiotæ *lib.* 3. *epiſt.* 351. Vide Chryſoſtomum *libris adverſus vituperatores vitæ monaſticæ.* Nimia curioſitas Monachorum eis obeſt: ob eam damnatus Eutyches in Concilio Chalcedonenſi, vide Photium pag. 878. in *excerptis Eulogij.* De privilegiis Monachorum & Monialium, ut impuberes teſtari poſſint Sozomenus *lib.* 1. *cap.* 9.

* Sozomenus *lib.* 3. *cap.* 13. ait συνοικίας, ſeu conventus Monachorum ſerò in Europa innotuiſſe. Vide Haymo. Halberſtat. in *breviario hiſt. Eccleſ. lib.* 10. *cap.* 8. pag. 136. ubi & de S. Martino.

* Adde *can.* 22. Concilij Cabilon. ſub Carolo Mag. *tomo* 2. Concil. Galliæ pag. 312.

* De S. Martino vide Sozomenum *lib.* 3. *cap.* 13. in fine, & *lib.* 6. *cap.* 27. 28. & 29. Unde non malè Sulpitius in *Dialogis* Martinum Græcis notum ait. Adde Paulini *epiſtolam* 28. ubi de Victricio quoque Rothomagenſi qui Monaſteria quoque inſtituit; & Gallonium de *Monachatu* S. Gregorij pag. 29. & ſeqq. & pag. 64. Ubi nota facinus Gratiani, qui ſancti Martini mentionem in *can. Sunt nonnulli* XVI. *Q.* 1. ſuſtulit.

Vide & quæ de eo diximus in *præfatione ad Tractatum de Statu Regularium.*

Non multo poſt Martini tempora, in inſulis maris Gallici plura Monaſteria eodem tempore extiterunt. Inter reliqua Leronis & Lerini fuerunt celeberrima, in quibus Capraſius ſenex, & Honoratus prima Monaſteria inſtituerunt; Honorato Maximus, & deinde Fauſtus ſucceſſerunt: ex Abbatibus omnes Epiſcopi. Ad ſanctos illos Patres in inſulis Angelica converſatione degentes, ſeptem ultimas collationes ſcribit Joannes Caſſianus, qui & ipſe apud Maſſilienſes multa fundavit Monaſteria, quæ inter antiquiſſima rectè numerabimus. Non longo intervallo Grininceuſes ſunt à Lerinenſibus ſeparandi. Conjungit enim utroſque Sidonius, ut emendatioris & arctioris Regulæ obſervatores *lib. 7. epiſt.* 17. Grininceuſes autem in provincia Viennenſi doctiſſimus Interpres collocat. In *eadem epiſtola* Monaſterij vrbis Arvernorum meminit; quod Gregorius Turonenſis *lib. 2. cap.* 21. B. Cyrici Monaſterium vocat. Et ſanè in ea parte Galliæ, quæ remanſit ultima ſub Romanorum imperio, plures inſigni pietate illuſtres vixiſſe conſtat, ex quibus Epiſcopi ſolebant eligi; quibus vix ulli eo tempore morum ſanctimonia & eruditione pares extiterunt, ut pridem aliis notatum. Præter enumerata, Jurenſia Monaſteria memorat in Burgundia idem Sidonius *lib. 4. epiſt. ult.* Non erit alienum, alia plura in Burgundiæ regno animadvertere, veluti ſancti Mauricij Agaunis à Sigiſmundo ædificatum, Auguſtodunenſia & Luxovienſia, de quibus *cap. 2.* dictum eſt, quæ ante Benedictum fuere notiſſima. Quin & alia * reperiri poſſe non dubito: ſed hæc ſufficiant, ut indicetur origo: & ſatisfiat primæ parti Conſultationis Caroli Magni, utrum aliqui Monachi fuiſſent in Gallia ante Benedictum.

Stæcadibus ſcilicet, Caſſianus in *præfatione ad Honoratum & Eucherium* in fine, & in *præfatione poſtrema ad Iovinianum & Minervium.*

De Monachis qui in ſuis Monaſteriis facti fuerunt Epiſcopi, Sozomenus *lib. 6. cap.* 34. & Nicephorus *lib. 2. hiſt. Eccleſ. cap.* 15. *&* 16. *lib.* 9. *cap.* 14. 15. 16. *&* 17. *& lib. 11. cap.* 39. *&* 40. Nota ex S. Chryſoſtomo *lib. 3. de Sacerdotio cap.* 15. non omnes bonos Religioſos eſſe bonos Epiſcopos. Adde eundem *lib. 6. toto*, ubi de differentia inter Epiſcopum & Monachum. Contra eos verò, qui Chryſoſtomum nolunt Monachum fuiſſe, Suidas in *dictione* Ἰωάννης, ἀσκητὴς ἦν ἐκ νέου. Vide poſt quintam Synodum, Juſtiniani edictum de fide, & in *Iure Orientali* pag. 544. Ubi Juſtinianus ait Chryſoſtomum in eodem Monaſterio vitam monaſticam coluiſſe, in quo & Theodorus, qui poſtea Mopſueſtiæ Ciliciæ 2ª. Epiſcopus fuit, qui in 5. Synodo damnatus eſt; & ad quem ſpectat oratio Chryſoſtomi inſcripta ad Theodorum lapſum.

* Monaſterium putà S. Eugendi, vulgò *ſaint Oyan*, de quo Avitus *epiſt.* 17. Monaſterium Reomaenſe in Tornodorenſi Archidiaconatu, ſub Epiſcopatu Lingonenſi: Miciacenſe ſub Clodovæo I. apud Aurelianenſes ab Euſpicio conditum, cui ſucceſſit S. Maximinus: Autiſſiodiorenſe fundatum à S. Germano: Segeſtrenſe à Sequano: item S. Benigni Divionenſis, cujus primus Abbas Euſtaſius.

Sequitur ſecunda pars majoris momenti, *Vtrum aliqui eſſe poſſint, & qua Regula vixiſſent.* Utriuſque quæſtionis proponendæ quaſi de re dubia & ignota temporibus Caroli Magni, cauſa reperitur in Concilio Cabilonenſi ſecundo *can.* 22. his verbis. *De Abbatibus verò & Monachis idcirco hic pauca ſcribimus, quia pene omnia Monaſteria*

Idem in An-

glia contigiſſe obſervat Seldenus *ad Eadmerum in Notis* pag. 200.

Regularia in his Regionibus conſtituta ſecundum Regulam ſancti Benedicti ſe vivere fatentur. Aiunt Patres Concilij : *Pene omnia.* Quædam enim etiam poſt Benedictum antiqua Patrum ſtatuta retinebant, quod eis licebat. Præclarum illius libertatis habemus exemplum in *privilegio* conceſſo à Bertefrido Ambianenſi Epiſcopo Monaſterio Corbeienſi, cui liberum relinquitur ſanctorum Benedicti, vel Columbani Regulam obſervare.

Inquirendum nunc eſt eodem ordine de Statutis & Regulis antiquis, quo de Monaſteriis egimus ſuprà. Obſervandum priùs generaliter in Occiduis Galliæ partibus Monachorum Regulas, vel ab ipſis Occidentalibus Patribus repertas, vel ab Orientalibus Monachis fuiſſe repetitas, vel mixto quodam jure temperatas. Ita Martinus certam vivendi rationem ſuis Monachis præſcripſit, de qua Sulpicius in ejus *vita cap. 8.* qui Sulpicius unà cum Poſthumiano in Orientem profectus eſt, ut cognoſceret, *Qualiter in Oriente fides Christi floreret, quæ Sanctorum quies eſſet, quæ inſtituta Monachorum.* Peregrinationis ſuæ hiſtoriam ediſſerit ipſe *dialogo primo*, quem *de virtutibus Orientalium Monachorum* inſcripſit, quos Occidentalibus ubique præfert. Honoratus etiam, cui Capraſius Orientalium diſciplina inſtitutus, Græcus origine ut aiunt, meritò eſt adjungendus, Lerinenſibus regulas dederunt ſimul. Honoratus etiam, ſicut & Sulpicius in Orientem peregrinationes ſuſcepit, ut ſi qua probaret ex Orientalium inſtitutis in ſua transferret. Eminet tamen inter omnes Joannes Caſſianus, qui libros elegantiſſimos de Inſtitutis Renunciantium conſcripſit poſt longas in Oriente moras, & frequentes converſationes & collationes cum Monachis Orientalibus.

Vide *hiſtoriam* Reomaenſis Monaſterij in Diœceſi Lingonenſi, hodie *Monſtier S. Iean*, pag. 496. & ſeq. ubi de variis Regulis Monaſteriorũ.

* Idem Caſſia. *lib. 2. cap. 3.* initio.

Adnotandum etiam in Occidente, maximè verò in Gallia, varia fuiſſe ſtatuta, varias regulas. Pro unius cujuſque ſcilicet inſtituentis Monaſterium arbitrio, vel diminuebatur, vel addebatur aliquid. Unde ſicut ſtatuta Lerinenſium, & ſtatuta Grinincenſium, ut diverſa, memorat Sidonius *dicta epiſt. la 17. lib. 7.* ita & Martini & aliorum per Gallias diverſa fuiſſe non dubiro. Qua de re conqueritur Caſſianus *præfatione in 12. libros de Cœnobiorum inſtitutis* : & ut huic malo occurreretur, ad ſcribendum ab Epiſcopis quibuſdam Galliæ inductum ſe dicit. * *Per univerſum, quippe, Ægyptum, Thebaidem & Palæſtinam, non pro uniuſcujuſque renunciantis arbitrio, inſtituuntur Monaſteria ; ſed per ſucceſſiones ac traditiones majorum uſque in hodiernum diem vel permanent, vel permanſura fundantur :* ita loquitur Caſſianus. Rationem verò varietatis Regularum in Gallia & in Occidente ita reddit. *Ideò diverſitates typorum ac regularum per cateras provincias cernimus uſurpatas ; quod plerumque ſeniorum inſtitutionis expertes Monaſteriis præeſſe audemus : & Abbates nos, antequam diſcipulos profeſſi, quod libitum fuerit ſtatuimus ; promptiores noſtrorum inventorum cuſtodiam exigere, quàm examinatam majorum ſervare doctrinam lib. 2 de Renunciantium inſtit. cap. 3.* Sed nec ſuorum librorum elegantia & doctrina ſalubri, nec Epiſcoporum diligentia obtinere potuit Caſſianus, ut unam & eandem vivendi rationem ſequerentur omnes Monachi. Pro cujuſque fundatoris arbitrio, Baſilij, Lerinen-

ſium, Grinincenſium, Caſſiani & aliorum Abbatum regulæ accipiebantur, ut ex *dicta* Sidonij *epiſtola* conſtat, & ex Gregorio Turon. *lib.* 10. *cap.* 29. Imò & novæ inſtituebantur, ut Cæſarij & Columbani, de quibus *cap.* 2. & aliorum. [Verùm Caſſiani ſententiam probaverunt tandem ſummi Pontifices in *cap. ult. de Religioſis domib. & cap. un. eod. tit. in* VI. vide *Nov.* 67. initio, & *can.* 1. Synodi primæ ſecundæ.] Sed ne quis obiiciat importunè nos aliquid alienum à Juriſconſulto tractare; meminerit ipſos Principes Monaſteriorum diſciplinam ad ſuam curam revocaſſe, ut ex noſtro jure conſtat; maximè verò ex eruditiſſimis Juſtiniani *Novellis*, ex Regum noſtrorum *Conſtitutionibus* & Conciliis Gallicanis, ex quibus antiquos & novos Monaſteriorum fundatores hauſiſſe optima quæque facile demonſtraverimus. Et hæc ad ſecundam partem conſultationis Caroli Magni, de regula & diſciplina, qua utebantur in Galliis Monachi ante Benedictum. Concludemus autoritate Gofridi Vindocinenſis *Sermone undecimo in feſtivitate beati Benedicti* pag. 408. *Fuerunt ante ſanctum Benedictum Abbates, & Abbatum inſtitutiones, ſicut ante Chriſtum Legiſlator extitit Moyſes.* Imò & in Italia antè Benedictum, *eodem ſermone* Romani cujuſdam Monachi meminit, quem conſiliatorem & adjutorem Benedicti, eíque Religionis habitum ait tradidiſſe. Eundem Romanum in initio converſationis ſancto Benedicto adjutorem ac cooperatorem extitiſſe refert Adrevaldus Floriacenſis *libro de Miraculis S. Benedicti cap.* 8. Fuiſſe alia plurima in Italia Monaſteria multò ante Benedictum, præcipuè in inſulis & ſeceſſibus fundata, vel ex ſcriptis Gentilium conſtat. Latebras enim & ſolitudines ſolebant captare; unde & nomen, & ab obtrectatoribus convitia. Frequentia Monachorum in Italia notæ inſulæ Gorgon & Capraria, vel ex aculeatis verſibus Rutilij Numatiani, [& ex *ſcriptis* Gregorij primi.]

Equitius ſcilicet, & alij plerique, de quibus vide *Apologet.* Gallonij *de Monachatu S. Gregorij.* Quin & Columbanus tranſiit in Italiam, & Monaſterium Bobienſe fundavit, & ibi mortuus eſt anno uno poſt fundationem, Jonas Autor *vita* Columbani *cap. ult.*

Venimus tandem ad Benedictum, de cujus origine, vita & inſtitutis plurimi ſcripſerunt. Ad propoſitum noſtrum ſpectat, quo tempore & per quos ejus Regula innotuit in Galliis. Regnante in Gallia Theodeberto filio Childeberti & Brunichildis, Berthramnus Cœnomanicæ urbis Epiſcopus Legatos miſit ad Benedictum, ut ei perfectiſſimos in Religione fratres dirigeret, qui Monaſterium ſecundùm Regularem ordinem inſtituerent. Benedictus Maurnm cum aliis quatuor fratribus miſit; Mauro diſcipulo tradito Regulæ libro, quem propria manu ſcripſerat. Nec omittendum ante Mauri adventum in Gallias, Romanum, quem ſuprà diximus Religionis habitum Benedicto tradidiſſe, relicta Italia in Gallias tranſiiſſe, & in pago Autiſſiodorenſi conſtitiſſe, quem Maurus ſtatim adiit, mandata omnia Benedicti ei communicaturus. Hæc Adrevaldus Floriacenſis *lib.* 1. *capp.* 6. 7. & 8. ex Fauſto Mauri ſocio referre ſe aſſerit *d. cap.* 6. Romanus ergo primùm; deinde miſſi à Benedicto labantem Monaſteriorum diſciplinam in Gallia reſtituerunt tantùm, non autem induxerunt. Regula autem Benedicti nova non eſt, & antiquis incognita, ſed eam ex omnium præcedentium Patrum ſcriptis compoſuit, Caſſiani & aliorum exemplum ſecutus, qui ab Orientalibus ſuas inſtitutiones

Adde vitam Romani & Fauſti.

petierunt. Gofridus *d. Sermone de Benedicto pag.* 410. *Antiquorum ſtatuta Patrum, tanquam dura legis auſteritatem temperans, nova gratiæ filios procreavit: illa quaſi vetera penè vel penitùs omnia tranſierunt, & ecce à S. Benedicto facta ſunt nova*, &c. Uſus verò eſt maximè Benedictus ſcriptis Baſilij & Caſſiani: ex aliorum verò Regulis etiam quædam tranſtulit, & omnia temperavit. Unde non mirum ſi omnia ferè Monaſteria eam Regulam fuerint amplexata, in qua omnes aliquid ſuum agnoverunt; adeóque brevi tempore per Gallias propagata eſt, ut in Conciliis Galliæ, quoties de Monachorum ſtatu agitur, frequentiſſima ſit Benedicti mentio; reliquorum prope nulla, Concil. Francofotd. *can.* 13. 14. 16. Moguntiaco *initio & cap.* 11. Rhemenſi II. *cap.* 9. Cabilon II. *cap.* 22. & in Conventu Aquiſgranenſi Abbatum Franciæ cum ſuis Monachis. Ex quo apparet Ludovicum Pium perficere conatum, quod anteà multi fruſtrà exoptaverant, ut ſcilicet per omnia Monaſteria uniformis & immutabilis mos traderetur, ſecundùm Regulam tamen ſancti Benedicti; quod Autor ejus *vitæ* confirmat.

Itaque procedente tempore, videtur obtinuiſſe ut omnes Monachi & Monaſteria Regulam ſancti Benedicti ſuſciperent. Quin & poſt tempora Ludovici Pij, Canonici Regulares & eorum Abbates, qui à Monachis perpetuò diſtinguuntur, & in Concilio Aquiſgranenſi diverſam à Monachis habent Regulam; non tantùm ſinguli, ſed integra eorum Collegia, ſpreta regula laxiori, non numquam arctiori Benedicti ſe aſtringebant. Ita Monachorum tandem unus & idem vitæ, & veſtis color diu permanſit. Exortis poſteà Ciſtercienſibus, Roberto & Alberico ducibus, cœpit & vitæ & veſtis diſtinctio. Monachi diviſi ſunt in Nigros & Albos in Gallia; in Cluniacenſes & Ciſtercienſes. Et qua ratione veteres Monachi novam Benedicti Regulam cœperunt profiteri; eadem Cluniacenſes plerique laxata diſciplina, regulam Ciſtercienſium ſeveriorem ſunt ſecuti. Unde & æmulatio, & frequentes rixæ inter Bernardum & Petrum Venerabilem, ut ex utriuſque *epiſtolis* diſcimus. Extant etiam illius mutationis veſtigia in *cap. 6. de Reſcript. & cap. Recolentes de Præbend.* Aliæ plures poſt Ciſtercienſes inſtitutiones Monachorum, non tantùm colore veſtis & tunicâ diſtantes, ſed etiam vitæ genere. Denique poſt varias viciſſitudines & poſt multa annorum curricula, jus antiquum Galliæ & Occidentis aliquatenùs videtur revocatum; quo varia fuiſſe ſtatuta & inſtitutiones diverſas pro arbitrio Renunciantium oſtendimus. Sed de his, intelligentibus ſatis.

Nondum planè munere ſuſcepto defuncti ſumus. Hæret adhuc ſcrupulus de Juriſdictione in Monachos. Certum eſt enim varias illas inſtitutiones & ſtatuta pertinere tantùm ad diſciplinam, non ad Juriſdictionem, quæ ut *cap.* 1. notavimus, competit Epiſcopis in Monachos, Laïcos & Clericos, licet non eodem modo. Lege Diœceſana pertinet in Monachos, etiam exemptos; ſive exemptiones illæ ſint antiquæ, ſive mediæ. Illis enim tantùm electio & libera rerum diſpenſatio relinquitur, quod multis privilegiis confirmavimus *cap.* 2. Addimus Floriacenſe à Joanne VIII. conceſſum in Concilio Trecenſi, generali provinciarum Galliæ: quo privilegio nihil ampliùs continetur, ſed tantùm, ut ait Pontifex, antiquiora privilegia multorum Epiſcoporum confir-

mantur ſuper electione Abbatis; & bonorum diſpenſatione: nihil hîc de Juriſdictione. Noviſſimàs tamen exemptiones, ne circumſcribamur, excipimus. De juriſdictione quod ſupereſt abſoluamus paucis, & in re difficili πλύνοιαν, non [illegible] conſectemur. Juriſdictionem ſuam in Monachos defendunt Epiſcopi Concilij Chalcedon. *can.* 4. 7. 8. 18. 23. *&* 24. quibus jus novum non continetur, ſed vetus Eccleſiæ traditio conſervatur. Quid verò tam multis Canonibus promulgandis occaſionem dederit ex *actis* Concilij diſces, & ex Liberati *breviario cap.* 10. 11. 12. *& ſeq.* Chalcedonenſes illos Canones perpetua ſerie temporum in omnibus Eccleſiis, in Gallicana verò potiſſimùm receptos, probatos, & ſæpiſſimè repetitos, colligo ex Andegavenſi I. *can.* 8. & aliis notatis ad *cap.* 1. *Epiſtola* Zachariæ Papæ *ad Pipinum cap.* 9. *&* 10. Vernenſi Concilio ſub Pipino *can.* 10. 12. 13. Aquiſgranenſi ſub Carolo Magno *can.* 23. 24. 26. 29. Ad eoſdem Canones recurrunt Hincmarus Remenſis, & Fulbertus *Epiſtola ad Richardum Abbatem & Monachos ſancti Medardi*, & ad eos alludit *Epiſtola ad Gauſlinum Abbatem*. Quare Ivo Carnotenſis prudentiſſimè *Decreti ſui ſeptimam partem de Monachis* incipit à *dicto can.* 4. Concilij Chalcedonenſis. Gratianus ἀπάκτως illum *canonem*, & bis *can.* 8. ejuſdem Concilij inſerit *can.* 10. *Cauſa* XVIII. *Quæſt.* 2. utrumque imperitè. Hæc poſtrema nequid in noſtris Diſſertationibus hiet, ne quid protuberet; ſed ut principium & finis conveniant, ad legem Diœceſanam commodè revocabuntur.

Adde probationem regularum ad Epiſcopos pertinuiſſe ex *ſupradictis cap.* 2. §. *ultimo loco*, in fine.

Digitized by Google

& Dignitatibus & inſtitutionibus; itémque de variis contractibus, teſtamentis & ſucceſſionibus ; quibus nobis acquiri , retineri , vel amitti res ſpirituales & temporales ſolent. Agitur etiam de reſidentia, de variis Sacramentis , & reliquis officiis & muniis Eccleſiaſticis, propter quæ ab Eccleſia ſumptus & ſtipendia ſuppeditantur , & beneficia conſervantur.

His ita præmiſſis, ſequitur ut ad rubricam accedamus tituli primi *de vita & honeſtate Clericorum.* Incipiemus autem à perſonis , quia earum causâ jura omnia conſtituta ſunt. Clericorum nomen , ſicut & Cleri latiſſimè patet. Eccleſiam enim omnem complectitur & Chriſtianos omnes , ſicut & Sacerdotis nomen aliquando , Petrus in *Catholica 1. cap. 2. v. 9. & cap. 5. v. 2. & 3.* Quod ex aliis docuit Cujacius ad *paratitulum Codicis de Epiſcopis & Clericis.* Omnes quippe ſunt hæredes Chriſti Patris, *συγκληρονόμοι καὶ σύσσωμοι* ; unde & fratres mutuò ſe appellabant. Diſtinctionis tamen causâ in duas ſpecies dividuntur à Paulo Apoſtolo. Prima ſpecies eſt Cleri *τῆς διακονίας* , id eſt miniſterij , *Act. c. 1. v. 25.* ſacer Ordo. Nam paſſim *διακονία* apud Paulum & reliquos antiquiores Eccleſiæ Patres generaliter tribuitur omnibus , qui ut loquitur *lex 2. Cod. Theod. de Epiſcopis & Clericis* , divino cultui Religionis miniſteria impendunt; qui in Clerico miniſterio dicuntur conſtituti à Cypriano, nulla differentia gradus vel dignitatis adhibita. Alia ſpecies eorum eſt, qui, ut ait idem Paulus in *epiſtola ad Coloſſenſes cap. 1. v. 12. εἰς τὴν μερίδα τοῦ κλήρου τῶν ἁγίων ἐν τῷ φωτὶ* , digni facti ſunt in partem ſortis Sanctorum in lumine : & convenit etiam fidelibus Laïcis. Hæc diviſio confirmatur ab Hieronymo & Auguſtino in *can. duo ſunt.* XII. *Quæſt. 1. & in can. ult. Diſt.* IV. Species tamen prima , id eſt pars illa Cleri , quæ mancipata eſt divino officio, quam dignitas Eccleſiaſtici gradus ornat *dicto can. ult.* præſtantior & nobilior eſt ſecunda , qua Laïci continentur , qui ab Optato Milevitano *lib. 1.* nulla dignitate in Eccleſia dicuntur ſuffulti. Et eleganter in *Conſtitutionibus*, quæ dicuntur Apoſtolorum , *lib. 2. cap. 28.* Eccleſia navi comparatur , in qua Preſbyteri & reliqui miniſtri comparantur illis, qui navem gubernant; Laïci verò vectoribus. Qui locus tranſlatus eſt in *epiſtolam* quæ tribuitur Clementi *ad Iacobum fratrem Domini* , ſed corruptè. Et quidem de Laïcis nominatim *hoc titulo* non agitur, licet aliqua mentio eorum fiat in *capitulo 1. & capitulo 8.* ſed tantùm de Clericis.

Vide *epiſt.* 7. Paulini Nolani pag. 328. & p. 510. & 511. S. Hieronymi & *epiſt. de vita Clericorum ad Ruſticum.*

V. Hierony. *Dialogo adverſus Luciferianos* pag. 422.

Cleri verò *διακονίας* , id eſt miniſterij , variæ iterum ſunt diſtinctiones, quas enumerat Paulus in *epiſtola prima ad Corinthios cap. 12. 13. & 14 ad Timotheum cap. 3. 4. 5. & ad Titum* , quas ideò ſæpiùs inculcat; tum ne quis deciperetur, quia Apoſtolus Epiſcopi, Preſbyteri & Diaconi nomen promiſcuè ſæpiùs uſurpaverat ; tum etiam quia ſuo tempore plurimi ſtatus hierarchici perturbatores exoriebantur, qui nec hodie deſunt. Diaconiæ verò ſive miniſterij in Eccleſia plures gradus & ordines, quos Paulus & antiqua Concilia *βαθμοὺς* & *τάγματα* appellant. Primi ſunt Epiſcopi , qui Apoſtolorum locum obtinent : Principes & apices dignitatum in primo Sacerdotio. In primo Ordine conſtituti dicuntur ab Optato *lib. 1.* Facundo Hermianenſi

lib. 12. *cap.* 3. Sidonio Apollinari *lib.* 4 *epiſt.* 25. Sequuntur Preſbyteri proximè, qui ab iiſdem autoribus in ſecundo Sacerdotio, & ſecundo Ordine numerantur: [& in *Ordine Romano* pag. 94. ſequentis Ordinis, & ſecundæ Dignitatis viri appellantur. Et locum Preſbyterij appròpinquare Epiſcopatui, quamvis malignè contra mentem Auguſtini, verè tamen interpretabantur Hipponenſes quidam, quando ordinatus eſt Preſbyter Auguſtinus, Poſſidonius in ejus *vita cap.* 4.] Et de Preſbyteris forte intelligendum, quod habetur *Reſcripto quodam* Conſtantini *ad Chreſtum Syracuſanum Epiſcopum*, quod extat apud Euſebium *lib.* 10. *cap.* 6. *δύο γέ τινας ἐκ τοῦ δευτέρου θρόνου*; non de Epiſcopis, qui in primo ordine, primo Sacerdotio, ſunt conſtituti. Elegantiſſima eſt etiam in hanc rem *lex* quædam Theodoſij & Valentiniani à doctiſſ Sirmondo edita primùm in *appendice Codicis Theodoſiani* ordine 20. his verbis. *Audemus quidem ſermonem facere, ſolito plus timore capti, de ſanctis & venerabilibus Sacerdotibus, & ſecundis Sacerdotibus, vel etiam Levitis, & eos cum omni timore nominare, quibus omnis terra caput inclinat.* Et in fine legis apertiùs explicat Epiſcopos, Preſbyteros, Diaconos. [Innocentius I. *epiſt. ad Decentium Eugubinum cap.* 3. *Preſbyteri licet ſint ſecundi Sacerdotes; Pontificatus tamen apicem non habent.* Gregorius Nazianz. *verſibus de vita ſua*, τοὺς δευτέρους θρόνους vocat & Heiricus in *vita* S. Germani de quodam, ab Amatore Auguſtodunenſi in Preſbyterum ordinato, ait, *Promotum jubet eſſe gradus in honore ſecundi.*] Quinetiam Preſbyteri Apoſtolorum locum dicuntur obtinere *lib.* 2. *Conſtitutionum Apoſtolicarum cap.* 2. [juncta Ignatij *epiſtola ad Trallianos*:] & Epiſcoporum Comites, Confeſſores & Conſiliarij vocantur, Ἀποστόλων, οἳ καὶ τὴν πίστιν φυλάσσουσιν, σύμβουλοι τοῦ Ἐπισκόπου καὶ τῆς ἐκκλησίας στέφανος, εἰσὶ γὰρ συνέδριον καὶ βουλὴ τῆς ἐκκλησίας, quos & Apoſtoli adhibebant in conſilium, ut conſtat ex *Actis* Apoſtolorum, & Pauli *Epiſtolis* pluribus in locis. Unde Preſbyterij nomen in *epiſt. prima* Pauli *ad Timotheum cap* 4. *v.* 14. pro Epiſcoporum Senatu & conſilio. * Eodem ſenſu in *can. Eccleſia* 7. XVI. *Q.* 1. in Ancyrano Concilio *can.* 18. [in *can. legimus* 24. *Diſt.* XCIII. *can. ecce ego, & can. olim Diſt.* XCV. *can. videntes* XII. *Q.* 1. *& can.* 51. *&* 58. *ead. C. Q.* 2. & ibi Gloſſa,] accipitur. Eadémque forma contrahi Preſbyterium dicitur ab Epiſcopis, id eſt convocari Preſbyteros, conſilij causâ in *epiſtola* Papæ Cornelij inter Cypriani Epiſtolas [numero 46. ad quam vide Pamelium.] Prudentiſſimum verò propoſitum Cypriani in fine *epiſtolæ* 30. Preſbyteris & Diaconis fratribus ſcriptæ, continetur. *Ad id verò, quod ſcripſerunt mihi Compreſbyteri noſtri*, &c. *ſolus reſcribere nihil potui; quod à primordio Epiſcopatus mei ſtatuerim, nihil ſine conſilio veſtro, & conſenſu plebis, mea privata ſententia gerere.* Et quod notandum maximè in *epiſtola* 53. ad eoſdem ſcripta ſe excuſat; quòd urgente cauſa Optatum Subdiaconum, & Saturum Lectorem conſtituiſſet, abſentibus Preſbyteris & Diaconis. Quin etiam cauſam excuſationis legitimam allegat; *quia jampridem communi conſilio, Clero proximos eos fecerat:* eleganti verbo. id eſt jam deſignatos ordinationi, & proximè promovendos, utpotè jam probatos. Confirmatur ultimis verbis *il-*

De dignitate Epiſcoporũ & Preſbyterorum eorúmque Inſtitutione, comparatione & diſtinctione, vide D. Habert *libro Pontificali* Eccleſiæ Græcæ pag. 172. & ſeqq.

* Lucæ *cap.* 22. Preſbyterium & Synedrium idem: & *Act.* 20. Paulus Preſbyteros convocat.

lius epiſtolæ : quod jampridem communi conſilio omnium noſtrorum cœperat, neceſſitate urgente promotum eſt. Omnium noſtrorum : non tantùm Presbyterorum , ſed etiam Diaconorum , ad quos pariter ſcribebat, qui locis Pauli & Cypriani citatis, ſemper adjunguntur Presbyteris. Et in antiquis quibuſdam Conciliis, Occidentalibus maximè, poſt Epiſcopos Presbyteri & Diaconi conſentiunt, conſtituunt, & ſubſcribunt. Quare hi duo gradus paſſim in ſcriptis Apoſtolorum, & in antiquioribus Conciliis conjunguntur , in quibus ἱερατικοὶ diſtinctionis causâ appellantur : quo verbo ſoli Presbyteri & Diaconi propriè continentur *can.* 5. 24. 27. 30. 36. 41. 42. 54. *&* 55. Concilij Laodiceni; quos rectè vetus Interpres Altaris Miniſtros, & in Sacerdotali ordine conſtitutos exponit: malè Ferrandus Diaconos, & Dionyſius Exiguus aliquando abſolutè, Sacerdotes, interpretantur. • Inferioris gradus reliqui omnes, nempè olim Subdiaconi, & hodie Lectores, Cantores, Exorciſtæ, & Oſtiarij nomine Clericorum comprehenduntur, ut conſtat ex *dictis Canonibus*. Singulis autem miniſteria & officia certa Canonibus definiuntur; ne quis ordinem & regulam Eccleſiaſticam temeraria præſumptione violaret. Quod apertiſſimè ſtatuitur *Canonibus* 20. 21. 22. 23. *&* 27. dicti Concilij Laodiceni; quos Canones omnes ferè Collectores retulerunt. Hunc ordinem eleganter Gregorius Nazianzenus *oratione pro patre* νόμον ἀκολουθίας vocat; qui adeò neceſſarius & utilis viſus eſt, ut ſemper obtinuerit in Eccleſia : eúmque pluribus in locis aliquandiu intermiſſum, in uſum revocari, ne tanquam otioſæ traducantur functiones illæ ab hæreticis, prudentiſſimè ſtatuit Synodus Tridentina *ſeſſione 23. cap. 17. de reformatione*. Et ſanè optima illa conſilia in juris neceſſitatem converti, Eccleſiæ foret conducibile.

Ex his colligitur quis fuerit Clerus διακονίας, & in quot gradus diſtributus. Generali verò nomine in *Canonibus antiquis* omnes conſtituti dicuntur, ἐν κλήρῳ, ἐν ἱερατείῳ, ἐν τάξει, ſive τάγματι ἐκκλησίας, ἐν καταλόγῳ, ἐν κανόνι: unde & κανονικοὶ ψαλταὶ in *can.* 15. dicti Concilij Laodiceni: quibus verbis propriè & per eminentiam continentur, qui ab Epiſcopo conſecrantur; quos à Laïcis dignitate & gradu miniſterij ſeparatos diximus. Obſervandum tamen generaliùs aliquando illa verba ſumi, ut etiam comprehendant omnes, qui in notitiam, indicem & catalogum Eccleſiæ referuntur, quibus ſcilicet ſumptus ab Eccleſia ſuppeditantur : in quo ordine poſt Clericos primæ recenſentur Diaconiſſæ, quæ licet conſecrationem non habeant, ut Clerici, ſed tantùm manus impoſitionem *can.* 15. Chalcedonenſis Concilij; tamen ſpecie tenus & habitu videntur eſſe de Clero τῷ σχήματι, ut loquitur *can.* 19. Nicæni Concilij : ita enim ſchema accipitur *can.* 3 *&* 4. Ancyranæ Synodi: Nam in rei veritate omnino inter Laïcos computantur *dicto can.* 19. *& can.* 11. Concilij Laodiceni; cujus mentem intellexiſſe & expreſſiſſe optimè ſolus Interpres vetus videtur, & ad diſciplinam Occidentalis Eccleſiæ retuliſſe. Vetus tamen mendum ex illo Canone tollendum eſt, quod remanſit apud omnes Collectores & Interpretes in his verbis : *Univiræ & matricuriæ appellantur, quaſi habentes curam de rebus Eccleſiæ*, ut ve-

tus Interpres Decreti ineptè expoſuit in *can. ult. Diſt.* XXXII. qui deſumptus eſt ex *can.* II. dictæ Synodi Laodicenæ. Reponendum verò Matricariæ à matrice, id eſt catalogo & notitia Eccleſiæ, in quam referebantur. Et confirmatur ex Paulo *ad Timotheum prima cap.* 5. *v.* 9. in *verb.* καταλεγέσθω. Plures enim erant matriculæ & notitiæ in ſingulis Eccleſiis, ex quarum ordine & præſcripto ſolebant erogari ad victum neceſſaria non tantùm illis qui erant de Clero, vel qui inter eos numerabantur, ut diximus; ſed etiam pauperibus, qui eadem forma matricularij abſolutè vocantur; quia in matricula erant poſiti, ut in *Teſtamento* B. Remigij dicitur: [Et in *Gloſſis* Iſidori Matricularius, pauper, inops: hinc *Mereau* à matricula, & *Marrelle.*] De quibus adde notata clariſſimi Interpretis Marculphi in expoſitione *formula* II. inter veteres additæ. Quibus addere licet varia *Capitula* Hincmari, quæ extant *tom* 2. Conciliorum Galliæ pag. 624. & 638. eadémque forma in *Novella 13. de Prætoribus plebis*, Matricarij pro collegiatis & corporatis intelliguntur. Sed ut redeam ad Clericorum catalogum, ſive matriculam, cujus fit mentio in Concilio Agathenſi *can. 2. & can. 13.* Aurelianenſis IV. omnes, quorum nomina in illis tenentur inſcripta, ſunt ſub Epiſcoporum diſpoſitione & poteſtate *dicto can.* 13. *& cap ult. libri de ſeptem Ordinibus Eccleſiæ.* Quibus rectè adjungere poſſumus, qui in Conciliis & in legibus vocantur Copiatæ, Foſſores, Decani, & Juniores Eccleſiæ.

Vide reſponſionem contra Spongiam Petri Aurelij pag. 343. & ſeqq. & pag. 400. & ſeq.

Obſervandum eſt Monachos & Sanctimoniales ab illis omnibus diſtingui; ideóque nihil expreſsè *noſtro titulo* de Monachis agitur, ſed ſeorſim *titulo 31. 32. & ſequentibus:* ſicut & in *Codice* & in *Novellis* à Clericis & omnibus Eccleſiæ miniſtris ſeparantur Monachi. Epiſcopis tamen ſubditi ſunt in omnibus, ut Clerici *can.* 4. Concilij Chalcedonenſis, & *can.* 15. *&* 17. Synodi ſeptimæ; niſi ſpecialiter exemptionum privilegiis muniantur, de quibus diximus. Clericorum autem cœtus longè præeminet cœtui Monachorum; ita ut aliquando bonus Monachus vix bonum Clericum faciat, ut loquitur Alexander III. in *cap. 5. de converſat. conjugatorum in prima Collectione:* quæ verba deſumpſit ex Auguſtino *can.* 36. *Cauſa* XVI. *Q.* 1. Et de ea re ex profeſſo Philippus Abbas Bonæ ſpei *de inſtitutione Clericorum.* Eáque ratione Abbas non tantùm majoris dignitatis & ſuperioris ordinis Clericis; ſed etiam inferioribus & Oſtiario ſubditus dicitur *can. 5. Diſt.* XCIII. quod & ad *can.* 40. XVI. *Qu.* 1. Gratianus, & ipſe Monachus adnotavit; meliori ſanè fide quàm Raymundus in *d. cap. 5. de converſat. conjugat.* Ex quo factum eſt, ut elatione avida ſæpiùs antiquiores Monachi ad Clericatus militiam aſpirarent, quàm cenodoxiam & ambitionem optimi Epiſcopi & Abbates cohibere tentaverunt ſæpiùs *can.* 8. 9. 10. 12. 13. 26. 27. 28. *& ſeq. Cauſa* XVI. *Q.* 1. Multiformis autem, varius atque ſubtilis cenodoxiæ & inanis gloriæ morbus ille fuit; eoque adeò periculosè Monachi laboraverunt aliquando: ut qui Clericorum dignitatem & habitum aſſequi re ipſa non poterant; ſimulachris tamen & umbris, tanquam gratiſſimo mentis errore, ſeipſos deciperent, ut eleganțiſſimis exemplis deſcribit Caſſianus *lib. 11. de ſpiritu cenodoxiæ*

Digitized by Google

cap. 13. 14. 15. *& ſeq.* Potuerunt tamen Monachi, ut & hodie, ad Clericatum ordinari, poſt examinationem Epiſcopi, & intervalla legitima *can. Monachos quoque, can. de Monachis* 26. 28. *& ſeq.* XVI. *Q.* I. Zoſimus in decretis *cap.* 1. initio, & *can. ſi quis de Religioſo, Diſt.* LXXVII. Quid contra hunc ordinem & εὐταξίαν tam Clerici quàm Monachi apotactici moliti ſint diverſis temporibus; & quomodo Eccleſiæ autoritate repreſſi fuerint, alius erit dicendi locus.

Confer Ivonis *epiſt.* 69. *&* 213. quæ quamvis de Canonicis Regularibus loquantur, ad Monachos poſſunt trahi.

Hactenus de Clericis, de quorum vita & honeſtate agitur *hoc titulo*, præcipuè de his, quæ ad cultum exteriorem pertinent. Oportet enim Clericos bonum teſtimonium, id eſt opinionem & famam integram habere ab his qui ſunt extra, Paulus *ad Timotheum* 1. *cap.* 3. non tantùm ab infidelibus, hæreticis vel ſchiſmaticis, ſed etiam à Catholicis ſæcularibus & Laïcis, ut vulgò loquuntur. Et eleganter in re admodum ſimili *l.* 10. *in dicta appendice Cod. Theod. Fama contaminat, datque ſiniſtris rumoribus locum*, &c. *cùm foris poſitos ac publico jure viventes ad illecebram criminis trahit obſcœna ſuſpicionis exemplum.* Poſtremò de vita & honeſtate Clericorum generalem & ſanctam illam regulam Paulus proponit in *dicta epiſtola cap.* 4. *v.* 7. *&* 8. τοὺς βεβήλους καὶ γραώδεις μύθους παραιτοῦ, γύμναζε καὶ σεαυτὸν πρὸς εὐσέβειαν. ἡ γὰρ σωματικὴ γυμνασία πρὸς ὀλίγον ἐστὶν ὠφέλιμος. ἡ δὲ εὐσέβεια πρὸς πάντα ὠφέλιμος, &c. Ad cujus interpretationem pertinet [locus Liberij in Fragmentis Hilarij *epiſtola ad Epiſcopos in Italia conſiſtentes. Pietatem ad omnia utilem eſſe legimus, cui cedit corporalis exercitatio, quamvis & ipſa utilitatis retineat fructus*: & alter] locus incerti Autoris *libelli de duplici martyrio*, in quo licet agatur de Monachis, poteſt tamen aliquatenùs Clericis accommodari. *Non locus deſertus, ſaccus pro veſte, legumen pro cibo, neque jejunia Monachum abſolvunt. Sub his involucris interdum latet animus valdè mundanus; quod ita deprehenditur, ſi ad munus aliquod Eccleſiaſticum vocentur. Ibi videas quoſdam ex illis facillimè vinci delicijs, impatientiores injuriarum, appetentiores vindictæ, quàm quivis alius ſit ex media plebe. Quid cauſæ eſt? quoniam corpus exercuerunt magis, quàm animum; cùm beatus Paulus doceat, quod exercitatio corporalis ad modicum utilis ſit, pietas ad omnia valeat*, &c. In quibus actionibus utraque illa exercitatio ſigillatim ſpectanda ſit, in Clericis potiſſimùm, oſtendemus in ſingulis capitibus. [Contra honeſtatem, de qua *hoc tit.* olim & hodie, ſæpiùs peccaverunt Clerici. Alcuinus *lib. de divinis Officiis tit. de Tonſura Cleric.* pag. 72. *Inde Clerici dicti, eo quod de ſorte Dei & heredi ate ſint, ſi regulariter vivunt: ſi autem non vivunt regulariter, ſicut maximi Clerici, qui totum laicalem habitum ſequuntur, cingentes arma, & cætera facientes, quæ ordo Canonis prohibet, illi tale, non ſunt Clerici.*] Ideò verò fuſiùs & accuratiùs hanc Rubricam expoſuimus; quia generalis eſt, & communia pleraque reliquis partibus juris Canonici continet.

Adde Hildebertum Cenomanéſem *epiſt.* 61. & quæ Spongia pag. 586. Caſſianum *lib. de Cenodoxia*, & *Notas* Sirmondi *ad Sidonium* pag. 74.

Ad Cap. I.

IN *hoc capite & ſequentibus*, quæ indigebunt explicatione diligenti, hanc formam & methodum ſervabimus, ut primò breviter Capituli ſenſum proponamus, ſecundùm mentem Gregorij IX. ſive potiùs Raymundi à Penna forti, cujus opera uſus eſt; qui ad inſtar Tribuniani ſæpè antiquorum Canonum verba ad uſum ſui temporis inflectit & detorquet. Secundò juris antiqui originem & progreſſum inveſtigabimus, & ad utriuſque juris tam veteris, quàm novi confirmationem ex Hiſtoria Eccleſiaſtica, Conciliis & ſcriptis Patrum quædam deſumemus. Poſtremò ſi quid commodè & ad rem Gloſſarum Collector attulerit, ſi qua in re lapſus videbitur, in Elenchi modum recenſebimus & adnotabimus, exemplo Marcelli, Ulpiani & Triphonini, qui ad veterum Juriſconſultorum libros notas, non tantùm ſtudio reprehendendi (quod hodie plerique faciunt), ſed etiam illuſtrandi & confirmandi gratiâ ſcripſerunt. Quod & optimos, & antiquiſſimos Criticos, Græcos & Latinos factitaſſe ex eorum Libris cognoſcemus: non tantùm obelis & notis, falſa, ſuſpecta & dubia configentes; ſed etiam utilia Lectori præmonſtrantes. Hujus verò Capituli hic eſt ſenſus apud Raymundum: Præſcribitur ordo ſervandus in Eccleſia inter Clericos & Laïcos, dum celebrantur divina myſteria, & differentia locorum ſtatuitur; quæ eſt ejuſmodi, ut Altare per cancellos à Choro ſeparetur, & Chorus à reliquâ majore parte Templi. In altari autem locus aſſignatur Presbyteris & Diaconis aſſiſtentibus, quos omnes ἱερατικοὶ, & Altaris Miniſtros Canones vocant. In Choro, qui cancellis, ut diximus, vel tranſennis, ut Paulinus loquitur in *epiſtola* 12. dividitur ab Altari, reliqui omnes qui ſunt de Clero, quos in *paratitulo* enumeravimus, ſedebant. Laïci verò ab illis duobus locis excluduntur, non ſemper, ſed ut dicitur in *hoc capite*, quando ſacra Myſteria celebrantur. Sacra Myſteria, dicebantur τελεταὶ, Agendæ, Deſideratæ, λειτουργίαι, ſacræ Miſſæ: tot enim nominibus incruentum illud & venerabile Sacrificium deſignatur. Tempore, quo peraguntur ſacra Myſteria, ſtare vel ſedere inter Clericos, non tantùm intra ſepta Altaris; ſed etiam ſecus Altare, id eſt intra Chorum, qui pſallentibus Clericis tantùm patet, ingredi Laïci prohibentur. Poſt peracta verò myſteria ad orandum & communicandum admittuntur Laïci & fœminæ, non tantùm ad Chorum; ſed etiam ad ipſum Altare, quod vocatur Sancta Sanctorum, ut hîc dominus Cujacius docuit. Huic ultimæ clauſulæ hæc verba adduntur (*ſicut mos eſt*), quæ ſummè notanda ſunt. His enim verbis declaratur, totum hoc genus diſtinctionis locorum & ſedium in Eccleſia, de quo agitur *hoc capitulo*, moribus eſſe receptum & jure non ſcripto.

Deſumptus eſt autem hic canon ex Concilio Turonenſi II. *can.* 4. in quo pleniùs quædam habentur; quamvis in omnibus Collectionibus inſcriptio ſit aliter concepta, nempè ex Concilio Moguntino: forte non mendosè. Sæpiùs enim contingit, ut idem canon in plu-

ribus Conciliis referatur. Juris autem, de quo agitur *hoc capite*, fuit hic ordo & progreſſus; ut ſolis Presbyteris & Diaconis ad Altare ingredi, & communicare liceret. In Choro verò, Clerus; & extra Chorum, populus & Laïci orabant, & communicabant *can.* 9. Laodicenſi in fine, *can.* 31. Concilij Bracarenſis, *can.* 17. Concilij Toletani IV. *cap.* 1. *in fine titulo ſequenti* Ex quibus colligitur locorum differentia & diſtinctio triplex in Eccleſia. Altare, quod cancellis clauſum erat, & Sancta Sanctorum appellatur in *hoc capite*. Poſt Cancellos * Chorus & Presbyterium ſolis Clericis patebat, ut rectè hîc Gloſſa notat; cui debet adjungi Theodoretus *lib.* 5. *Hiſt. Eccleſiaſticæ cap.* 18. ſub finem [ejuſque τὰ ἅγια,] & *cap.* 57. *lib.* 2 *Conſtitutionum Apoſtolicarum*. Aliquando tamen Altare generaliter ſumitur etiam pro Presbyterio †, ut ex dictis locis conſtat, & ex *l. Pateant, Cod. de his qui ad Eccleſiam confugiunt*, quæ extat Græcè & Latine in *Cod. Theodoſiano lib.* 9. *titulo* 45. Præterea in Abſida, ad quam per gradus aſcendebatur, tanquam in honoratiore loco, Epiſcopos conſediſſe colligitur ex *epiſtolis* Auguſtini 203. & 225. in qua gradatas Abſidas vocat. [De qua ſic etiam Prudentius in *paſſione Hippolyti Martyris ad Valerianum Epiſcopum* ſub finem.

Fronte ſub adverſa gradibus ſublime Tribunal.

Tollitur, Antiſtes prædicat unde Deum.] Adde Gloſſarium legum antiquarum in dictione *Abſis*. [In *Collatione Carthagin.* pag. 19. inter Epiſcopos conſidentes Epiſcopus Civitatis eminentiùs ſedet peregrino. Et in *lib.* Auguſt. *de Geſtis cum Emerito* initio: ubi de Epiſcopo advena & peregrino agitur ibi: *Et ad Communionem ſimul cum reliquis admittitur quam Emeritus Donatiſta recuſat.*] In tertia parte Laïci omnes conſidebant, nec ad Altare etiam communicandi causâ admittebantur, ut ex dictis Canonibus conſtat. Solus Imperator oblationis causâ tantùm ingrediebatur τὸ βῆμα, Sanctuarium, & peracta oblatione recedebat. Theodoretus *lib.* 5. *cap.* 17. Sozomenus *lib.* 7. *cap.* 24 & *canon* 69. ſextæ Synodi. Inter Laïcos verò ſpecialis locus Imperatori aſſignatur; eique ſoli: Quod Theodoſius Magnus ab Ambroſio monitus primus conſtituit, ut ait Sozomenus *dicto loco*. *Moris erat ut Imperator, dum ſacris intereſſet, in ſacrario ſederet, majeſtatis & dignitatis cauſa à populi conſortio ſeparatus.* [Et in *vita* Chryſoſtomi de Theodoſio dicitur: *ut qui inter Sacerdotes* ſedet.] Ambroſius autem conſiderans eam conſuetudinem, vel ex aſſentatione, vel ex ordinis perturbatione, ἀταξίᾳ eſſe natam, Imperatori in Eccleſia locum aſſignavit ante ſacrarij Cancellos; ita ut populum Imperator, Imperatorem Sacerdotes ordine ſedendi præcederent προεδρείᾳ. Hanc autem optimam traditionem, παράδοσιν Theodoſius Imperat. approbavit, & ejus ſucceſſores confirmaverunt: & nos ex eo uſque tempore ſervatam cernimus, ut & multis pòſt annis oſtendit retentam *dictus canon* 69. Synodi ſextæ; in quo oblationis tantùm causâ Majeſtati Imperatoriæ intra cancellos * Altaris ingredi permittitur: quod nec id eſt Ambroſius in Theodoſio reprehenderat; ſed hoc tantùm, ne poſt oblationem peractam intra Altaris ſepta, uſque ad participationem ſacrorum Myſteriorum conſiſteret. Et hæc eſt mens dicti Canonis,

Vide Luitprādū in *vita* Leonis IV. initio, & *can.* 32. Synodi Romanæ pag. 109. ad Calcem Anaſtaſij Biblioth. adde D. Habert in *Pontificali Eccleſiæ Græcæ* pag. 270. & 271.

* De Cancellis Judicum & velis vide *Notas* Sirmondi *ad Sidonium* pag. 14. & *ad tomum* 1. Concil. Galliæ pag. 616 & Alemanum ad Procopium.

De Cancellis vero Eccleſiaſticis, qui κιγκλίδες, vide quæ notavimus ad *Tit. de Tranſlatione*, ubi de Communione Eccleſiaſtica, laïca & peregrina, & ibi relatum Gregorij Nazianzeni locum in *verſibus ad Epiſcopos*, ubi Cancellos vocat ſinem & terminū inter deos, viros divinos, & homines reliquos conſtitutum.

Adde in illum *Notas* pag. 1362. ut colligitur ex dictis locis, & ex interpretationibus Zonaræ & Balſamonis: quibus adjungimus Nicephorum *Eccleſiaſticæ hiſtoriæ lib.* 12. *cap.* 41. Ideóque malè Salmatia ad *illum canonem* 69. [Sicut & Gretſerus in *Notis ad Codinum*,] Græcos adulationis inſimulat, cùm nihil novi ſtatuerint.

† εἰς τὸ θυσιαστήριον. θυσιαστήριον βῆμα, de quo vide quæ ſcripſit Leo Allatius *Tractatu de Pœnitentia*.

* De Imperatoris ingreſſu εἰς τὸ βῆμα, ſive ſacrarium, vide *Notas* Frontonis Ducæi pag. 69. *in tom.* 1. *Chryſoſtomi:* forte quia per gradus aſcendebatur.

Procedente tamen tempore, ut ex *notis* Balſamonis, & ex *dicto loco* Nicephori conſtat, in Eccleſia prærogativæ quædam novæ & jura ſingularia Imperatoribus conceſſa fuerunt. Idémque in Occidente paulatim receptum: & differentia aliqua cœpit conſtitui, & haberi ratio perſonarum; non tantùm in ordine ſedendi, ſed etiam in oblationibus accipiendis, & in communicando, ut ex variis locis ex *ordine Romano* collectis colligimus. Et quidem à ſolo Pontifice ſummo, qui in Senatorio ſedent, communicantur; reliqui ab Epiſcopis, de quibus ita loquitur. *Deſcendit Pontifex à ſede, tenentibus ei manus, qui eum duxerunt, ut communicet eos, qui in Senatorio ſunt*, &c. *Poſteà Epiſcopi communicant populum*: & alibi. *Deinde deſcendit Pontifex cum primicerio notariorum & primicerio defenſorum, ut communicet Principes populorum & matresfamilias eorum.* Ex quo loco obſervandum Matresfamilias unà cum viris in Senatorio conſediſſe. Quid ſit autem Senatorium, idem *Liber* explicat his verbis. *Deſcendit ad Senatorium, quod locus eſt Principum.* In Senatorio autem diſtinguebantur ſedes per ordinem arcuum, ut ibidem dicitur. Et hæc de prærogativa in communicando. Deferebatur ſimilis honor in offerendo, de quo idem Liber. *Deſcendit Pontifex ad Senatorium, & ſuſcipit oblationes Principum per ordinem arcuum: & deinde reliquas oblationes poſt Pontificem ſuſcipit Epiſcopus.* Quod & pluribus locis *illius Libri* confirmatur; & generaliter in *Capitularibus libri* 1. *cap.* 148. *Ut Epiſcopi provideant, quem honorem Presbyteri pro Eccleſiis ſenioribus tribuant.* Tandem in Concilio Turonenſi II. ſuper his regula tradita eſt *hoc capitulo*; quam, ut alias multas ab Eccleſia Gallicana primùm conſtitutas, generaliter omnis Eccleſia deinde eſt amplexa. Hujus autem capitis interpretationem initio propoſuimus. cui hoc tantùm addimus, omiſſa eſſe ideò quædam verba à Raymundo, quæ reperiuntur in Concilio Turonenſi; quia ad uſum ſui temporis reſpexit. Conjungi etiam debet pars ultima *capituli primi, tituli ſequentis.*

Et hæc de interpretatione *hujus capituli*, & progreſſu illius juris ſufficiant. Ex quo notandum maximè moribus hoc jus tribui, eſſe jus poſitivum, & proinde ratione locorum & temporum mutari & variari poſſe. Supereſt ut ex inſtituto noſtro, aliqua in Gloſſis notemus. Primò quæ dicuntur in *hoc capitulo* Sancta Sanctorum, id eſt altaria, malè pro parte majore templi accipit Gloſſa, quam partem navim vocat. Errat etiam in eo, quod locum Clericis aſſignatum

(Presbyterium

(Preſbyterium, vel Chorus pſallentium Clericorum, ut habetur in *capitulo noſtro integro*) Gloſſa vocari dicit Diaconium ex *can. non oportet*, *Diſt.* XXIII. Nam duo ſunt loca diverſa. Diaconium enim, ſive Decanicum (quæ ſunt eadem, ut conſtat ex *lege ſecunda Cod. de hæreticis, juncta lege* 30. *Cod. Theodoſiano eodem titulo*) ſeparatur à Preſbyterio. Appellatur autem Diaconium, quia Diaconi cuſtodiæ illius loci deputabantur. Appellantur etiam ſecretaria, & ſacraria, quia in his vaſa ſacra, lipſana, id eſt reliquiæ, theſauri Eccleſiæ, & ſacri Codices recondebantur. Et aliquando in majoribus Baſilicis erant plura Diaconia. Paulinus in *elegantiſſimis deſcriptionibus Baſilicarum Nolana & Fundana epiſt.* 12. In ſecretariis verò duobus, quæ ſuprà dixi, circa Abſidem eſſe, hi verſus indicant officia ſingulorum, à dextra Abſidis;

Hic locus eſt veneranda penus, qua conditur, & qua
Promitur alma ſacri pompa miniſterij.

A ſiniſtra ejuſdem;

Si quem ſancta tenet meditanda in lege voluntas,
Hic poterit reſidens ſacris intendere libris.

Archivum Eccleſiæ, & Κατηχουμενεῖον aliquando appellatur; ubi conventus Eccleſiaſtici habebantur, & cuſtodiæ cauſa Clerici immorigeri aſſervabantur. Malè tamen ex eo Decanica carceres eſſe dixeris, ut quidam. Nec enim Eccleſiam, quæ juriſdictionem primis temporibus non habuit, ſed audientiam tantùm, carceres habuiſſe rectè dixeris.

Adde Mornacium ad *l. 3, Cod. de Hæreticis & Manichæis.* Meurſiũ in dictione *Decanica*, & Cujacium ad *Novel.* 79.

Cap. II. X. Penult. et Ult.

PRopter argumenti ſimilitudinem omnia iſta capitula conjungenda videntur. *Secundum caput* deſumptum eſt ex Concilio Pictavienſi, habito ſub Paſchali II. cujus fragmenta quædam refert Baronius ad *annum* 1100. & ex eo Binius in *editione* Conciliorum. In iſtis Capitibus obſervatur, quod Leo Magnus ait de Clericis, ut hæc, quæ in aliis Eccleſiæ membris non vocantur ad culpam, in illis tamen habeantur illicita. Et ſecundùm illam regulam in *Capite ſecundo* duo interdicuntur, uſus armorum, & fœnoris illuvies & uſus æris. Clerici qui contra fecerint, excommunicantur. Hæc ſecunda pars ad αἰσχροκέρδειαν pertinet, quam Apoſtolus in *epiſtolis* ſeveriſſimè exagitat in Clericis: & ad varias illius vitij ſpecies pertinent reliqua Capitula. Et quidem Decano prohibetur, ne quid in judicando accipiat quolibet colore vel prætextu. In *Cap. penult.* generaliter ſtatuitur, ne Clerici officia vel commercia ſæcularia exerceant, maximè turpia & in honeſta: quod fuſiùs & per partes explicatur in *titulo, Ne Clerici, vel Monachi ſæcularibus negotiis ſe immiſceant.* In *Cap. ult.* Clerici qui negotiationibus ſæcularibus inſtiterint, poſt trinam monitionem ab Epiſcopo faciendam, privilegio Clericali privantur ipſo facto, id eſt ſine ſententia Judicis, vel non adito Judice, ut hic rectè Dominus Cujacius. Hæc eſt brevis Summa illorum Capitulorum.

Sed ut redeamus ad *Caput ſecundum*, duo in illo prohibentur, uſus armorum, & uſuræ. Quod ad primum ex Pauli præcepto deſcendit, qui Clericos percuſſores eſſe vetat: qua de re habetur *titulus* ſpecialis, *de Clerico percuſſore*, & pleniſſimè in *Capitularibus* Regum noſtrorum *lib. 6. cap* 285. *& ſeq. lib. 7. cap.* 91. 103. *&* 104. & apud Gratianum *Cauſa* XXIII. *Qu.* 3. *&* 8. & aliis locis diligenter à Gloſſa notatis. Quod ita intelligendum eſt, ut nec ex juſta quidem cauſa, etiam in bello, Clericis arma tractare liceat: &, ut ait Ambroſius in *can.* 3 *Cauſa* XXIII. *Q.* 8. *Dolor, fletus, orationes, lachrymæ Clericorum arma eſſe debent adverſus milites: talia munimenta ſunt Sacerdotis, aliter nec debent, nec poſſunt reſiſtere.* Quam in rem notatu digna eſt hiſtoria Philippi Epiſcopi Beluacenſis apud Guillelmum Neubrigenſem *lib. 5. cap* 30. *& epiſt.* 42. Petri Bleſenſis adverſus Robertum Cameracenſem electum, [ut & *epiſt.* Arnulphi Lexovienſis *ad Ricardum Pictavienſem Archidiaconum* pag. 106.] Adeoque exhorruit Eccleſia armorum uſum, & effuſionem ſanguinis: ut non tantùm ſententiam ſanguinis Clero proferre vel dictare non liceat; ſed ne quidem literas dictare, aut ſcribere pro vindicta ſanguinis deſtinandas *cap.* 5 *&* 9. *extra ne Clerici vel Monachi ſæcularibus*, &c. & *cap.* 10. *de exceſſibus Prælatorum*: quibus addimus elegantem epiſtolam ſuprà relatam Petri Bleſenſis. Contra contumaces tamen, & excommunicationem contemnentes, licet querimoniam ſimpliciter deponere, & Regiam poteſtatem implorare; quamvis abſque ſanguinis effuſione non valeant coarctari *cap.* 21. *de homicidio voluntario vel caſuali*, cujus inſcriptio reſtituenda eſt ex *regiſtro* Innocentij III. manuſcripto. *Idem Sleuvicenſi Epiſcopo.* Sleuvicenſis autem Epiſcopus eſt ſuffraganeus Archiepiſcopi Lundenſis in Dania. Præterea notandum eſt pœnas irrogari Clericis, non Laïcis. Itaque verum non videtur, quod vulgò aſſerunt promovendis & ordinandis Clericis obſtare, ſi anteà judicium ſanguinis dictaverint. Obſtant enim Canones omnes ſuprà citati: & conſtat in Eccleſia primitiva ex Magiſtratibus, qui merum imperium & jus gladij habebant, aliquos ad Clerum & ad ſummam Epiſcopatus dignitatem promotos fuiſſe. Cur verò poſt tot Canones antiquos in *iſto Capitulo* eadem prohibitio repetatur; ea cauſa videtur fuiſſe, quia feuda, quæ & militaria prædia dicuntur, ea lege & conditione poſſidentur, ut Vaſalli in Bello dominis ſuis operam dent. Propter ejuſmodi autem feuda Clerici, qui ea poſſidebant, compellebantur ſæpiùs ad bellum, ut ex *hiſtoria* notiſſimum eſt. Et hæc de prima parte *hujus capitis*.

Vide Anton Auguſtinum *epitomes lib.* 4. *tit.* 74. *& lib* 29. *tit.* 20. Cócilij Tolet. IV. *can.* 30. & Cóc. Matiſcon. II. *ca* 191. ubi de atrio Sauciolo, in quo Capitales rei ſuppliciis afficiuntur, à Clericis vitando. Vide Balſamonem ad *can.* 13. *S. Baſilij.* Ivo in *Præfatione Decreti* in fine.

Sequitur ſecunda pars, qua Uſurarij Clerici excommunicantur. Quod ut intelligatur, notandum eſt in hoc jure, Uſuræ & Uſurarij nomen accipi ſemper in deteriorem partem; quamvis intra modum legibus & conſtitutionibus impoſitum & receptum conſiſtant, ut conſtat ex *titulo de Uſuris* infrà. Hujus autem juris hic fuit progreſſus, ut antiquis Canonibus & veteri Juriſprudentia canonica, omnibus de Clero fænebrem pecuniam exercere interdicatur. Quod optimi Patres ſtatuerunt autoritate Scripturarum adducti, ut conſtat

Vide *Reſponſa* Juris Orientalis *Interrog.* 4.

ex *Nicano can. 17. Laodiceno can. 5.* Carthaginenſis III. *Can. 16.* Collectionis Africanæ *can. 5.* Baſilij *can. 14.* cui interpretatio Balſamonis omnino debet addi, & *can. 53.* Concilij Pariſienſis VI. *can.* 8. 9. & 10. *Diſt.* XLVI. & *can.* 1. 2. 3. 4. & 5. *Diſt.* XLVII. Ex quibus omnibus locis colligitur, antiquis Canonibus Laïcis non fuiſſe prohibitas uſuras, legibus ſcilicet & conſtitutionibus Principum probatas & confirmatas. Loquuntur enim diſtinctè de Clericis, Laïcorum nulla mentione facta; [in quibus tamen Leonis I. *Decretorum cap. 3.* non probantur.] Poſterioribus verò Conciliis & Decretalibus noviſſimis, hæc prohibitio producta eſt etiam ad Laïcos; quibus, perinde ac Clericis uſuras etiam legitimas exigere interdicitur ſub excommunicationis pœna, ut conſtat ex *titulo de Vſuris extra.* Poſtremo loco Uſurarum antiquo Jure Civili cognitarum mixtum quendam contractum introduxerunt uſus & Pontifices; cujus origo & ratio omnis exponitur in celeberrimis *extravagantibus duabus*, quæ continentur ſub *titulo de emptione & venditione in extravagantibus communibus*; ex quibus hodierni noſtri contractus fœnebres originem duxerunt. Summa autem ratio, vel potiùs color quæſitus mixti ejuſmodi contractus eſt alienario ſortis, ſive pecuniæ, quæ ex parte creditoris ita dari debet, ut nullis pactionibus poſſit unquam exigi; aliter atque in Jure Civili contingit in fœnore.

pag. 364. Adde Photiũ in *Nomocanone tit. 9. cap. 27.* ubi oſtẽdit ex contractibus bonæ fidei uſuras ex mora debitas, non ex ſtipulatu, Clericos poſſe percipere, quia ſunt compẽſatoriæ.

Et hæc de progreſſu hujus juris. Antequàm tamen recedamus ab iſta viſione, nodus ſolvendus eſt, qui occurrit in *can. 17. Nicano*, ex quo deſumptus eſt *canon. 2. Diſt.* XLVII. cui ſimilis *canon.* 5. Concilij Laodiceni; in quibus hæc verba (*aut hemiolia*) ab omnibus Collectoribus, & Interpretibus Græcis & Latinis non intelliguntur. Vetus Interpres & Dionyſius interpretantur quidem rectè verba; ſed menti non ſatisfaciunt. Vertunt ſeſcupla, & ad uſuras, quæ ex frugibus percipiebantur ad ſeſcuplum, referunt: in quibus, ut loquitur Dionyſius Exiguus in *dicto can. 5. Laodiceno*, ſumma capitis & dimidium ſummæ percipitur; id eſt ut Hieronymus loquitur *commentario in Ezechielem lib. 6. cap. 18. Verbi gratia, ut hyemis tempore demus decem modios, & in meſſe recipiamus quindecim, hoc eſt ampliùs partem mediam.* Qui locus refertur in Concilio Pariſienſi VI. *can.* 53. [& videndus eſt.] Et hæ uſuræ centeſimis longe graviores ſunt. Legibus tamen probatæ fuerunt *l. 1. Cod. Theodoſ. de Vſuris.* Incerti enim pretij ratio, quod in frugibus ſæpiſſimè mutatur, majores uſuras, addimenta uſurarum ſuaſit admitti *lege 23. Cod. de Vſuris.* Quæ tamen immodicæ uſuræ in frugibus arentibus & humentibus admiſſæ olim, ſunt tandem reprobatæ à Juſtiniano in *lege 26. Verſiculo in trajectitiis Cod. eodem.* Quo loco his verbis *ſpecierum fœnori dationibus* hujuſmodi contractus continentur; ut rectè *Synopſis Baſilicõn*, & Græci interpretantur; quibus adjungimus dominum Cujacium *lib. 3. obſervationum cap. 35.* Et hæc interpretatio probabilis Latinorum, quam ſecuti ſunt [primò Contius, deinde] Romani Correctores; [poſtremò Salmaſius.] Græci verò Interpretes, Zonaras & Balſamo, de ſemiſſibus uſuris, id eſt dimidia centeſimæ, locum illum acci-

Contius ad *canon. 2. Diſt.* XLVII. primus Hemiolia explicavit, & *lib. 2. lectionum cap. 2.* ſub finem. Adde quæ Molinæus *tractatu de Vſuris.*

Quo *Verſiculo* & *d. l. 23. Cod. eod.* & *l. 1. Cod. Theod. de Vſuris* modus imponitur uſuris: quas leges intelligit Juſti

piunt. Vtrique malè. Quod ut intelligamus, verba primò ſunt interpretanda.

Et quidem rectè veteres Collectores hemiolia exponunt ſeſcupla. Poteſt & exponi ſeſqualtera. * Gloſſæ veteres ſeſqualtera ἡμιόλια; & contra ἡμιόλιον ſeſcuplum. Quæ proportio eſt hujuſmodi inter majorem & minorem numerum, ut minor ſuperetur à majore toto & dimidia ſui parte, verbi gratia octo ſuperantur à duodecim toto, id eſt octo, & dimidia ſui parte, id eſt quatuor. Quæ proportio primò in numeris reperta, poſtea trahitur ad alia, ut docet Gellius *lib.* 18. *c.* 14. & ex eo Macrobius in *Somnio Scipionis*. Ut autem proportionem iſtam ad uſuras revocemus, ſciendum eſt centeſimas uſuras, utpotè graviſſimas, inſtar aſſis habere; ad quas reliquæ omnes leviores uſuræ revocantur: unde ſæpiùs in jure ſemiſſes, quincunces, & beſſes uſuræ; quibus media centeſima, quinque vel octo partes centeſimæ ſignificantur. Centeſima autem uſura quotannis duodecim pro ſorte exigit. Itaque proportione ejuſmodi ſervata, hemiolias, rectè beſſes uſuras interpretabimur: ut hic ſit illorum verborum ſenſus, non tantùm centeſimas, id eſt graviſſimas uſuras prohiberi Clericis, ſed etiam leviſſimas & modeſtas; ut ſciant omnino ſibi fœnerare non licere. Nec rectè Latini, qui ad unam tantùm ſpeciem uſuræ frugum, verba coarctant, quæ de pecunia dicuntur in illis Canonibus: & malè Græci, qui dictionis ἡμιόλιον notionem non intelligunt. Semiſſes enim uſuræ cum centeſimis comparatæ duplam proportionem habent: ſex enim bis continentur in duodecim. [Verior tamen videtur opinio Latinorum Interpretum] hujus Canonis, quam attingit dominus Cujacius in *poſthumis* Codicis *titulo de uſuris*.

nianus in *d. Verſiculo* ibi: *licet veteribus legibus hoc erat conceſſum*. Junge *Novel.* 32. 33 & 34.

* Seſcuncia in *Gloſſario græco-lat.* & in *Latino*, vide Seſqualtera, Seſquilibra, Seſquas.

In reliquis *Capitulis*, quæ ſuſcepimus ſimul cum iſto exponenda, aliæ ſpecies αἰσχροκερδίας referuntur: varius enim & multiplex eſt ille morbus. Et quidem in 10 *cap.* rapacitas judicum delegatorum, ſive à ſummo Pontifice, ſive à quolibet Ordinario, ita coërcetur, ne quid exigant præter expenſas victuales, id eſt ſportulas: quibus verbis non tantùm itineris expenſæ & viaticum; ſed etiam ſumptus, qui neceſſarij ſunt, quandiu judex operam dat partibus; intelliguntur, ut hic rectè dominus Cujacius contra Gloſſam; cujus tamen Gloſſæ diſtinctio inter Judices delegatos & Ordinarios ſummè notanda eſt.

In *capite penult.* generaliter omnia commercia & negotiationes inhoneſtæ & turpes interdicuntur, ut initio diximus: quod confirmatur *can.* 1. 2. 9. 10. & *ſequentibus Diſt.* LXXXVIII. Rectè autem cum *cap.* 2. in quo uſuræ, conjunximus etiam *cap. ult.* in quo Clericis negociationes ſæculares prohibentur. Rationem reddit elegantem Petrus Bleſenſis in *epiſtola 17.* initio. *Clericus, qui leviore comparat precio, ut vendat cariùs, filius eſt avaritiæ, idololatra pecuniæ, ſervus mammonæ, & venundatus ſub peccato.* Cùm enim ſpecies uſuræ ſit, minus proximo dare, & plus ab eo accipere: non video Clericum ab uſurarum crimine, & à nomine criminoſo immunem, qui ſibi cum alieno diſpendio, lucrum quærit. Pertinet verò *dictum capit.* ad Galliam, ut ſuadet inſcriptio *Epiſcopo Ambianenſi*: & editum eſt ad poſtulationem

Comitis Pontivij. Sic enim legendum eſt, ſicut & in *capite tertio de Divortiis*, & in *veteri ordinatione* Philippi III. data Pariſiis anno milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo quarto, cujus autoritate ſæpiùs nobis utendum eſt. Ubi malè *Pontinij* legitur. In *poſthumis* domini Cujacij ad *hunc titulum* mendosè pariter, exſcriptoris vitio, *Comitis Pontieuri* legitur, pro *Pontivij*. Comitatus enim Pontieuri ſitus eſt in Britannia Aremorica; Ducatus deinde titulo ſub Carolo IX. inſignitus, hodie *le Duché de Penthieure*; Comitatus verò Pontivij ſitus eſt in Ambianenſi Epiſcopatu: & Archidiaconatus Pontivienſis ſubeſt Eccleſiæ Ambianenſi, ut ex *dicta ordinatione* colligitur, & ex *notitia Beneficiorum Galliæ*, vulgò *le Comté de Ponthieu en Picardie*. Comitum præthereà Pontivij ſtemma nuper edidit rerum noſtrarum peritiſſimus Andreas du Cheſne in *editione Scriptorum veterum hiſtoriæ Normannorum* ſub finem. Sed ut redeamus ad quæſtionem in *cap. ult.* propoſitam, Comes Pontivij Poſtulat à Pontifice, ne Clerici ſæcularibus negociationibus ſe immiſcentes, Clericalibus privilegiis abutantur in fraudem vectigalium publicorum, quæ à Laïcis exiguntur. Ex Canonibus enim relatis ſuprà ſtatutum eſt, ne lucri cauſa Clerici negociationem, ſicut Laïci exerceant: quibus ſtatutis ſi non obtemperant, meritò eadem, quæ Laïci onera coguntur agnoſcere: & illi tantùm ſunt immunes, qui exiguis admodum mercimoniis tenuem ſibi victum veſtitúmque conquirunt *l.* 10. 14. *&* 15. *Cod. Theod. de Epiſc. & Cleric.* in quibus fraudes contra hujuſmodi Conſtitutiones introductæ coërcentur. Eadémque ratione non temerè, & citra modum quilibet petentes in Clerum admittebantur; ne ſub ſpecie Clericorum à muneribus publicis vacatio deferretur paſſim: ſed pauperes tantùm. Opulentos enim ſæculi ſubire neceſſitates oportet; pauperes Eccleſiarum divitiis ſuſtentari *l. 6. &* 17 *Cod. Theodoſ. de Epiſc. & Cleric.* & in *can.* 13. Concilij Sardic. in conſtituendis Epiſcopis diligentiſſimè tractari jubetur, ſi fortè dives poſtulatus fuerit. Antiquorum itaque canonum & legum decretis coërcentur, qui obtentu Clericalis ordinis immunitatem indebitam aucupantur: & poſteriorum Conciliorum & Pontificum frequentes ea de re ſunt querelæ & ſanctiones *can.* 42. Lateran. Concil. *cap. penult. titulo de Cleric. conjugat.* Stephanus Tornac. *epiſtola 12. Quidam etiam, quibus propriæ facultates, ut inde vivere poſſint, ordinari tamen expetunt; ut pro titulo ſecundùm diſpenſationem ſacrorum Canonum, rebus propriis utantur. Nonnulli, ut poteſtatum ſæcularium juriſdictionem devitent, tonſura tantùm vel minoribus ordinibus dolo inter Clericos ſeſe ſimulant aggregari.* Quinetiam verſipelles hujuſmodi homines, contra Canones Pontificum & Principum Conſtitutiones, Epiſcopi, Decani, Archidiaconi, & Capitula, tanquam veros Clericos in ſubſtractione ſervitiorum, quæ temporalibus dominis debentur, fovere nitebantur, ut exprimitur in *integra decretali* ex qua deſumptum eſt *d. cap. pen.* cui jungi debet *cap. 17. de privileg.*

Extat apud Fōtanonem *tomo* 4. pag. 508.

Quare neceſſe fuit ad ſummos Pontifices & Principes confugere: Nec enim ab inceptis & uſurpationibus abſtinebant; ut conſtat ex locis ſuprà relatis, & ex *Conſtitutione* Philippi III. quam ad eoſdem

pertinere monuimus, ad quos *cap ult. hujus tituli:* ex qua etiam petenda eſt vera ſolutio *dictorum capp. penult. & ult.* quæ pugnare inter ſe videntur. Nam in *cap. ult. hujus tit.* Clerici non amittunt Clericale privilegium, niſi tertiò moniti ab Epiſcopo proprio, non reſipuerint. Contrà in *cap. pen. tit. de Cleric. conjug.* nulla monitio deſideratur. Quæ difficultas componitur his verbis in *dicta ordinatione. Nec videntur ſentire Canones, quod Clerici moneantur, ne artificia diverſa exerceant: ſed Clericos non conjugatos canon moneri præcipit, ex quo gaudere volunt privilegio Clericali; ne ſæcularibus negotiis & turpibus quæſtibus ſe immiſceant, ſeu non debeant immiſcere. Sed quoniam uxorati etiam deferentes tonſuram, qui ſæcularibus negotiis & turpibus quæſtibus ſe immiſcent, dum his ſe implicant, privilegio gaudere non poſſunt: & in talibus non eſt aliqua monitio expectanda.* Poſtremò in Gloſſa *capitis ſecundi* error eſt non ferendus eo loco, vbi ait ſecundam partem *dicti capituli* pertinere ad Laïcos, non ad Clericos; eo colore, quod dicat in canonibus Clericos uſurarios ſuſpendi à miniſterio, vel deponi; Laïcos verò excommunicari. Sed novum non eſt, ut ejuſdem criminis variæ pœnæ aſſignentur, aliquando mitiores, aliquando graviores: & ita uſurarij Clerici depoſitionis primò pœna mulctati ſunt. Quia verò nec ita terrebantur, major excommunicationis pœna fuit infligenda, qua contumaciores puniebantur, ut conſtat ex *can. 5. Nicæno* & ex *can. 1. Neocæſarienſi, can. Sardic. 1. & can. Clerici 23. Quæſt.* 8. quæ pœnæ rectiſſimè explicantur in *Capitularibus lib. 6. cap.* 60. cujus verba referemus, quia pertinent etiam ad primam partem hujus capitis. *Si quis Epiſcopus, Preſbyter, aut Diaconus, vel Subdiaconus, ad bellum proceſſerit, & arma bellica indutus fuerit ad belligerandum, ab omni officio deponitur, in tantùm, ut nec Laïcam communionem habeat.* quam ſcilicet regradati Clerici retinebant. Obſervandum prætereà regradatos Clericos coactos fuiſſe habitum & veſtem Laïcorum aſſumere *can.* 21. Synodi in Trullo; ex quo etiam colligitur Clericos poſt regradationem, in gradum Clericalem fuiſſe reſtitutos. Sed de his alibi pleniùs agemus.

Adde *l.* 53. §. 1. *Cod. de Epiſcopis & Clericis junctis Novel.* 5. *cap.* 6. *& Nov.* 6. *cap.* 7.

Ad Caput III.

Anton. Auguſtinus *lib.* 14. *Epitomes Iuris Canon. tit.* 9. *conſtituantur literarum gymnaſia.*

HOc caput, ſicut & duo præcedentia, ex Conciliis Gallicanis deſumpta ſunt. Plurima enim, quæ ab initio piè & rectè in noſtris Eccleſiis primò fuerunt introducta, ſuſcepit poſteà, utilitate ſuadente, univerſa Eccleſia, ut in *hoc capitulo* evidentiſſimè oſtendemus, cujus hic eſt ſenſus. Ut Preſbyter (qui plebem regit; qui ideò Plebanus & Parochus, Parœcialis Sacerdos, Cardinalis etiam Preſbyter aliquando, appellatur) adjunctum ſibi habeat Clericum, qui in ſacris miniſteriis miniſtret, & ſcholas poſſit tenere, ad quem Parœciani liberos erudiendos in fide mittant. Progreſſus autem hujus juris hic eſt. Paulus in epiſtolis inter varia Clericorum officia, Doctorum etiam meminit, qui & in antiqua Eccleſia notiſſimi, ut in Alexandrina Pantænus, Clemens Alexandrinus, Origenes, & alij: quibus hoc erat injunctum, ut ad fidem venientes inſtituerent & in-

vitarent, & jam imbutos & initiatos confirmarent. In Gallia verò ſaluberrimum hoc inſtitutum obſervatum eſt diligentiſſimè, & plures ſuper eo Canones editi. Theodulphus Aurelianenſis Epiſcopus, qui ſub Carolo Magno floruit, in *Capitulari ad Parœciæ ſuæ Sacerdotes cap.* 20. *Presbyteri per villas & vicos ſcholas habeant: & quilibet fidelium ad diſcendas literas ſuos parvulos commendare poſſint.* Nec aliquid ab iis accipere debent, *excepto*, ut ibi loquitur, *quod eis parentes ſua voluntate obtulerint.* Quod & confirmatur *toto titulo extra de Magiſtris, & ne quid exigatur pro licentia docendi*: & in Concilio Pariſienſi VI. *can. trigeſimo* ſtatuitur ut quando ad Provinciale Epiſcoporum Concilium ventum fuerit, unuſquiſque Rectorum ſcholaſticos ſuos eidem Concilio adeſſe faciat. Quod & antè à Ludovico Pio fuerat imperatum: ſed ſuper hac juſſione à nonnullis Rectoribus Eccleſiarum tepidè & deſidiosè actum eſt, ut *iſto can.* dicitur, quo renovatio continetur. Prior autem juſſio Ludovici habetur in *additione 2. Capitular. capit.* 5. Cùm verò ex lónga intermiſſione hujus ſtudij, pleraque Eccleſiarum loca ignorantia fidei, totius ſcientiæ inopia invaſiſſet, de ſcholis inſtaurandis ſeriò eſt actum, ut conſtat ex *can. de quibuſdam Diſt.* XXXII. Sed in Gallia diligentiùs hæc diſciplina reſtituta eſt, maximè ſub Carolo Calvo, ut conſtat ex Concilio Valentino III. *can.* 18. in *Capitulis* Herardi Epiſc. Turon. *cap.* 17. Lingonenſi *can.* 10. Ex quibus locis diſcimus non tantùm divinæ, ſed & humanæ literaturæ ſcholas fuiſſe deſtinatas. Turbat enim acumen legentium, & deficere cogit, qui eos à legendis ſæcularibus literis omnimodo æſtimat prohibendos, ut loquitur *canon* 8. *Diſt.* XXXVII. in qua *diſtinctione* plures Canones colliguntur in eum ſenſum.

Ut redeamus autem ad *caput noſtrum*, ſimile eſt huic omnino, quod Hincmarus Remenſis in *Capitularibus* tradit, de his quæ à Magiſtris & Decanis per ſingulas matrices, & capellas inquirenda & renuncianda ſibi mandavit in *cap.* 11. his verbis. *Inquirant, ſi habeant Clericum, qui poſſit tenere ſcholam, aut legere epiſtolam, aut canere valeat, prout neceſſarium ſibi videtur.* Multiplices autem erant ejuſmodi ſcholæ: aliæ Presbyteris quippè & Clericis: aliæ Monachis, de quibus elegans extat *Conſtitutio* Caroli Magni *to.* 2. Concil. Galliæ. De his etiam pluribus agit Trithemius in *Chronico Hirſaugienſi cap.* 4. *de Haderado quarto Abbate Monaſterij Hirſaugienſis ad annum Chriſti* 890. [pag. 27. Juncta epiſtola præmiſſa editioni Trithemij.] Aliæ pueris aſſignabantur, ad quas pertinet *hoc capitulum.* De illis autem ſcholis tractatur ſæpè in Regum noſtrorum *Capitulis.* Et quidem *lib.* 1. *cap.* 27. & in Concilio Aquiſgranenſi ſub Carolo Magno *can.* 72. ita ſtatuitur. *Scholæ legentium puerorum fiant, pſalmos, notas, cantus, compota, grammaticam, per ſingula Monaſteria, vel Epiſcopia diſcant.* Quod & repetitur in aliis locis. De reliquis Presbyterorum, Clericorum & Monachorum, quæ Theologiæ dicuntur, frequens eſt mentio in Conciliis Gallicanis, & in Capitularibus Regum noſtrorum, quæ diligentiſſimè collegerunt viri doctiſſimi Pithœus in *Gloſſario Capitularium*, & Fileſacus ad *caput* 15. §. 2. *de ſacra Epiſcoporum autoritate.* Ex quibus locis obſervandum eſt ſcho-

las, quaſdam Preſbyteris ſolis & Clericis; quaſdam Monachis ſolis patuiſſe, (inſignis in eam rem Caroli Magni *Conſtitutio*, ſeu *epiſtola generalis, de Scholis per ſingula Epiſcopia & Monaſteria inſtituendis*, & Stephanus Tornacenſis *epiſtola* 97.) & in Epiſcopiis, & aliis collegiatis Eccleſiis, itémque in Monaſteriis ædificatas fuiſſe. [Theodulphus Aurelianenſis *prædicta epiſt. cap.* 19. *Si quis ex Preſbyteris voluerit nepotem ſuum aut aliquem conſanguineum ad ſcholam mittere, in Eccleſia ſanctæ Crucis, aut in Monaſterio S. Aniani, aut S. Benedicti, aut S. Liphardi, aut in cæteris de his Cœnobiis, quæ nobis ad regenda conceſſa ſunt, ei licentiam hoc faciendi concedimus.* Junge *cap.* 12. *Diſt.* XXXVII.]

Illæ autem omnes ſcholæ ſub Epiſcoporum diſpoſitione conſtitutæ ſunt, & eis Magiſtros præponere ſolebant, qui in Jure Canonico frequentiſſimè vocantur Magiſtri ſcholarum, aliquando Scholaſtici, Capita ſcholæ [d. can. 12. Diſt. XXXVII.] *capitulo* 22. *de Reſcriptis*, *capitulo ex parte de appellationibus extra.* Capiſcholi Lemovicina Synodo *Actione* 2. *apud Antonium Auguſtinum parte prima Epitomes Iuris Canonici* [*lib.* 8. *tit.* 11. *cap.* 11.] Scholares in *epiſtola* 61. Stephani Tornacenſis Epiſcopi *Petro Chryſogoni Preſbytero Cardinali*, ubi quis ordo inter dignitates Eccleſiaſticas Scholaſtico tribuatur, ſatis innuit his verbis. *Amplector Scholarem, proſequor Diaconum, deoſculor Abbatem, aſſurgo Epiſcopo, revereor Cardinalem; his gradatim aſcendentibus, & ſibi accedentibus potiùs quàm ſuccedentibus articulis arrident honores moribus, mores honoribus coexultant.* Eorum autem officium in duobus conſiſtit. Primò ut ipſi per ſe doceant, aut ſaltem per idoneos ſubſtitutos, in quorum tamen mores, & doctrinam ſedulò inquirant. Secundò, ut in locis ſuæ juriſdictioni ſubjectis, nullum permittant eſſe Magiſtrum aut Magiſtram, qui privatim doceant; niſi antè fuerint examinati ab eo, antequam docendi licentiam impetrent, quam ſi ſint idonei recuſare non poſſunt, nullò dato vel promiſſo, gratis omnimodo, *toto titulo de Magiſtris, & ne quid exigatur pro licentia docendi.* Aliquando etiam licentia legendi, omiſſo Magiſtro ſcholarum, à ſummo Pontifice impetrabatur, Stephanus in *epiſtola* 137. *Fulconi Magiſtro ſcholarum ſanctæ Crucis Aurelian.* [Alexandri III. *reſcriptum ad Bleſenſes*, in 2. *parte* poſt Conc. Lateran. *cap.* 16. quod quidem *cap.* non reperitur in *Decretalibus*; & ejuſdem Alex. *epiſtola* 44. in fine *epiſtolarum* Petri Cellenſis.] Debetur verò Galliæ noſtræ illa inſtitutio, ut ex locis citatis colligitur, qui ex Conciliis Gallicanis omnes fere deſumpti ſunt: quod & profitetur Alexander III. in *cap. unico de Magiſtris Collectione* 2. Nec omittere debuit Raymundus, ſicut nec alia multa ad Galliam pertinentia. Ait autem Alexander per omnes ferè Eccleſias Gallicanas fuiſſe, & in quibuſdam adhuc eſſe deputatum beneficium ad ſuſtentationem ejus qui ſcholas regit: ab aliquantis tamen temporibus Clericos Eccleſiarum ipſarum avaritia depravatos, idem beneficium in communem uſum redigere præſumpſiſſe: quod *illo capite* factum reſcindit, & reſtitui jubet beneficium. Quod generaliter in omnibus Eccleſiis antè revocatum fuerat Concilio Lateranenſi ſub Alexandro III.

Magiſter Scholarum eſt Cancellarius in *cap.* 7. *de his quæ fiunt à Prælatis*; qui Aureliis Scholaſticus. Cancellarius verò in quibuſdam Eccleſiis à Scholaſtico diſtinguitur *cap.* 46. *de appellat.* Ubi in Eccleſia Metenſi Cancellarius à Scholaſtico tanquam planè diverſus ſtatuitur. De dignitate verò Magiſtri Scholarum vide in 2. *parte* poſt Concilium Lateranenſe *cap.* 18. ibi. *Si Dignitas dici poteſt.* Adde Chopinum *lib.* 1. *de ſacra Politia tit.* 3. *num.* 13. *& ſeqq.* Anton. Hotc-

III. & iterum repetitur ſub Innocentio III. in Concilio generali Lateranenſi, ut conſtat ex *cap. 1. & 4. dicto titulo de Magiſtris*; cui debet adjungi *caput 15. de officio Iudicis ordinarij*, quod ad Theologi beneficium pertinet. Poſtremò in Concilio Tridentino *ſeſſ. 23. & 24.* illa jura inſtaurata ſunt; quæ ſibi tanquam ab origine propria vindicavit Gallia in *ordinationibus* Regum noſtrorum *Aurelianenſibus & Bleſenſibus*. Hæc de Scholarum origine & progreſſu hujus juris, præſertim in Eccleſia Gallicana ſufficiant.

mani *Tractatum* Libertatum *tomo* 1. pag. 377. & ſeq. Molanum *lib. 2. cap.* 10.

Ab illis ſcholis omnibus, quæ in ſingulis Diœceſibus erant ſub Epiſcoporum diſpoſitione, diverſæ ſunt publicæ ſcholæ; de quibus inſtituendis in tribus celeberrimis Regni locis actum eſt in dicto Concilio Pariſienſi VI. *lib. 3. can.* 12. & poſteà in Concilio apud Saponarias *can.* 10. ſub Carolo Calvo. [Et ita Profeſſores liberalium artium à Ludi Literarij Magiſtris diſtincti, Merillius *Obſervat. lib. 5. cap. 24.* in fine.] Ab illis etiam diverſæ ſunt & longè recentiores publicæ Juris Civilis & Canonici ſcholæ, præſertim in Gallia; quæ à generalibus primò ſtudiis cœperunt, & poſteà ſummorum Pontificum & Regum noſtrorum auroritate privilegiis pluribus, & Univerſitatum jure donatæ ſunt, ad inſtar Univerſitatum Italiæ, in quibus Jus Civile & Canonicum ſub idem ferè tempus reſtitutum eſt: ad quod ediſcendum è Gallia ſtudioſi proficiſcebantur in Italiam, & Bononiæ maximè hujuſmodi ſtudiorum cauſa morabantur, ſicut ſtudioſi Theologiæ Pariſiis. Unde & ſtudioſi Juris Tranſalpinare dicuntur, & Jus Civile Ciſmontanum; & Bononienſes ſcholæ à Scriptoribus illius ævi celebrantur, [Petri Bleſenſis epiſt. 26.] Sed ea res ſingularem Tractatum meritò deſiderat. In præſenti hoc tantùm adnotabimus, multiplices illas ſcholarum differentias non ſatis animadverſas, nuper aliquos in errorem induxiſſe.

Ad Cap. IV. V. VI. & VII.

Omnium iſtorum Capitulorum brevis eſt hæc comprehenſio, Clericos omnes alere comam & barbam non debere: ſi non obtemperent, anathema indicitur. Quod tamen ita intelligendum rectè Interpretes notant (*anathema ſit*) id eſt, fiat; ut non ipſo facto excommunicatio incurratur, ſed ſententia præcedere debeat. Puniuntur etiam alio modo, vt ſi non obtemperent Clerici, & ab Archidiaconis, quorum aliquando ſumma in Eccleſia poſt Epiſcopum poteſtas fuit, etiam inviti tondeantur. Itémque ex *capitulo ſexto*, qui ſemel tonſus eſt in Clericum, ampliùs tonſuram dimittere non debet; quamvis ſit ſine gradu, ut loquitur *dictum capitulum*, id eſt quamvis in ſacris Ordinibus non ſit adhuc conſtitutus. Illi enim propriè dicuntur in gradu, quos in Sacerdotali ordine connumerari, & *hegnauis* abſolutè appellari ſuprà in *prætitulo* docuimus. Quia verò in iſtis omnibus *Capitulis* variæ occurrunt lectiones; vel potiùs interpolationes variæ ab ipſo Raymundo factæ de induſtria, quæ diverſos & pugnantes intellectus pariunt, & incertos & ſuſpenſos Interpretes habent: more noſtro rem altiùs & ab origine repetemus.

V. *lib. 2. Regiſtri.* Innocentij III. *epiſt* 31.

Ex loco Pauli ad *Cor. cap.* 2. *v.* 4. quo generaliter dicitur *viro ignominiam eſſe ſi comam nutriat*, in Eccleſia primitiva receptum, ne fideles comam alerent; & contra ne barbam tonderent, nulla diſtinctione inter Clericos & Laïcos adhibita, ut colligitur ex *Conſtitutionibus Apoſtolicis lib.* 1. *cap.* 5. Clemente Alexandrino *lib.* 3. *cap.* 3. Cypriano *lib.* 3. ad *Quirinum cap.* 85. & Epiphanio in *hæreſi Maſſalianorum octuageſima*, Auguſtino *libro de opere Monachorum*. Quod deinde ex traditione Apoſtolica in omnibus Eccleſiis primò introductum, èx neceſſitate obſervari cœpit in Clericis tantùm, ut conſtat ex Concil. Carthag. IV. *can.* 44. Toletano IV. *can.* 4. Barcinonenſi *can.* 3. Synodi in Trullo *can.* 21. Triburienſi. Agathenſi & aliis, quorum Canones referuntur in *Diſt.* XXIII. ſub finem; & ex Sidonij *lib.* 4. *epiſtolarum epiſtola* 34. in qua Gallicanorum Clericorum habitus & forma deſcribitur his verbis. *Coma brevis, barba prolixa:* & poſteà *percunctor adſtantes, quod genus vitæ de tribus arripuiſſet ordinibus, Monachum ageret, an Clericum, Pœnitentémve?* Communis nempè erat illis tribus comæ & barbæ forma. Et quidem in omnibus illis locis non raditur coma, ſed attondetur tantùm forficibus, non novacula. Tonſuræ verò ſpecies ea fuit, ut capite detonſo ſuperiùs, inferiùs circuli corona tantùm relinqueretur, ut loquitur Iſidorus *lib.* 2. *de divinis Officiis cap.* 4. & iiſdem verbis exprimitur in *d. can.* 41. Concilij Toletani IV. cui præfuit Iſidorus, in quo damnatur ritus Gallecïæ provinciæ, in qua Clerici prolixis, ut Laïci comis, in ſolo capitis apice modicum circulum tondebant. [*Omnes Clerici vel Lectores, ſicut Levitæ & Sacerdotes, detonſo ſuperius capite toto, inferius ſolam circuli coronam relinquent, non ſicut huc uſque in Gallicia partibus facere Lectores videntur, qui prolixis, ut Laici, comis, in ſolo Capitis apice modicum circulum tondent. Ritus enim ille in Hiſpaniis huc uſque hæreticorum fuit. Vnde oportet ut pro amputando ab Eccleſiis ſcandalo, hoc ſignum dedecoris auferatur; & ſit una Tonſura vel habitus, ſicut totius Hiſpaniæ eſt uſus. Qui autem hoc non cuſtodierit, Fidei Catholicæ reus erit*] Huc etiam pertinet Concilij Bracarenſis primi, antiquioris Toletano IV. *canon* 11. his verbis. *Placuit ut Lectores in Eccleſia in habitu ſeculari ornati non pſallant, neque granos gentili ritu dimittant.* Granos rectè non gradus: quibus verbis deſignatur forma capillitij Gothorum, qui implicitos crines multiplicibus nodulis, granorum in ſpeciem geſtabant: quibus demiſſis & profluentibus aures operiebant. Unde apud Sidonium *lib.* 1. *epiſt.* 2. in deſcriptione Theodorici Regis Gothorum, qui Hiſpanias & Aquitaniam regebat. *Aurium legula, ſicut mos gentis eſt, crinium ſuperiacentium flagellis cooperiuntur.* Et hic eſt gentilis ritus Gothorum in *dicto can.* 11. apud quos Laïci omnes capillati erant: quod Clericis prohibetur, quibus contrarius habitus & tonſuræ forma omninò diverſa præſcribitur; de qua in dictis locis. Ex quibus intelligimus quod dicitur [in 3. Can. Conc. Barcinonenſis, quod Loaiſa poſt Concilium Toletan. II. collocavit. *Vt nullus Clericorum comam nutriat aut barbam radat.* Et quod habetur in] *capitulo* 66. *Collectionis* Martini Bracarenſis his verbis. *Non oportet Clericos co-*

Vide *Gloſſarium legum antiquarum* in voce *Capillati*.

mam nutrire, & ſic miniſtrare, ſed attonſo capite, patentibus auribus: ex quo deſumpta eſt pars *can. Non liceat Diſt.* XXIII. Patentibus auribus, id eſt ut docuimus ſuprà ex Sidonij *epiſtola*, quas non operiunt crinium ſuperiacentium flagella. Immutata eſt poſteà antiqua illa traditio Eccleſiæ; ita ut non totum caput ſuperiùs detonderetur, ſed in ſolo capitis apice modicus circulus tonderetur, contra juris veteris inſtitutionem, de quo in *dictis Canonibus*. Novam tamen illam conſuetudinem Aniceto Papæ tribuunt in *can.* 21. *Diſt.* XXIII. Sed malè, ſi temporum rationem ſerves. Tunc enim non deſuper caput radebatur in modum ſphæræ, ut in *dicto can.* ſtatuitur. Tondebantur enim Clerici, non radebantur: unde & nomen tonſuræ remanſit, & totum caput ſuperius, non autem vertex tantùm, ut hodie fit. Præterea non tantùm circa capillos; ſed etiam circa barbam variatum eſt. Pluribus enim Conciliis recentioribus ſtatutum eſt ut raderetur barba & coma. Unde in Synodo Lemovicina *act.* 2. ex Bituricenſi Synodo hujuſmodi *canon* refertur. *Archidiaconi, Abbates, Præpoſiti, Capiſcholi, Canonici, & omnes, qui miniſterium intra ſanctam Eccleſiam tractant, tonſuram Eccleſiaſticam habeant, hoc eſt barbam raſam & coronam in apice,* Quod uno verbo in eadem Synodo, Clericatura appellatur; qua notione corona pro Sacerdotio à veteribus uſurpatur. Tamen incertum eſt ex his, quæ diximus ſuprà, & doctiſſimus Sirmondus ad Sidonium, quod ait Gregorius VII. *lib.* 8. *Regiſtri epiſtola* 10. *ad Iudicem Caralitanum* ſcripta. *Totius Occidentalis Eccleſiæ Clerus ab ipſis Eccleſiæ Chriſti primordiis barbam radendi morem tenuit.* Græci verò antiquum morem retinuerunt prolixam barbam gerendi: quam diverſitatem Religioni non officere, prudenter monet dicta Synodus Lemovicina. In iſtis enim quod decet, pro temporum & locorum ratione ſervamus.

De Tonſura vide Bedam *lib.* 5. *Hiſt. Anglic. cap.* 22.

Juris iſtius progreſſu, & mutationibus variis in protheoriæ formam indicatis; lectionum varietas, & ratio facilè colligetur, cur nempè in *capitulo* 5. *&* 7. aliqua verba ſint detracta, vel addita. Ea enim mens fuit Raymundi, ut antiquorum Canonum verba & mentem ad ſui temporis uſum accommodaret: quod Gloſſa & Interpretes non intellexerunt; ſicut nec *capitulum ſextum hujus tituli*, quod ab eodem Raymundo eſt interpolatum, ſecundùm jus, quod ſuo tempore obtinebat. Dicti autem *capituli ſexti*, quod integrum refertur apud Ivonem & Burchardum, hic eſt ſenſus. Clericus, qui in minoribus Ordinibus conſtitutus eſt, ſi neglecta tonſura Clericali, comam laxaverit, quamvis uxoris ducendæ facultatem obtinuerit; iterum tamen poſt nuptias tonderi cogitur: nec deinde quamvis uxoratus, tonſuram dimittere audeat. Quod ſi vel in ſacris conſtitutus fuerit, vel à parentibus primò quidem ad Monaſterium traditus, in Eccleſia poſteà cantare & legere cœperit, & ita tacitè conſenſerit; nec ampliùs tonſuram relinquere, nec poteſt uxorem ducere. Quod ſi contra fecerit, uxorem dimittere, & iterum tonderi cogetur. Unde non malè in *Collectione prima* hoc capitulum ſub *titulo de Apoſtatis* collocatur. Poſtrema tamen verba immutavit Raymundus; ita ut contrarium omnino ſenſum efficiant, hunc ſcilicet: ut Cleri-

cis, qui in minoribus Ordinibus conſtituti ſunt, liceat uxorem ducere & tonſuram dimittere. Aliud tamen obtinebat tempore dicti Concilij Triburienſis ſub Arnulpho Rege convocati, ut ex integro *can.* colligitur; ad cujus intellectum neceſſariò debet adjungi *canon* 24. *&* 27. alterius Concilij Triburienſis, quod ſub eodem Arnulpho celebratum eſt: & Burchardus *lib.* 8. *cap.* 97. 98. *&* 99. Ex quibus colligitur duo Concilia ſub Arnulpho Triburiæ propè Moguntiam fuiſſe habita: unde inſcriptio in hoc *capitulo ſexto* Concilij Moguntini. Ex poſteriori autem quod non reperitur, videtur deſumptum hoc noſtrum *capitulum ſextum*, & reliqui Canones à Burchardo relati, qui explicant apertiùs, quæ breviùs in priori Triburienſi, quod extat, continebantur. Ideò verò Raymundus immutavit verba, & ſenſum; quia jus immutatum erat, ut conſtat ex *Capitulis* 7. *& ult. de Clericis conjugatis* infrà, quibus ſtatuitur, ut qui tonſuram & coronam clericalem aſſumpſerit, ſi in minoribus Ordinibus militaverit, non cogatur deferre tonſuram & coronam clericalem, ſi uxorem ducat; quod & ei licet: qua de re fuſiùs agemus ad *dictum titulum de Clericis conjugatis.*

Ad Cap. VIII. et XIII.

ISTA duo Capita ſimilitudo materiæ conjungenda ſuadet, & *canon.* 11. Concilij Lateranenſis ſub Alexandro III. ex quo deſumptum eſt *dictum capitul. oct.* Nam in eo generaliter tractatur de variis incontinentiæ ſpeciebus in Clericis prohibitis. Poſtrema pars autem refertur tantùm in *hoc capitulo* 8. quia in Concilio Lateran. ſub Innocentio III. poſteà celebrato, diſtinctiùs & expreſſiùs eadem de re cautum fuit, ex cujus *can.* 11. deſumptum eſt *c.* 13. *hujus tituli*, cujus interpretationem rejiciemus in *titulum ſequentem, de cohabitatione Clericorum & mulierum.* Hîc verò tantùm *caput* 8. exponemus, cujus hæc eſt mens: Clerici Sanctimonialium Monaſteria frequentare prohibeantur ab Epiſcopo: quod ſi non deſtiterint, poſt prohibitionem ab officio Eccleſiaſtico deponuntur. Laïci autem excommunicantur poſt præviam ſcilicet admonitionem: & ſi non ceſſaverint, omninodo à communione fidelium ſegregantur, excommunicatione nempè majori. Ita enim poſtrema verba *hujus capituli* Panormitanus rectè intelligit, quæ in hoc loco deſunt in Concilio Lateranenſi ſub Alexandro; ſed repetuntur ex *prima parte dicti canonis 11.* in qua incontinentia illa, quæ eſt contra naturam, plectitur in Clericis & Laïcis: quod vitium intelligitur in *cap. 13. hoc titulo*, his verbis. *Ab omni libidinis vitio præcavere, maximè illo, quod venit in filios diffidentiæ.* Quæ verba apertiùs declarantur in *dicto can. 11.* his verbis. *Incontinentia illa, quæ eſt contra naturam, propter quam venit ira Dei in filios diffidentiæ, & quinque civitates conſumpſit.* Filij autem diffidentiæ in utroque Concilio Lateranenſi, & in *cap. 4. infrà de exceſſibus Prælatorum* appellantur, qui in profundum vitiorum ita demerſi ſunt, ut nulla ſpes ſalutis ſuperſit. Quod ab Apoſtolo mutuatum eſt ad *Epheſios cap. 4.* ut hîc dominus Cujacius adnotavit.

Sed ut redeamus ad *cap.* 8. ideò de Clericis tantùm loquebatur Concilium Lateranenſe ſub Alexandro III. eo loco, ubi de Sanctimonialibus & Monaſteriis agit, quia promores erant Clerici in illam incontinentiæ ſpeciem, prætextu & colore viſitationis, prædicationis, vel alterius miniſterij. Unde frequentior illa prohibitio in perſona Clericorum & Monachorum, Epaonenſi Concilio *can.* 38. Turonenſi III. *can.* 29. Cabilonenſi II. *can.* 60. 61. & 62. Pariſienſi VI. *lib.* 1. *can.* 46. Quod ita intelligendum, niſi ſubſit cauſa manifeſta, rationabilis & inevitabilis; nunquam tamen ſine licentia Epiſcopi, aut illius, qui vice Epiſcopi fungitur: & præterea in conſpectu & præſentia plurium teſtium *dictis canonib. citatis*, maximè verò *Capitularium lib.* 7. *cap.* 28. *dicto can.* 46. Concilij Pariſienſis VI. & *can.* 24. XVIII. *Quæſt.* 2. Opus autem fuit pluribus canonibus & legibus, familiaritatis illius arcendæ cauſa, quam Monachi & Clerici prætextu Religionis affectabant cum Sanctimonialibus; etiam honeſta nomina rebus turpiſſimis imponentes & indicem; Agapetos & Agapetas, id eſt dilectos & dilectas, fratres & ſorores, ſe mutuò appellantes: & ut in integra *l. Eum qui. Cod. de Epiſc. & Cleric. decolore* * *conſortio* *Paſtoria appellationis* ſe excuſantes. Imò & ſacrilegè divinis Scripturis abutebantur in eam rem ex Epiphanio in *hæreſi Origeniſtarum can.* 3. Concilij Carthag. I. *Novella* 6. Juſtiniani *cap.* 6. ut ex Gregorio Nazianzeno, Hieronymo, & aliis locis probat doctiſſimus Pithœus in *Gloſſario* Juliani, dictione *Agapeti*. † Eadémque ratione duplicia Monaſteria ſæpiùs prohibita ſunt; ideò ſic appellata, quia in eodem Monaſterio Monachi ſimul & Sanctimoniales converſabantur, & in uno, & eodem Choro pſallebant *can.* 21. 22. 23. & 25. ſub finem. XVIII. *Q.* 2. & *lege* 44. *Græca, Cod. de Epiſcopis & Clericis*, in eam rem inſigni, cui debet adjungi *Novella* 123. *cap.* 36. & *Novella* 133. *cap.* 3. Reliqua quæ ad *capitulum* 13. pertinent, duobus *Titulis ſequentibus* perſequemur.

De Agapetis vide Chryſoſt. to. 4. edit. Pariſ. 257. & 283. & in *Notis* p. 25. 27. & 1053. & *Notas* in Gregorij Nazianz. *verſus* pag. 1353.

* Verbi *Decolorare*, quod retinent Imperatores, Vulgaris uſus eo ſæculo, *Collatio Carthagin. nu.* 4. & 5. & Gelaſius *can.* 23. 1. *Q.* 7.

† Merillius *obſervat. lib.* 6. *cap.* 1.

Cap. IX. & XI.

Decretalis iſta Gregorij duplex eſt. In prima parte autoritas Epiſcopalis officij ſcriptis Apoſtolicis munitur tantùm, ut loquitur *antiqua*; nihil de novo conceditur à Pontifice. In ſecunda verò parte Epiſcopis tribuitur poteſtas nova, quæ eis non competebat, ſed ſoli Pontifici. Et hæc ſecunda pars incipit ab his verbis, *Indulgemus*, &c. Totius verò Decretalis eſt brevis ſumma: ut Epiſcopi ſubductis ratione redituum, deductis expenſis, certum numerum Clericorum in ſingulis Eccleſiis conſtituant; qui quidem non ſeorſim, ſed in communi vivant, communi tecto, refectorio, dormitorio, & clauſtro utentes: & ad hoc vitæ genus compellantur inviti per ſuſpenſionem, & privationem beneficij, nonobſtante appellatione ad Sedem Apoſtolicam, quæ clauſula frequens eſt in reſcriptis. Secundò ſi contingat aliquem ex Clericis, qui in communi vivunt, in ſocium manus inijcere, quo facto incurritur excommunicatio à ſolo Pontifice ſummo relaxanda: hoc caſu indulget Pontifex, ut non ſit opus Ro-

mam pergere; ſed Epiſcopis ex indulgentia conceditur *hoc capitulo*, ut poſſint abſoluere reos: niſi fortè atrocior injuria graviorem pœnam deſideret, & ſummi Pontificis abſolutionem. Pertinet verò *hoc capitulum*, ut ex *integra* conſtat, ad Canonicos vel Clericos, vulgò regulares dictos, qui diſtinguntur à reliquis Clericis. Quod ut intelligamus pleniùs, & totius *capituli noni & undecimi* ſententiam: obſervandum eſt primis naſcentis Eccleſiæ temporibus, multitudinis credentium tantam fuiſſe charitatem, ut omnium cor eſſet unum, & anima una. Nec quiſquam eorum quæ poſſidebat, aliquid ſuum eſſe dicebat, ſed erant communia *Actorum cap.* 4. Indiſcreta erant omnia, præter uxores. *In illo loco conſortium ſolvimus, in quo ſolo cæteri homines conſortium exercent*, ut loquitur Tertullianus in *Apologetico*. Hanc conſuetudinem in Eccleſia diu viguiſſe ex Juſtini, Athenagoræ, Tertulliani, Minucij Felicis & aliorum Patrum locis Viri docti notaverunt, & confirmatur *can.* 2. 9. *&* 15. Cauſa XII. *Qu.* 1. Deferueſcente verò charitate, & creſcente numero fidelium, Laïci primùm ab illa vita communi receſſerunt, quam Clerici retinuerunt: nec tamen ſemper, ut ex Auguſtini *tribus ſermonibus de vita communi Clericorum* colligitur: quò referunt quidam quod ait Cyprianus de ſportulis Clericorum, & de diviſionibus menſurnis *epiſtola* 34. & de ſportulantibus fratribus *epiſtola* 66. Qui tamen loci ita debent intelligi, ut de pecunia & oblationibus, ſive bonis Eccleſiæ, ſtipendij, demenſi, & alimentorum ratione Clericis aliquid per diſtributiones, vel quotidianas, quæ diaria in utroque jure appellantur; vel per menſtruas aliquando erogaretur: nihil verò poſſiderent ſinguli, ut hodie fit: & ita non tollebatur omnino vitæ communio. Nam ſaltem tradebantur Epiſcopo, quæ poſteà ſingulis ex ejus ordinatione & juſſu per Diaconos, vel Oeconomos diſpenſabantur. In rebus enim omnibus Eccleſiaſticis plenam habebat poteſtatem Epiſcopus, quas tamen cum Preſbyterorum conſcientia, id eſt conſilio & conſenſu pertractare & adminiſtrare tenebatur, *can.* 13. 17. 21. 23. 26. & 27. *Cauſa* XII. *Qu.* 1. Communis autem illa vita diu permanſit: ſed ab ea ſeveritate ex juſta cauſa Epiſcopi aliquando diſpenſabant, ut conſtat ex *can* 8. *dicta Cauſa & Quæſt.* Et benignè generaliter obtinuit, ut non compellerentur Clerici eam obſervare: non ideò auferebatur Clericatus, vel delebantur de tabula Clericorum, niſi priùs ſanctæ ſocietatis promiſſum ſuſcepiſſent. Eo enim caſu recedere à ſociali vita non poterant, nec quicquam proprium poſſidere, vel ex eo teſtamentum facere *can.* 9. 10. *&* 18. *dicta Cauſa & Quæſt.* Liberum ergo erat Clericis, vel illam vitæ communionem amplecti, vel ſeorſim manere, ſeorſim vivere. Unde duæ Clericorum ſpecies ortæ ſunt, & nata differentia, & novum nomen Canonicorum regularium [qui Canonici regulariter profeſſi appellantur in *cap.* 14. *de Præbendis*,] & eorum, qui ſimpliciter Canonici dicuntur. Generaliter enim Canonici poſſunt appellari omnes Clerici, ut in *paratitulo* attigimus, & apertè exprimitur in *can. Sanctorum Diſt.* LXX. & in Concilio Aquiſgranenſi celeberrimo ſub Ludovico Pio, in quo forma inſtitutionis & vitæ Canonicorum, id eſt Clericorum eſt edita; qui à Mo-

Vide Sozomenum *Hiſt. Eccleſ. lib.* 6. *cap.* 32.

nachis ſæpiùs diſtinguuntur, maximè in *can.* 115. *&* 125. [Imò ſeparatim regulæ Monachis obſervandæ proponuntur.] Ex quibus intelligimus, quod ait *capitulum quintum de ſtatu Monachorum & Canonicorum regularium. Etſi à ſanctorum Monachorum conſortio Canonici regulares non putentur ſejuncti; regulæ tamen inſerviunt laxiori.* [Hoc tamen loco notanda eſt conſuetudo Eccleſiæ Anglicanæ multùm ab aliis Eccleſiis diverſa, de qua meminimus in *Diſſert. ad cap. auditis de præſcript. cap. 2. §. plura hujuſmodi* ſupra, in multis Eccleſiis etiam Cathedralibus nullos fuiſſe Clericos, ſed Monachos tantùm. Quod in errorem induxit doctiſſimum virum qui in *lib. 1. ſacræ Politiæ tit. 3. num. 6.* exemplo Eccleſiæ Anglicanæ deceptus, & ſimilitudine quæ Canonicos regulares inter & Monachos intercedit, nimis generaliter Canonicos regulares Monachos fuiſſe aſſerit.] Ideò verò videntur Clerici regulares Monachis eſſe ſimiles; quia nihil proprium eis poſſidere licet, vitam communem colunt, clauſtrum, refectorium, & pleraque cum Monachis habent communia. Quæ omnia comprobantur ex dicto Concilio Aquiſgranenſi, & ex pleriſque aliis Galliæ & Germaniæ Conciliis, & ex *noſtro capitulo.* Cucullas tamen & habitum Monachorum uſurpare prohibentur, dicto Concilio Aquiſgranenſi *can.* 125. in quo uſus ille cucullæ & Monachici habitus, qui apud pleroſque Canonicos inoleverat contra morem Eccleſiaſticum, reprehenditur & prohibetur. Quinetiam Canonicus regulariter profeſſus, niſi publicè lapſus fuerit, non efficitur Monachus. Quòd ſi Monachum eſſe tentaverit, ad ordinem Canonicum retrahitur; & deinceps memorialem cucullam defert, in ſignum Canonicatus ſemel deſerti, & ultimus in choro manet [*can.* 2. *&* 3. XIX. *Q.* 3. *& cap.* 12. *de ætate & qualit.*] Sed poſteà temperatum eſt jus illud aſperum *cap.* 10. *&* 18. *extr. de regularibus & tranſeuntibus ad Religionem:* ad quorum interpretationem ſingularis eſt *epiſtola prima* Stephani Tornacenſis: & nos alio loco cauſas illius mutationis expendemus. Procedente verò tempore plures Eccleſiæ divitiarum copia oneratæ, & pietate defectæ; diverſis quidem temporibus, ſed uno impietatis ſpiritu, regularis vitæ communitatem abiecerunt, ut loquitur Abbas Trithemius in *Chronico Hirſaugienſi* ad *annum* 975. quo tempore, ait pleroſque Canonicos per Germaniam regulares eſſe deſiiſſe, & factos eſſe nomine & converſatione ſæculares. Pervaſit ille morbus & diſciplinæ lapſus Galliam, licet ſerius: cui obſtiterunt Viri magni Ivo Beluacenſis Præpoſitus [*epiſt.* 69. *&* 213.] Hugo & Richardus de S. Victore, & alij. Sed de Canonicis pleniùs ad *tit. de Regularib. & tranſeunt. ad Relig.* & ad *tit. de ſtatu Monach. & Can. Regul.* [de quibus vide Molanum *lib.* 1. *cap.* 14.]

Vide *cap.* 2. *de Poſtulando, & cap. meminimus* 3. *qui Clerici vel voventes,* & ibi Cujacium.

Vide Petrum Aurelium *contra Læmelium* pag. 352. & 353. & pag. 399.

Supereſt ut reliqua hujus *Capituli noni* breviter perſequamur. Et quidem quod de certo numero Canonicorum dicitur in Eccleſia conſtituendo, hæc regla ſervanda, ut redituum Eccleſiaſticorum ratio habeatur. Proinde ut dicitur in *can.* 118. dicti Concilij Aquiſgranenſis. *Præpoſitis ſolerter providendum eſt, ut in hoc negotio modum diſcretionis teneant, ſcilicet ut nec pluſquam oportet, & quo facultas Eccleſiæ ſuppetit in congregationem admittant: nec eos, quos rationabiliter*

Non facile augendus numerus, etſi redditus augeantur *cap. ult. de verbo ſignif.*

gubernare poſſunt, cauſa avaritiæ abiiciant. Quod & confirmat *Capitulum Cùm Martinus* ſuprà *de Conſtitutionibus*: quibus addere licet, [*l. in Eccleſiis* 11. *Cod. de Epiſc. & Clericis*, &] *Novellas* Juſtiniani 3. 6. *cap. ult.* [*&* 16.] in eam rem inſignes, juncta *Novella* Heraclij, quæ in *jure Orientali* Leunclavij inter primas habetur, & ad *Novellam tertiam* Juſtiniani omnino pertinet. [Ex quibus colligitur ad Epiſcopos propriè pertinere illam cognitionem, quorum diligentiam aliquando in *d. l. & Novel.* Imperatores excitarunt. Sed poſtea Pontifices ob frequentes inter Capitula & Eccleſias ſuæ Diœceſeos, tam de exemptionibus, quàm aliis de cauſis quæſtiones jus illud ſibi vindicavere: in quo tamen exercendo prudenter & religioſè verſati ſunt; nec unquam Epiſcopos prætericrunt, in quorum Diœceſi ejuſmodi reformationes faciendæ fuerunt, ut licet colligere ex omnibus ferè locis, in quibus ea de re agitur, ut in *hoc cap. & cap. ex parte de Conſtitut.* Sed & hunc articulum & alios ad hanc materiam pertinentes infra explicabimus ad *cap. 22. de Prabendis.*] Prætereà *hoc capitulo* indulget ſummus Pontifex Epiſcopis, ut excommunicatio, quæ propter percuſſum Clericum incurritur, de qua in *can. Si quis ſuadente Cauſa* XVII. *Qu.* 4. ab eis poſſit relaxari. Quo pertinet etiam *cap. 2. de ſententia excommunicationis.* Obſervandum verò quod permittitur Epiſcopis *hoc capitulo*, ut certum Clericorum numerum conſtituant; illud eis prohiberi in Monachos *cap. 16. extra de exceſſibus Prælatorum*, [contra jus vetus *cap. 1. extra de Inſtitut.*]

Poſtremò ad *cap.* 11. hoc tantùm videtur notandum, veſtium diſcrimen & differentiam in Clericis & Monachis mutari & tolli poſſe, prout expedit Eccleſiæ utilitati; ita ut Canonici regulares & Monachi eodem genere veſtis uti poſſint. Et conſilium Caſſiani *lib. 1. cap. pen.* in hujuſmodi quæſtionibus eſt utiliſſimum. *A nobis*, inquit, *tenenda ſunt illa tantummodo, quæ vel locorum ſitus, vel uſus provinciæ admittit.* Et poſteà in fine ejuſdem *capituli. Vt omnis ſumma noſtri veſtitus, non in novitate habitus, qui poſſit offendiculum hominibus hujus ſæculi inferre, ſed honeſta in vilitate conſiſtat.* Olim verò unus & idem veſtis, color & habitus Monachorum fuit, niger ſcilicet, ut vel ex Eunapio in *Ædeſij ſophiſtæ vita* ſub finem colligitur, τυραννικὴν γὰρ εἶχε ἐξουσίαν τότε πᾶς ἄνθρωπος μέλαιναν φορῶν ἐσθῆτα, καὶ δημοσίᾳ βουλόμενος ἀσχημονεῖν. Quem diutiſſimè retinuerunt; donec exortis Ciſterſienſibus, Alberico & Roberto ducibus, circa annum 1098. in albos & nigros Monachi diſtingui cœperunt. Innumeræ poſteà Sectæ exortæ ſunt, & vitæ & veſtis ſpecie diſtantes plurimum, ſub Innocentio III. autore *hujus capitis*, & poſteà; adeò ut opus fuerit in generali Concilio Lateranenſi ſub eodem ſtatuere, ne quis de cætero novam Religionem inſtitueret; ſed qui ad Religionem converti vellet, unam de approbatis aſſumeret *cap. ult. de Religioſ. domib.* Sed huic morbo Medicos coactos cedere uſus hodiernus docet.

An

Ad Cap. XII. XIV. et XV.

AD illuſtrationem iſtorum *capitum* quædam adnotabimus tantùm: nec enim magnam habent difficultatem. In primo ſtatuitur, ne in Eccleſiis ludi theatrales fiant; ſed mos ille extirpetur, qui invaluerat, ut aliquibus anni feſtivitatibus Clerici etiam hujuſmodi inſaniæ inſervirent. Quæ tamen corruptela multò poſt remanſit; adeò ut opus fuerit, ut nova conſtitutio ſuper ea re promulgaretur in Concilio Baſileenſi *ſeſſ.* 21. cujus verba relata ſunt in noſtra Sanctione Pragmatica, *titulo de ſpectaculis in Eccleſia non faciendis*. Et generaliter ars mimica, joculatoria, & hiſtrionia omnibus in locis, Clericis interdicitur *cap.* 15. *hoc titulo*, *& capitulo unico hoc tit. in ſexto apud Bonifacium*; ita ut nequidem ſpectandi cauſa eis intereſſe liceat *l.* 34. §. 1. *Cod. de Epiſcopali audientia*, *& Novella* 123. *cap.* 10. Antonius Auguſtinus in *epitome juris veteris Pontificij lib.* [*6. tit.* 51. *& lib.*] 8. *tit.* 24. *Clerci ſervent gravitatem*, *& ludos ſæculares non ſpectent*. Et hæc non tantùm in Clericis, ſed etiam in Laïcis Eccleſia ſæpiùs damnavit, Tertull. *lib.* 1. *de ſpectaculis*, & Conc. Carthag. III. *can.* 35. Vide doctiſſimum Savaronem in *tractatibus contra Larvas*, ne actum agamus.

In *cap.* 14. damnatur in Clericis ebrietas, & ſpecialiter mos ille, quo ad potationes ſeſe provocant, & calicibus certant. Eóque pertinet, quod ſtatuitur in *capitulo* 15. ne Clerici tabernas frequentent, niſi peregrinationis neceſſitas coëgerit: quod ex veteribus Conciliis deſumptum eſt, Laodiceno *canone* 7. 24. *&* 25. Carthag. III. *can.* 27. & in eam rem notandum eſt quod Hincmarus Remenſis ſcribit in *capitulis*, *capitulo* 23. *tom.* 3. Conciliorum Galliæ pagina 614. Minatur Clericis, ſi à tabernis & comeſſationibus non abſtineant, conceſſurum ſe, quod ab eo Laïci petebant; ut ſi evidenter cum teſtibus, quò negari non poſſit à quoquam, *Preſbyterum in tabernis invenerint, caballum & cappam inde eis habere liceat.*

In *c.* 15. quod ex Concilio Later. deſumptum eſt, multa ſimul colliguntur, quæ ad honeſtam vitam & decorem Clericorum pertinent, quorum pleraque ſuprà explicare occupavimus. Supereſt, ut reliqua breviter perſtringamus. Et quidem initio inhoneſta commercia prohibentur: quod confirmatur *Clementina prima hoc titulo*, in qua Clericis ars macellariorum, ſive laniorum, quos carnifices vocat, prohibetur. Et rectè inhoneſta: permittuntur enim, imò & imperantur Clericis opera & negotiationes honeſtæ, mercaturæ honeſtati conſciæ *l.* 14. *Cod. Theodoſ. de Epiſcopis & Cleric.* Apoſtolorum exemplo & veterum Canonum præceptis, Epiphanius *hæreſi* 80. Auguſtinus *de opere Monachorum*, & Concilium Carthag. I. *can.* 9. Ferrandus *numero* 133. Carthag. IV. *canone* 42. 48. *& ſeq. & can. nunquam de conſecratione Diſt.* v. Secundò in *capitulo* 15. alea & taxillis nec ludere, nec hujuſmodi ludis intereſſe debent Clerici: quod à Juſtiniano diſtrictiſſimè prohibetur *Novella* 123. *cap.* 10. elegantiſſima *lege* 34. §. *tertio*, *& ſeqq. Cod. de Epiſcopali audientia*, *& Novella* 12. *cap.*

Vide Conc. Eliberit. *can.* 18.

10. Et alea tanquam grave crimen Priſcillæ, Maximillæ, & aliis Montani Prophetiſſis objecta eſt ab Apollonio ſcriptore Eccleſiaſtico illorum temporum apud Euſebium *lib. 5. cap 17* Ἀναγκαῖον δὲ δεῖ πάντας καρποὺς δοκιμάζεσθαι προφήτου; προφήτης εἰπέ μοι βάπτεται, προφήτης στιβίζεται, προφήτης φιλοκοσμεῖ, προφήτης τάβλαις καὶ κύβοις παίζει, προφήτης δανείζει. [Qui locus ex eodem Apollonio citatur in *indiculo Hæreticorum*, ſub Hieronymi nomine nuper edito à doctiſſimo Maynardo Juliom. Andium Proprætore, *Hæreſi* 20. ſed corruptiſſimè. Ex Græco ita corrigendus eſt. *Contra hominum ſupra memoratorum Prophetas Apollonius vir diſertiſſimus ſcripſit inſigne volumen & longum, aſſerens Montanum & inſanam ejus vatem ſuſpendio periiſſe* (Maximillam intelligit, ut colligitur ex Euſebio lib. 5. cap. 15. circa mediem) *& multa alia, in quibus Priſca & Maximilla Propheteſſæ negant accepiſſe munera. Confiteantur, &c.* Deinde. *Dic mihi: crinem fucat Propheta? ſtibio oculos linit? Propheta ad tabulas ludit & teſſeras? &c.* Omittit φιλοκοσμεῖ: ad quod hoc loco ita Ruffinus vertit. *Prophetiſſa ornamentis utitur, & ornatibus delectatur?*] Nec tantùm Clericis, ſed etiam Laïcis legibus [& canonibus] alea prohibita eſt [*Eliberitan. cap. penul.*] & in Libris noſtris *tit. de alea luſu & aleatoribus*, & in *Capitular. lib. 6. cap.* 200. Poſtremò de veſtitu decenti Clericorum agitur, ut & antè pluribus Conciliis, antiquis & novis ſæpiùs conſtitutum. [Auguſtini ea in re exemplum expedit proponere ex Poſſidonio in *ejus vita*. *Veſtis ejus, & calceamenta, & lectualia ex moderato & competenti.*] Ad hujus verò *Capituli* intellectum addendus eſt omnino inſignis locus Bernardi *lib. 3. de conſideratione ad Eugenium cap.* 11. qui in eam rem recitat *canonem* 2. integrum Concilij Remenſis, cui Eugenius intererat, [quod extat hodie]. Addi etiam debet *Clementina ſecunda hoc titulo*. Sed in hujuſmodi conſtitutionibus, quæ ad vitam & honeſtatem Clericorum pertinent, uſurpare licet, quod ait loco citato Bernardus. *Luxus veſtium interdictus; ſed non reſtrictus: pœna dictata; ſed minimè ſecuta.* Et ita, quod plerumque fit, mali mores Leges & Canones in ſuam poteſtatem redegerunt.

DE DISPENSATIONIBUS ECCLESIASTICIS

PRÆFATIO.

IN APERIENDIS JURIS SCHOLIS ab Autore publice habita anno 1648.

ILLVSTRISSIMO VIRO PETRO SEGVIERIO, Franciæ Cancellario, ſcientiarum omnium, Iuris maxime Civilis & Canonici vindici & Aſſertori.

FRANCISCUS FLORENS, ANTECESSOR.

PRÆTERMITTEMUS galeatos & vulgares Prologos de methodo, de ratione & utilitate docendi & diſcendi; quandoquidem non modò Dialecticorum & Rhetorum ſcholæ Declamationibus hujuſmodi ferueut quotidie: ſed etiam Methodorum, Compendiorum, Breviationum, ſcientiarum omnium, Juris præſertim Civilis & Canonici, ſplendidis titulis & Traſonicis pollicitationibus oblinendis & conſcribillandis, vix ampliſſimæ civitatis trivia & compita numeroſiſſima ſufficiunt; Pariſiis ut expeditius ſit invenire Doctorem, quàm diſcipulum. Adeóque ne paſſivis & inordinatis ſcriptionibus & fuliginibus regia civitas deformetur; nova & inaudita propediem apud vigilantiſſimos Ædiles & Aſtynomos controverſia ſperanda ſit, inter comœdos, circulatores & dupondios ſophiſtas, cæteroſque fumi venditores, de variis Programmatis, Pittaciis, & Monitoriis, in compitis, in ſacris, & publicis aliis locis diſponendis, dirigendis, ordinandis.

Nempe ſemel amiſſa docendi & diſcendi Juris vera & legitima forma, publicis legibus ſapientiſſimè conſtituta & fundata, uſuque diuturno plurium ſæculorum comprobata; conveniens erat Methodos innumeras, falſas, inanes & commentitias excogitari: conſequens erat eas primum juventuti novitatis & brevitatis amantiſſimæ, per conductitios proxenetas & pararios ſubtiliter oſtentari;

deinde feſtinantibus & conniventibus parentibus obtrudi ; tandemque in publicum & privatum damnum eodem hamo methodi ſuaviſſimæ ſimul ineſcari. Patet unica difficilis ; at certa , ſicut ad virtutem, & ad ſcientiam via : ad vitium, ad errorem & imperitiam panduntur innumeratæ, aditu quidem faciles , progreſſu fallaces, exitu & eventu perniciosiſſimæ. Multiplices tamen illos viarum anfractus & diverticula rumore vulgi conſtat evaſiſſe celeberrima, ſtudioſorumque gregibus & turmis ubique teri & frequentari : Academias verò, publica ſcientiarum & juſtitiæ Templa, more peſſimo deſtitui & ſolitudinem pati.

Nequicquam toties, Anteceſſores doctiſſimi, nequicquam anno ſuperiori Decanus & Collega meritiſſimus, in hac ſe paleſtra ſedulus exercuit & maceravit, deceptis ut ſubveniret , aberrantibus ut comiter monſtraret viam : illius veriſſimæ & graviſſimis rationibus inſtructiſſimæ Præfationi nemo doctus ex animi ſententia non ſubſcripſerit. Verum quid faceres ? cur te cruciares ? nihil apud deceptos amplius laturus,

——— *quam qui adverſo flumine lembum*
Remigio ſubigit.

Quieſcas potius & tibi parcas : inhæreat firmius animo vulgatum illud :

Δήμου σφαλέντος, πᾶς ἀγύρτης ἄρχεται.

Nihilominus benigne tentemus aliquid, exemplis , quæ ad probandum & perſuadendum graviſſima ſunt & efficaciſſima, decertemus; utiliſſimique argumenti tractatione propoſita , prudentiſſimis auditoribus inſinuemus , ad Juris Civilis vel Canonici , nedum ad utriuſque mediocrem cognitionem & intelligentiam , non abſque multo pulvere , non abſque vero & continuato labore , nec ſine docto & fideli Magiſtro poſſe perveniri. Hæc Parerga neceſſaria & utilia ſunto.

Procedat ut hæc noſtra de *Diſpenſationibus Eccleſiaſticis* Præfatio certa ratione & ordine; nominis homonymia & ambiguitate , quæ viros doctiſſimos in errorem impulit , primùm diſcuſſa ; poſteaque diſtinctis ſpeciebus ſingulis, illam Diſpenſationis ſpeciem tractandam ſuſcipiemus, quæ ad univerſam gubernationem & regimen Eccleſiæ, ſive Politiam pertinet : quid ipſa ſit ; quibus in cauſis locum non habeat; in quibus habeat; quàm neceſſaria ſit & utilis; quibus perſonis diſpenſandi poteſtas & autoritas , quibuſque conditionibus commiſſa & demandata fuerit ; denique quantùm juſta & Canonica diſpenſatio diſtet à ſimulata & falſa. Quod ſi per anguſtias temporis concedatur, ſpeciem diſpenſationis præſtantiſſimam , quæ circa mores & ritus verſatur , περὶ τὰ ἔξωθεν , ſelectis inſignibus aliquod exemplis ex Scriptura, Conciliis , & Eccleſiæ Catholicæ Scriptoribus & Hiſtoricis illuſtrare conabimur. In univerſa verò tractatione perpetuam, quatenus dabitur, Eccleſiæ Orientalis & Occidentalis comparationem adhibebimus.

Quæ ſæpius in Scripturis & à Græcis Patribus & Scriptoribus Eccleſiaſticis ſolet appellari, οἰκονομία, συγγνώμη, συγχώρησις, κατάβασις,

συγκατάβασις & συμπεριφορά; veteres Scripturarum Interpretes & Latini Patres nominant *Diſpenſationem, indulgentiam, veniam, remiſſionem, diſpoſitionem*; aliquando ἐκ παραλλήλου conjunctim explicationis gratia, diſpoſitionem ſive œconomiam; vel verbum verbo, condeſcenſionem, συγκατάβασιν.

Quocumque verò nomine cenſeatur Diſpenſatio in duo ſumma genera dividitur. Vel enim in rebus & factis conſiſtit, vel in verbis, in Scripturarum ſenſibus profundis & implicitis ſcrutandis, eruendis & enucleandis exercetur: unde frequentiſſime apud utriuſque Teſtamenti veteres & novos Interpretes, ad pleraque loca difficillima notationes adſcribuntur hujuſmodi, οἰκονομικῶς, συγκαταβατικῶς, vel κατ' οἰκονομίαν, & κατὰ συγκατάβασιν; noſtri diſpenſativè, vel per diſpenſationem. Exempla paſſim in Scripturis occurrunt: verbi gratia, quoties lætitia, triſtitia, pœnitentia, zelus & ira, ſomnus, fames & ſitis, quæ ſunt hominum propria, Deo Optimo Maximo figuratè & ἀνθρωποπαθῶς facilioris intelligentiæ cauſa tribuuntur, vel Chriſto Servatori ſecundùm humanitatem verè & propriè accommodantur. Quæ quidem ſecundùm naturalem verborum ſonum ſimpliciter, ſententia & cauſa dictorum non benè propenſa, vel pravè & malignè affectata, contra receptam Eccleſiæ interpretationem, Arianorum, Eunomianorum, Macedonianorum, Neſtorianorum, Eutychianorum, præſertimque Agnoëtarum, & Antropomorphitarum perniciosiſſimas hæreſes induxerunt. Quos ſane hæreticos omnes temeritatis & imperitiæ, vel ipſi profani Scriptores convincere poterant, apud quos eruditi Magiſtri ſchemata, χρώματα, διανοίας, figuratas dicendi formas paſſim obſervant; in quibus nuda ſi verba ſpectemus, aliud palam exprimitur, aliud latens Lectori perſpicaci quaſi per quandam ſuſpicionem inveſtigandum relinquitur. Primam iſtam diſpenſationis ſignificationem, ad veram Scripturarum interpretationem prorſus neceſſariam, miſſam faciemus, ut propoſito convenienter, ad diſpenſationem, quæ in rebus ipſis obtinet, tranſeamus.

Præſtantiſſima Diſpenſationis ſpecies, quæ in rebus conſiſtit, & quæ per eminentiam Diſpenſatio & Oeconomia ſolet à Theologis appellari, eſt ea demiſſio & abjectio, qua Chriſtus modo plane mirabili, quem humana ſapientia capere non poteſt, ſeipſum exinaniens formam ſervi accepit, ἐνανθρώπησιν, ἐνσάρκωσιν, ἔνσαρκον ἐπιδημίαν & abſolute plerumque Græci vocitant οἰκονομίαν, cui θεολογίαν, id eſt divinitatem opponunt: nos *incarnationem* & *diſpenſationem* appellamus. Incarnationem quippe Athanaſius, totius Eccleſiæ in hoc myſterio ſummus Magiſter, factam fuiſſe ait διὰ τὴν πρὸς τὰ κτίσματα συγκατάβασιν: eleganter Baſilius Seleucienſis, ἐκ φιλανθρωπίας ἡ κατάβασις ἐξ ἀγαθότητος ἡ ἐνανθρώπησις, & ex hoc amento validiſſimum telum contorquens adverſus Arianos, εἰδέπου τῶν ἐξ οἰκονομίας ῥημάτων κατιδεῖν, ἅπερ αἰτίαν ἔχει τὴν συγκατάβασιν, ἀσεβείας συνήγορεις αὐτοὺς τὴν οἰκονομίαν ἁρπάζων. Sublimiorem itidem iſtam œconomiæ ſpeciem admirandam, & venerandam potiùs, quàm explicandam Theologis relinquemus.

Alteram diſpenſationis ſpeciem, quæ pariter de rebus, ſubtilem

minus ; neceſſariam tamen & planè Canonicam, quæ gubernationis & regiminis Eccleſiaſtici nobiliorem partem conſtituit, accuratiùs excutiamus. Non incommodè à noſtris definiri ſolet, *Juris communis per Eccleſiæ Præſides, ex juſta cauſa, canonicè facta relaxatio.* In re ſimili Theophraſtus elegantiſſimè, ὑγειοις τῆς ἀσεβείας ἐν δόσει.

Debemus altiùs ab origine rem univerſam arceſſere. Quamvis Juris & legis omnis ſit proprium, *imperare, vetare, punire & permittere;* non tamen eadem eſt vis, non eadem poteſtas omnium legum & Jurium, nec pariter & ex æquo ab omnibus recedere, vel abſolvere permittitur. In Eccleſiaſtico Jure conſiſtamus.

Leges divinæ & Canones quædam fieri permittunt & ſinunt, per indulgentiam, κατὰ συγγνώμην, κατὰ συγχώρησιν quæ nec imperant, nec præcipiunt. Permittunt conjugium, ut vitetur fornicatio & adulterium; remedium oſtenditur, præmium non promittitur : ſi quis tamen contempto remedio, delapſus fuerit in fornicationem, aut adulterium; judicium exitiale & pœna confeſtim indicitur. Vetatur itaque fornicatio & adulterium; vetatur idolorum cultus, homicidium, furtum, & quæcumque divinæ legis tabulis Omnipotentis exarata manu cunctis mortalibus prohibentur

Magnæ ſunt perpetuæ & æternæ leges, Deo legiſlatore latæ, ab ejus immobili & immutabili ſpiritu dictatæ, juſtitiæ & æquitati naturali planè convenientes; adverſus quas, imperent aut vetent, nec autoritas, nec ſumma Pontificum, Imperatorum & Regum, & populorum poteſtas, nec ulla temporum ſpatia quicquam ſtatuere, concedere & indulgere poterunt. Solus legiſlator Deus Optimus Maximus, vel expreſſo & manifeſto, vel tacito mandato, ſemper tamen juſto, adverſus quædam ex hujuſmodi præceptis aliquid fieri, prudentiſſimè pro ſua immenſa & infinita ſapientia nonnunquam mandavit : exempli gratia, Scripturæ commemorant Idololatrarum, vel contumacis populi Judæi cædes, Ægyptiorum ſpoliationes & prædas divinitùs imperatas : quam diſpenſationem divinam his elegantiſſimis verbis facundè Chryſoſtomus explicavit. *Frandis quidem magna vis, modò ne fraudulento ea animo fiat : quam ipſam tum ne fraudem quidem nominandam putaverim; verum œconomiam quandam potius ac ſapientiam, artemque, qua poſſis è mediis, iiſdemque imperviis deſperatarum rerum anguſtiis difficultatibuſque, correctis emendatiſque animi vitiis, evadere. Neque enim Phinees illum homicidam ego unquam appellaverim; quanquam is plaga una corpora duo ſuſtulit : quemadmodum neque Heliam, vel poſt milites centum unà cum ducibus ſuis interfectos, atque adeò poſt magnum illum ſanguinis torrentem, quem eorum nece, qui dæmonum Sacerdotes erant, fecit excurrere. Nam ſi hoc dederimus, & res ipſas per ſe ſingulas, nudas ab autorum ſuorum conſilio propoſitoque ſeparatas expendere quis voluerit; nemini ſane non licebit, vel Abraham ipſum parricidij accuſare : item & illius tum nepotem, tum abnepotem doli ac maleficij reos agere. Sic enim ille jus ſibi primogenitum uſurpavit; hic autem Ægyptiorum opes in Iſraëlitarum caſtra tranſtulit. Sed non eſt ita, non eſt ita. Faceſſat hinc tanta iſta impudentia : neque enim ſolùm eos, quos modò nominavi, culpa liberamus;*

Lib. 1. de Sacerdotio in fine.

ſed etiam eoſdem vel hoc nomine admiramur: quandoquidem & ipſi hoc demum nomine gratiam à Deo magnam inierunt. Proinde illuſoris deceptoriſque nomine dignus fuerit, quiſquis reipſa iniquo ac nocendi animo abutitur; non qui recto conſilio id praſtet; alioqui ſæpenumerò profuit decepiſſe, & hac potiſſimum arte in maximis rebus alteri opem ſubſidiumque tuliſſe. Cæterum qui recto ſemper calle ingreditur, de eo nunquam deflectens; ſæpe fit ut ei etiam, cui non aſtum aliquem ſtruxerit, malorum incommodorumque quamplurimorum autor ſit.

Immobilia ſunt & immutabilia pariter quæcumque de virtutibus & Chriſtiana perfectione in Scripturis conſcripta reperiuntur.

Perpetua præterea ſunt & immutabilia quæcumque de Fide & dogmatibus præcipiuntur & imperantur; quæ ſemel in ſacris Libris depoſita & conſignata, ſemper integra & illibata permanebunt in Eccleſia. *Regula Fidei*, ait Tertullianus, *una omnino eſt, ſola immobilis & irreformabilis:* cui nec derogari, abrogari, vel ſubrogari poteſt, ab Angelis ipſis, nedum ab hominibus, ſive conjunctim in Conciliis generalibus plenariis, aut particularibus: ſive ſeorſim à ſummis Pontificibus, Patriarchis, Epiſcopis, quibus pretioſi Fidei depoſiti ſola tuitio, cuſtodia & interpretatio Canonica, ſpiritu ſuggerente dictata pronunciataque commendatur & permittitur. Hic penitùs cujuſlibet diſpenſationis & indulgentiæ ratio ceſſat & adimitur. *De Virginibus velandis initio.*

Hactenus de legibus & præceptis immutabilibus & perpetuis diximus, quæ obſervata ſalutem conferunt, non obſervata ſalutem auferunt: proximum eſt ut de legibus & præceptis mutabilibus, mortalibus & caducis diſſeramus: de quibus idem Tertullianus. *Lege fidei manente, cætera jam diſciplinæ & converſationis admittunt novitatem correctionis; operante ſcilicet & uſque in finem gratia Dei proficiente.* Iſtas leges ſolui, relaxari, temperari, abrogari & retractari ſæpiſſime contingit, &, ut Auguſtinus loquitur, *quoties ex ipſis rerum experimentis demonſtratur quod prius erat obſcurum, quoties depromitur quod latebat, quoties aperitur quod conducibilius eſt Eccleſiæ; tunc cum ſancta humilitate, cum pace Catholica, cum charitate, abſque ullo ſuperbiæ typho, abſque ulla inflata cervice arrogantiæ, abſque ulla contentione livida invidia commutatur in melius.* *Auguſtin. lib. 2. de Baptiſmo cap. 3.*

Hujuſmodi ſunt plurimæ conſtitutiones Conciliorum & Pontificum, quas Eccleſiæ Præſides, veluti fideles & prudentes divinorum Myſteriorum diſpenſatores, ad muniendam tutiùs ſalutem, ad incrementum, amplificationem & ædificationem Eccleſiæ diverſis temporibus tradiderunt. In mobilibus hujuſmodi præceptis, quando vel univerſarum Eccleſiarum, vel alicujus Eccleſiæ neceſſitate vel utilitate ſuadente, ſicut attigimus, honeſta vel utilis ſequitur compenſatio, autoritate legitimè præſidentium, cauſa cognita, non tantum diſpenſatio præcedere poterit, ſed etiam prioris conſtitutionis derogatio & abrogatio. Cauſa tamen ante canonicè diſcutienda eſt & examinanda; nec à quibuſlibet, ſed ab illis quibus divina diſpoſitione poteſtas & autoritas commiſſa & delegata primùm; perpetua deinde nec interrupta ſucceſſionis ſerie in Eccleſia continuata per-

manſit, à legatis Dei & ſucceſſoribus Apoſtolorum venerandis Antiſtibus & Epiſcopis, οἷς τῶν Ἀρχιερατικῶν θρόνων οἱ νόμοι κατεπιστεύθησαν. In ea cognitione & examine concordiæ, unitatis & utilitatis publicæ Eccleſiarum prima ratio eſt habenda; ne quid temerè, ne quid iracundè, ne quid intempeſtivè, ne quid in privatum commodum, de communi & publica utilitate, vel in privatorum injuriam diſpenſatores ſubdolè & vafrè decerpſiſſe & deminuiſſe deprehendantur. Quod enim de publico ſtatu Reipublicæ ſcripſit autor optimus, ad Eccleſiaſticum opportunè deflectemus. Stare debent omnes Eccleſiæ Præſides tanquam in aliquo orbe Eccleſiæ; qui quoniam in varias partes verſatur, eam partem deligere debent, ad quam Eccleſiæ ſalus utilitaſque converterit; nec pertinaciter ſemper eaſdem ſententias, ſed quaſcumque Eccleſiæ & Reipublicæ ſtatus, inclinatio temporum & concordiæ ratio ſuaſerit defendere, eaſque ex neceſſitate Eccleſiæ moderari.

Hæc omnia ſi conjunxerimus, exorietur & conſtabit illa germana *Canonica, juſta & tuta Diſpenſatio, indulgentia, venia*, οἰκονομία, συγκατάβασις, συμπεριφορὰ, toties & laudata, & ſalubriter temporibus Eccleſiæ difficillimis uſurpata; quam nemini ſapientum diſplicere ſcripſit veriſimile Cyrillus; cujus ſcopus & finis eſſe debet charitas, concordia, & Eccleſiarum commune bonum.

Cavendum tamen maximè, ne recti ſpecie decipiamur: diſpenſationis enim veræ formam & habitum ſolet adumbrare & ementiri ſimulatio, nundinatio, & multiformis avaritia, ὑποστολὴ, ὑπόκρισις, καπηλεία, χρηματισμὸς, αἰσχροκερδία. Eleganter Proclus Patriarcha Conſtantinopolitanus *artem Midæ* vocavit; quæ ſubtili ingenio, ex ipſa religione lucrum verſutè captare conſuevit, & ut Apoſtolus loquitur, εὐσέβειαν πορισμὸν exiſtimat. Illam in Pauli Samoſateni Antiocheni Patriarchæ damnatione, qui vænalitatem pompam, typhum, & faſtum ſæculi modis omnibus in Eccleſiam inducere ſatagebat, Patres Concilij Antiocheni ſuis coloribus variegatam & expreſſam artifici penicillo, poſteris ſpectandam & dignoſcendam exhibuerunt; cui & apprimè Poëtæ verſus conveniunt.

——— pulchra Laverna
Da mihi fallere, da juſtum ſanctumque videri,
—— Noctem peccatis & fraudibus obiice nubem.

Non diſſimili ſagacitate ſummus Hiſtoricorum Polybius, prudentiam politicam, quam vocat πολιτικὴν συνοικονομίαν & πραγματικὴν, cujus conſilia publica neceſſitas exprimit; quæ nonnunquam aliud cautè ſimulat, aliud agit; quæ non partis, nec alicujus privati, ſed totius rei & negotij æquitatem conſiderat; quæ ex omnibus perſonis, quæ negotio continentur, vide Orig. expletur; ideoque ſæpe in ſpeciem contraria περὶ ὑπόθεσιν variè decernere videtur, accuratè diſtinguit & ſeparat à veteratoria & aſtuta malitia, quam κακοπραγμοσύνην appellat, quæ ſpecioſo publicæ utilitatis, & profundioris ſapientiæ velamento, privata compendia & injurias, dolos & nefarias inſidias prætexit & obtendit: & ſicut primam meritis laudibus effert, & decorat; ita ſecundam increpationibus & probris acerrimè perſequitur & exagitat.

Diſpenſationum

Diſpenſationum ſive Oeconomiarum Eccleſiaſticarum varias acceptiones explanavimus, & ſingularem, quam delegimus tractandam, Diſpenſationis ſpeciem definivimus: quid ipſa ſit, quibus in præceptis admittatur, vel non admittatur, quibus diſpenſandi jus & autoritas, quibuſque conditionibus à Deo demandata fuerit, quis ſcopus & finis Diſpenſationis eſſe debeat: quinetiam falſæ & ſimulatæ Diſpenſationi perſonam & larvam detraximus. Supereſt ut præcipuas Diſpenſationum enumeremus ſpecies.

Canonici quidem Juris Doctores & Interpretes veteres & novi Gratianum & Gloſſam ſecuti, modò tres Diſpenſationum ſpecies aſſignant, permiſſam, prohibitam, & debitam; breviùs in duas, permiſſam & prohibitam diſtinxiſſent: modo in ſex ſpecies partiuntur. *Vel enim* (ipſius Gratiani verbis utemur) *quædam Eccleſia tolerat pro tempore, pro perſonis, intuitu pietatis, vel neceſſitatis, vel utilitatis, vel pro eventu rei*, quoniam factum ſemel, amplius infectum fieri non poteſt. Verum & ea diviſio commodiùs ad tres ſpecies reduci poterit, *neceſſitatis*, *pietatis*, ut idiotiſmo Gratiani utamur, id eſt miſericordiæ ſive charitatis; & *utilitatis* cauſas: quæ tres cauſæ Diſpenſationes omnes Canonicas & tutas complectuntur. Tempus enim, perſonas, & eventus rerum eſſe duntaxat qualitates quaſdam & circumſtantias, περιστάσεις, rebus ipſis & factis extrinſecùs cohærentes, nec ipſe Gratianus diffitetur.

Provehamur altiùs, & juxta veterum Theologorum Græcorum doctrinam, Diſpenſationes omnes ſolidiùs quatuor objectorum ratione, in quatuor ſpecies dividamus. Vel enim Diſpenſationes occupantur περὶ τὰ ἔξωθεν, cum circa mores, ritus & diſciplinam aliqua remittuntur & relaxantur ad tempus, ne quid deterius eveniat; tum ut fidei & religionis ſinceritas in perpetuum conſtanter ſervetur; tum ut impetus & ictus irruentium, malignantium Hæreticorum declinentur & eludantur: vel περὶ τὰς λέξεις verſantur, circa varium & liberum dogmata & res fidei exprimendi modum; integris & incorruptis dogmatis ipſis permanentibus: vel περὶ τὰ πρόσωπα, ὅτι περιγράφονται πρόσωπα πολλάκις, quando certæ perſonæ abſtinentur & excommunicantur ab aliquibus Eccleſiis; ab aliquibus verò Eccleſiis recipiuntur, & in communionem admittuntur: inter utraſque nihilominus Eccleſias fidei unitate & concordia, abſque ullo reſpectu illarum perſonarum, benignè perdurante: μέχρι γὰρ τούτου τὰ τῆς οἰκονομίας ὁ ὀρθὸς λόγος ἀνέχεται, μέχρις ἂν οὐδὲν καινοτομεῖται τῶν τῆς ἐκκλησίας δογμάτων. Quartam liceat ſubjungere ſpeciem, quæ latiſſimè propagatur, & aliquando ſibi generis nomen ut proprium vindicat, & abſolutè vocatur *œconomia* & *Diſpenſatio*; ea nempe quæ circa delicta & crimina commiſſa & pœnas Canonicas verſatur, remiſſio & relaxatio, περὶ τὰ ἐπιτίμια. Primam ſpeciem, quæ graviſſimi momenti & ponderis, appoſitis inſignibus aliquot exemplis ex Scripturis, Conciliis, & Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Scriptoribus illuſtremus.

Speciei primæ περὶ τὰ ἔξωθεν, *circa mores & diſciplinam*, Scripturæ plura nobis exempla ſumminiſtrant. Chriſtus ad opus prædicationis diſcipulos dimittens, peram & ſacculum geſtare prohibuit; im-

minente verò Paſſionis tempore, peram & ſacculum diſcipulis reddidit, edocens in hujuſmodi traditionibus cedendum. Paulus Timotheum Lyſtris circumcidi paſſus eſt: rogante Jacobo Paulus Hieroſolymis azymorum tempore purificationem & ſacrificium ex more celebravit, & caput deraſit: contra Paulus idem non eſt paſſus Titum circumcidi. Paulus idem comminatur & intonat: *Si circumcidamini, Chriſtus nil vobis proderit: non juſtificabitur homo ex operibus legis, niſi per fidem.* Facta ejuſdem Pauli conſideremus & comparemus, contraria planè & pugnantia reperiemus: propoſitum & conſilium Pauli ſagaciùs inveſtigemus; firmum, tenacem propoſiti & conſtantem perpetuò & ubique Paulum deprehendemus. Unum illud ſolum prægeſtiebat & anhelabat Paulus, ut eorum omnium, qui illum videbant, audiebant & circumſtabant, ſive Judæorum, ſive gentilium modis omnibus ſalutem procuraret: propterea modò Paulus extollit legem, eam modò deprimit & deiicit, pro tempore, locorum & perſonarum opportunitate varius & multiplex, *non aſtu mentientis, ſed affectu compatientis*; ſingulis ita cupiens ſubvenire, quemadmodum ſibi voluiſſet ſubveniri, ſi pariter affectus fuiſſet. Iſidorus Peluſiota, ὃν ἀθετεῖ (νόμον ſcilicet.) ὡς τέλειος, νηπίοις μᾶλλον ἁρμόζοντα, οἰκονομικῶς δι' ἐκείνους ἐδέχετο, ἵνα γένωνται τέλειοι. Idem tamen Paulus eadem fere facienti Petro reſtitit in faciem, & ſimulationis graviter incuſavit; quia nempe nullam hîc Diſpenſatio utilitatem Eccleſiæ, ſed contra non mediocrem offenſionem ſimulatio noxia, & quæ ſcandalum gentibus afferebat. Quare meritò Patres Eccleſiæ, Chryſoſtomus in primis, Theodoretus & Auguſtinus in Paulo; ut verbis utamur Aniani elegantis & antiqui Interpretis Chryſoſtomi, *Diſpenſationis profundum admirantur.*

Similia quædam Diſpenſationum exempla repetamus ex Conciliis & Eccleſiaſtica Hiſtoria. Antiqua & vetus eſt Eccleſiæ Conſtitutio, *Ne quiſquam poſt actam publicam de aliquo crimine damnabili pœnitentiam, Clericatum accipiat, vel ad Clericatum redeat; tum ut deſperatione temporalis altitudinis medicina major & verior eſſet humilitatis,* ait Auguſtinus; *tum ne cum ſcandalo & indignatione reliquis præeſſet fidelibus, qui in tantum ſcelus ſe dejeciſſet.* Servata potiſſimum fuit ea diſciplinæ ſeveritas, quoties aliquis Clericus aut Laïcus in hæreſi baptizatus; vel quod gravius, poſt Baptiſmum & Clericatum in Eccleſia ſuſceptum prolapſus in hæreſim, peracta poſtea de tanto crimine pœnitentia recipiebatur, his nempe conditionibus: *ut nec ad Clericatus honorem vel exiguum ſubrogari poſtea, nec quem prius obtinuerat, in Eccleſia retinere valeret, ſed laica communio tantùm indulgeretur.* Æquitas diſpenſationis tamen adverſus ſubtilem & auſteram Juris regulam aliquando prævaluit, ut non tantum ante lapſum impetratos honores, peracta pœnitentia, retinerent; ſed hoc amplius, ut ad Clerum & honores, Dignitates Eccleſiaſticas, & ad omnium dignitatum apicem Epiſcopatum juſtis ex cauſis benignè promoverentur.

Auguſtin. epiſt. 50.

Exempla ex Concil. Nicæno,

Sanctiſſimi Concilij Nicæni Patres non tantum Epiſcopos Euſebium Nicomedienſem, Theognium Nicænum, Euſebium Cæſareæ

Paleſtinæ, Saram Lybiæ Preſbyterum, Arianos converſos; ſed etiam ipſius hæreſis Principes & Duces Arium Preſbyterum, Euzoium Diaconum, & Achillam Lectorem, Alexandrinæ Eccleſiæ Clericos, pœnitentes & homouſion propria ſubſcriptione confirmantes, ſingulos in ſuo gradu benignè ſuſceperunt. Pari humanitatis ratione idem Concilium conſtituit, Novatianorum Epiſcopos & Clericos in poſterum errore cognito reſipiſcentes, & ad Catholicam revertentes, accepta manus impoſitione, in Clero permanere; & ubicumque ſoli forent in Civitatibus ordinati, in eodem habitu & gradu perſeverare: ſi vero ſimul in eadem Civitate Catholicus & Novatianus Epiſcopus deprehenderetur, ne in una Civitate duo forent Epiſcopi, Catholicus honorem, dignitatem & munus Epiſcopi ſolus retinebat; Novatianus honorem Preſbyteri: niſi tamen Epiſcopo Catholico placeret, Novatianum nomine & titulo tenùs Epiſcopum cenſeri.

Hieronymus Dialog. adverſus Luciferianos.

Ariani recepti in ſuis gradibus.

Can. 8. Nicænus. Receptorũ Novatianorum exemplum.

Exemplum & prudentiam Nicæni Concilij difficillimis temporibus, & in Orientis & in Occidentis partibus ſæpius Eccleſiæ Patres in uſum feliciter revocaverunt. Ariminenſe facinus impiiſſimum & turbulentiſſima Eccleſiæ tempora repetamus, & multa paucis comprehendamus. In optimis Sacerdotibus, aut metu territis, aut exilio deductis, aut præmiis ab Imperatore Conſtantio corruptis, reliqui Epiſcopi perfidiæ conſentientes captivam conſcientiam dederant: ipſi etiam Duces Liberius & Oſius variis vexationibus fatigati Conſtantio ceſſerant: hoc amplius fraudibus & dolis Arianorum circumventis ſimplicioribus Orthodoxis, abolito uſiæ nomine, Nicænæ fidei conclamata fuerat damnatio; adeo ut Catholicæ fidei univerſitas penes quatuor Confeſſores, Athanaſium Alexandrinum, Hilarium Pictavienſem, Euſebium Vercellenſem, & Luciferum Caralitanum incluſa detineretur. *Miſerabilis prorſus erat facies Eccleſiæ; periclitabatur Apoſtolorum navicula; nihil jam ſupererat fidei. Dominus excitatur, imperat tempeſtati, beſtia moritur, tranquillitas redit*, ut elegantiſſimè loquitur Hieronymus. Tranquillitas, inquam, redit. Omnes Epiſcopi qui de propriis ſedibus fuerant exterminati; *per indulgentiam novi Principis*, (ô altitudo judiciorum Dei!) *per indulgentiam novi Principis*, quis crederet? novi Principis apoſtatæ Juliani, ad Eccleſias redeunt. Reverſus Athanaſius ſtudio vehementi concordiæ & unitatis Eccleſiarum flagrans, Alexandrina citiſſimè Synodo Confeſſorum, qui conſtantes permanſerant in fide, convocata, ſanciri curavit primum: *ut hæreſeos autoribus exceptis, quos error excuſare non poterat, pœnitentes Epiſcopi & Clerici ſociarentur Eccleſiæ, & dignitatem retinerent.*

Hiſtoria Arimin. perfidiæ.

Aſſenſus eſt humaniſſimæ ſententiæ Oriens & Occidens: Oriens quidem in Antiochena Synodo; frequentibus verò Synodis Occidens, per Gallias, per Italiam & Hiſpanias: primum Hilario & Euſebio ducibus; deinde Liberio ex ſomno exſuſcitato & experrecto: quem ſicut alterum Petrum lapſus & conniventia clementiorem & benigniorem exhibuerat. Itaque ſingulari diſpenſatione & indulgentia, ſub pœnitentia & ſatisfactione receptis Epiſcopis & Cle-

ricis, per univerſum orbem Eccleſiarum fides in priſtinum ſtatum reformata fuit, & apud Ariminum geſta condemnata.

Diſplicuit egregium facinus pertinaci & nimis auſtero Lucifero, qui ſolus in tanta rabie luporum, in ſummo laborantis Eccleſiæ periculo, ſegregatis paucis ovibus, reliquum gregem crudeliter deſeruit, & amiſſo concordiæ & charitatis lumine, in tenebras ſchiſmatis ſe præcipitem dedit. Adeo verum eſt quod Eccleſiaſtes prædixerat. *Noli eſſe juſtus nimium, neque plus ſapias quàm neceſſe eſt.* μὴ σοφίζου περισσά.

Saluberrimum illud remedium non ſemel Africa in pernicioſo & diutino ſchiſmate Donatiſtarum eſt experta. Nam ab initio ſchiſmatis in judicio novemdecim Epiſcoporum à Conſtantino Judicum datorum, quibus præerat Melchiades, ſententia Romæ ſolemniter lata placuit, *unico & ſolo Donato omnium ſententiis percuſſo & damnato, totius mali autore & principe: cæteros correctos, etiamſi extra Eccleſiam forent ordinati, in ſuis honoribus eſſe recipiendos; ita ut quibuſcumque locis duo eſſent Epiſcopi, quos diſſenſio geminaſſet, ille confirmaretur qui fuiſſet ordinatus prior; alteri verò plebs alia regenda committeretur.* Quod exemplum Patres Nicænos in cauſa Novatianorum ex parte ſecutos oſtendimus.

Verum nec intra fines tam anguſtos prolixa & effuſa quorumdam Epiſcoporum charitas, & impatiens animus diſcordiæ valuit coerceri. Refert enim Sozomenus poſt obitum Valentis Catholicos quoſdam Epiſcopos ab exilio reverſos, Arianæ ſectæ Doctores obteſtatos fuiſſe, ne ſe desererent, neve diſſenſionibus Eccleſiam diſcinderent, *quam unicam à Deo & Apoſtolis traditam*, contentionis ardor & ambitio, φιλονεικίᾳ καὶ μερίδι in varias partes diſcerpſerant: in commune potius regerent Eccleſiam; communione Sedis cum honore pleno Arianis Epiſcopis ultrò delato. Superavit omnes Eulalius Amaſeæ Ponti Epiſcopus, qui Coepiſcopo Ariano, quamvis ne quinquaginta quidem ſibi communicantes haberet, non tantùm Sedis communionem, ſed etiam Primatum, veluti ſervatæ concordiæ præmium, inſtantiſſimè, ſed fruſtra, contumaci Ariano propoſuit.

Dixerit aliquis ſingularia quorumdam Epiſcoporum, facta præclara, & κατορθώματα in exemplum trahi non debere; fortè nec imitanda contenderit, etiam prolato Canone Nicæno, qui duos Epiſcopos in eadem Eccleſia manifeſtè prohibet. Ambitionis & avaritiæ vulnus occultum in pectore reſidens, illo velut aureo baltheo prætegat: audiat ſaltem quid in plenario totius Africæ Concilio, ante celeberrimam & notiſſimam Collationem à Catholicis celebrato ſub Honorio, trecenti ferè Patres communi decreto ſanciverunt, in cauſa unionis Donatiſtarum cum Catholicis: illud inſigne Decretum præfixum in *notoria epiſtola ad Marcellinum V. C. Tribunum* directa, qui vice ſacra præſidebat, celeberrimæ Collationis geſtorum frontem reddit illuſtriorem. *Edicunt Epiſcopi Catholici, ſi convincantur à Donatiſtis, nullos apud eos honores Epiſcopalis muneris eſſe requiſituros; ſi verò Donatiſtas convincant, ſic cum Donatiſtis Eccleſiæ unitatem ſervaturos,*

ut non ſolùm viam ſalutis inveniant, ſed nec honorem Epiſcopatus amittant : ita ut uno eorum defuncto, deinceps jam ſingulis ſinguli priſtino more ſuccedant. Eandem conditionem multis antè annis Paulino Meletius Antiochenus in ſede Antiochena ultro detulerat. Quæ ſequuntur in *dicta notoria* admirandum & ſempiterna memoria dignum charitatis Epiſcopalis monumentum continent : nec tamen ſine mendo, quod eluemus. *Aut ſi fortè Chriſtiani populi ſingulis delectantur Epiſcopis, & duorum conſortium inuſitata rerum facie tolerare non poſſunt; utrique de medio ſecedamus, & Eccleſiis, damnata ſchiſmatis cauſa, in unitate pacifica conſtitutis, ab his, qui ſinguli in Eccleſiis ſingulis inveniuntur, annuentibus unitati facta per loca neceſſaria ſinguli conſtituantur Epiſcopi. Quid enim dubitemus Redemptori noſtro ſacrificium iſtius humilitatis offerre? an verò ille de cœlis in membra humana deſcendit, ut membra ejus eſſemus : & nos ne ipſa ejus membra crudeli diviſione lanientur, de cathedris deſcendere formidamus? propter nos nihil ſufficientius, quàm Chriſtiani fideles & obedientes ſimus : Epiſcopi autem propter Chriſtianos populos ordinamur. Quod ergo Chriſtianis populis ad Chriſtianam pacem prodeſt, hoc de noſtro Epiſcopatu faciamus : ſi ſervi utiles ſumus, cur Domini æternis lucris, pro noſtris temporalibus ſublimitatibus invidemus? Epiſcopalis dignitas fructuoſior nobis erit, ſi gregem Chriſti magis depoſita collegerit, quàm retenta diſperſerit.* Quod ſi aliquis vi majore, & à Marcellino Tribuno cavilletur extortum fuiſſe Decretum à Catholicis Epiſcopis, præſentem in Concilio teſtem locupletiſſimum interroget Auguſtinum : reſpondebit. *Sic placuit omnibus, ſic exarſerunt omnes, ut parati eſſent Epiſcopatum pro Chriſti unitate deponere; & non perdere, ſed Deo tutius commendare. Duo ibi vix inventi ſunt, quibus diſpliceret, unus annoſus ſenex, qui hoc etiam dicere liberiùs auſus eſt : alter voluntatem ſuam tacito vultu ſignificavit. Sed poſteaquam illum liberiùs hoc dicentem obruit omnium fraterna correptio; illo mutante ſententiam, vultum etiam ille mutavit.* Hoc itaque ſanctiſſimum Decretum in Concilio tam frequenti pene trecentorum Epiſcoporum Africæ communi conſenſu fuit confirmatum.

Non ignoramus contra ſeveritatis integritatem, contra diſciplinam Eccleſiæ, & Nicænos Canones hîc aliquid admiſſum, quod profectò, non debuiſſet; niſi pacis ipſius & unitatis compenſatione ſanaretur. *Accipimus*, ut Auguſtinus loquitur, *unitatem Spiritus in vinculo pacis, accipimus & charitatem, quæ peccatorum multitudinem cooperit, & violata diſciplina cicatricem & notam abſtergit & inducit.*

Expeditiſſimum foret innumera ferè diſpenſationumm exempla circa diſciplinam, de Scripturis, de Conciliis, & Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Scriptoribus depromere, circa neophytos, bigamos, ætate minores, natalibus læſos, non tantum in Clerum allectos; ſed ad Epiſcopatus ſummam dignitatem, contra præceptum Apoſtoli, contra Canonum rigorem : vel propter ſingularem præficiendorum pietatem, charitatem, eruditionem & prudentiam; vel propter poſtulantium populorum, aut Principum deſiderium & ſtudium. Ex iiſdem fontibus uberrimis publicæ utilitatis Eccleſiarum & populorum profluxerunt inſtitutiones, mutationes, uniones & tranſlationes, exemptiones, & antiquæ

commendationes ſedium Epiſcopalium, Metropolitanorum, Patriarchalium: profluxerunt Monaſteriorum & Monachorum ordinationes, & in Clerum adoptiones, eorumque innumera privilegia: Quod argumentum prolixè tractandum hoc anno ſuſcipimus.

Ad diſpenſationum etiam æquitatem prudentiſſimi Patrum, pacis & concordiæ retinendæ ſtudioſi, fidelitates, hominia, & Inveſtituras Epiſcopatuum & Monaſteriorum retulerunt: hac ſolida & firma ratione nitentes, adverſus refractarios & contentioſos plurimos diſputatores, & abruta quædam decreta prætendentes; meritò ſcilicet ab Epiſcopis, Abbatibus & Clericis hujuſmodi honores & temporalia obſequia præſtari, & exhiberi Regibus & Principibus, à quorum munificentia & liberalitate, ampliſſima latifundia & latè patentes poſſeſſiones & urbes, & provinciæ aliquando integræ, ad Eccleſias & Monaſteria non tantum olim pervenerunt, ſed etiam quotidie Regum conſiliis, præſidiis & armis defenduntur & conſervantur.

Hic ſeges uberrima Diſpenſationum exoritur in cauſis matrimonialibus, in perplexis beneficiorum, præbendarum & dignitatum quæſtionibus; quarum plurimas in hoc publico Juris Auditorio ſigillatim explicavimus. Huc referenda ſunt Eccleſiaſticorum & Laïcorum Patronorum multiplicia jura, quæ conniventibus oculis Eccleſiam admiſiſſe, & hactenus ſuſtinuiſſe Alexander III. palàm conteſtatur: quæ itidem jura & expoſuimus publicè, jamque prælectionum recognitarum, Deo favente, publicationem meditamur. Quid ſi trium reliquarum Diſpenſationis ſpecierum, quæ ad dictionem, ad perſonas, & ad pœnarum Canonicarum remiſſionem pertinent, prolixam tractationem aggrediamur, non dies, non menſis, ſed annus deficeret, & ex brevi Præfatione ſpiſſum volumen naſceretur & excreſceret.

DISPUTATIO

DE

NUPTIIS CONSOBRINARUM PROHIBITIS AUT PERMISSIS,

ab Autore edita anno 1636.

AD ILLVSTRISSIMVM PRÆSIDEM

HENRICVM MEMMIVM.

DUBITATUM fuit nuper (Præſes Illuſtriſſime) de Conſobrinarum nuptiis; an etiam Juſtiniani tempore prohibitæ vel permiſſæ fuerunt. Ex utraque parte multæ & firmæ rationes, tam ex Jure Civili, quàm canonico diligenter quæſitæ fuerunt.

Quas in memoriæ ſubſidium tunc adnotaveram; eas in præſenti ex ſcheda in mundum redigere, accuratiùs digerere, & hanc θέσιν ἀνακινῆσιν operæ pretium viſum eſt: ut tibi (Præſes Illuſtriſſime) harum quæſtionum judici peritiſſimo offerrem. Fortaſſe dixeris ſicut rancidos & recoctos cibos putere, & edentis ſtomacho nauſeam; ita veterem & ſæpius repetitam quæſtionem diſplicere, & legentis animo faſtidium parere. Me tamen hac excuſatione tuebor, quam ſi non in mei gratiam, ſaltem propter autoris, quem unicè diligis, ſummam opinionem & elegantiam, benignè te admiſſurum confido. εἰ γὰρ καὶ ὄψα χρηστὰ ἦν, ἀλλ' οὐ χρῶνται ἕωλα, τί δήποτε; οὐκ ἔστι κρέα, ἵνα διαφθαρῇ. ἀλλὰ νοήματα δικανικῶς ἀνθοῦντα· τὰ μὲν γὰρ κρέα φθείρεται (σῶμα γὰρ ἐστι) τὰ καὶ νοήματα μένοντα εὐωδέστερα καθίσταται.

Ab illa parte quæ prohibitas fuiſſe Conſobrinarum nuptias etiam temporibus Juſtiniani aſſerebat, initium faciemus. *Legem celebrandis C. de nuptiis* multis argumentis irrepſiſſe in Codicem, & ſuppoſitiam ſubodoratur: & in eo maximè ſtatus cauſæ & τὸ κρινόμενον conſtituitur.

Inſcriptio *dictæ legis* ita concipitur. *Impp. Arcadius & Honorius Eutychiano*: nec tamen reperitur illa lex in *Cod. Theodoſiano*: imo duæ planè contrariæ. Et quidem *lex un. C. Theod. ſi nuptiæ ex reſcripto petantur*, quæ eundem Honorium & Theodoſium autores habet, meminit legis Theodoſij Magni, quæ nuptias Conſobrinarum,

niſi impetrato reſcripto damnat. Hæc Theodoſij Magni Conſtitutio quamvis hodie non extet, ejus tamen multi meminerunt, ut animadvertunt viri docti; in eam rem etiam allata inſigni Ambroſij *ad Paternum epiſtola*, & Auguſtini *cap. 16. lib. 15. de Civitate Dei*: quibus addimus ex Libanij oratione πρὸ τῆς Ἀγγαρείαν μὴ δὲ ἐξεῖναι ἀνεψιοῖς γάμοις μίγνυσθαι, ἐν ἐξουσίᾳ πολλῇ τοῦ πράγματος ὄντος, licet aliquando ἀνεψιοὶ ſint fratrum filij, & tertij gradus. Ex quibus apertiſſimè conficitur ſub Theodoſio Magno & ejus liberis Conſobrinarum prohibita fuiſſe conjugia. Hoc tantùm notandum, *Epiſtolam* Ambroſij *ad Paternum* ſcriptam fuiſſe ad conſultationem Cynegij, quem & eo nomine commendat Ambroſius in *Epiſtola ad eum* ſcripta, quæ in *editione Baſileenſi* rectè ſubjicitur *Epiſtolæ ad Paternum*: & ſubjiciendam eſſe ſuadet hæc elegans clauſula. *Ego verò libenter tua in me onera ſuſcepi, & avo neptem, ut opinor, refudi, quam neſcio planè qua opinione nurum ſibi fieri deſiderabat, ut avum ſocero mutaret.* Quæ verba conveniunt omnino cum illis *epiſtolæ ad Paternum*. *Quanta deinde etiam reliquorum confuſio vocabulorum? idem avus & ſocer vocabere: ea quoque tibi neptis & nurus diverſo nomine nuncupabitur.* In novis editionibus, Romana & Pariſienſi malè divelluntur: ea, quæ *ad Paternum*, inſeritur *lib. 6. num. 48.* quæ *ad Cynegium lib. 1. num. 62.*

Præterea *l. celebrandis*, non eſſe Arcadij & Honorij, dubitare non ſinit *l. 3. C. Theod. de inceſtis nuptiis.* Eadem eſt inſcriptio. *Impp. Arcad. & Honor. Augg. Eutychiano.* Subſcriptio *d. l. 3. Dat. VI. Id. Decemb. Conſtant. Arcad. IV. & Honor. III. Coſſ.* Inſcriptionis ſimilitudine deceptus Ruſſardus, ſubſcriptionem *legis celebrandis*, quæ in *Antiquis Cod.* deerat ex *d. l. 3. Cod. Theod.* ſupplevit; cum planè jus diverſum contineant: qui error in aliquibus editionibus noviſſimis remanſit, & falsò tribuitur D. Cujacio, cùm ſit proprius Ruſſardi. *In d. l. 3. Cod. Theod.* confirmatur prohibitio hujuſmodi nuptiarum: idémque jus in Italia obtinuiſſe, poſt expulſos Romanos à Gothis, ex *Formula* Caſſiodori pridem notatum eſt. In Hiſpania & ea Galliæ parte, quæ parebat Gothis, *Codex Theodoſianus* ab Ariano juſſu Alarici collectus, & ejus interpretationibus auctus, ſatis indicat quid ea in parte receptum fuerit. Hunc Codicem Eccleſia Gallicana obſervavit tanquam proprium & in quæſtione, quam tractamus, apertè indicat Concilium Turonenſe II. ſub Chariberto Rege *can. 21.* in quo inſeritur Ariani explicatio *ad d. l. 3. & ad ſeq.* In dicto tamen *Canone* legendum ex Ariani interpretatione, *Aut ulterioris gradus Conſobrinam.* Ex his colligitur, & non tantum temporibus Imperatorum, qui autores *d. l. celebrandis* inſcribuntur, ſed etiam poſtea prohibita fuiſſe Conſobrinarum conjugia, adeoque ſuppoſitia meritò videtur *d. l. celebrandis.* Quare nec in Baſilicis habetur: mutila & ſine ſubſcriptione in omnibus ferè editionibus *Cod.* circumfertur; cùm tamen *ex l. 1. Cod. Theod. de Conſtitut. Princip.* edicta, ſive conſtitutiones ſine die & conſule deprehenſa, autoritate careant.

Poſtremò Juſtinianus ipſe pugnaret ſecum, ſi *legi celebrandis* in *ſuo Codice*

Codice repetitæ prælectionis locum dediſſet: nam in Inſtitutionibus quas antè promulgaverat, *tit. de nuptijs* ita ſcripſerat: *Duorum autem fratrum vel ſororum liberi, vel fratris & ſororis iungi non poſſunt.* Negationem in antiquis Codicibus extare Cuiacius in *prioribus notis*, Contius, Hotomanus & alij fatentur ingenuè, quæ & apud Iuonem reperitur *parte 9. cap. 1.* ubi Molinæus notat, *Ex hoc loco reſtitui poteſt §. Duorum autem fratrum Inſtit. de nuptiis, qui paſſim corruptus legitur.*

Confirmat & autoritas Theophili, qui negationem retinet, quam, ſi deeſſet, mens & ſententia reponendam eſſe ſuaderet, in quam ſententiam Hotomanus eſt pronior: particula enim *autem* opponitur proximè præcedenti *verſiculo*, in quo ſpecies permiſſarum nuptiarum refertur: itaque in *verſiculo Duorum* prohibitarum ſpecies erat referenda, ut præcedenti adverſaretur. Sequens etiam *verſiculus* qui incipit, *Item amitam*, particula *Item* connectitur cum ſuperiori: in eo verò prohibitarum nuptiarum ſpecies proponuntur. Quamvis autem Contius in eo *Inſtitutionum* loco negationem retineat; *legem tamen celebrandis* non eſſe Arcadij & Honorij aſſerit *lib. 1. lection. cap. 9.* audacius inſultans Juſtiniano & Tribuniano his verbis. *Quid hodie dicturum Theodoſium, ſi reviviſcat, exiſtimamus, cùm ſacroſanctam legem ſuam de conſobrinarum interdictis nuptiis à Iuſtiniano everſam aſpiciet? Quid Arcadium & Honorium ejus filios cum ſibi attribui & adſcribi videbunt l. celebrandis C. de nuptijs? Nam & hi ſeveriſſimè legem paternam ſuper huiusmodi nuptijs tuiti ſunt, ut ex eorum conſtitutione, &c.* Contrà in diverſam abit ſententiam V. C. Barnabas Briſſonius *libro ſingulari de Iure connubiorum.* Legem enim *celebrandis* probat: alteras duas, quas ex *Cod. Theodoſ.* retulimus, ab Aniano vel confictas, vel interpolatas cenſet. Hactenus primæ partis argumenta & rationes collegimus.

Alterius partis ſententiam & rationes proponamus. *Leges illas omnes tam Cod. Theodoſ. quàm Iuſtin.* veras eſſe non fictas vel ſuppoſitias, & rectè ijs Imperatoribus tribui, quorum nomina præferunt: quas inter ſe ratione temporum habitâ conciliamus. Occurrit prima tempore *l. 3. manente C. Theod. de inceſtis nupt.* ſequitur *d. l. celebrandis C. Iuſtin. de nuptijs*: poſtrema eſt *l. un. C. Theod. ſi nuptia ex reſcripto*: quod ut demonſtremus, *l. 3* ſubſcriptio hæc eſt *Dat. VI. Kal Decemb. Conſtantin. Arcad. IV. & Honor. III AA. Coſſ. L. celebrandis Stilicone II. & Anthemio Coſs.* annis novem poſt *d. l. 3.* Quamvis enim in pleriſque editionibus Codicis deſit inſcriptio *d. l. celebrandis*, ſicut etiam hodie multarum Conſtitutionum, librariorum incuriâ; eam tamen Contius in prima & ſecunda editione Codicis reſtituit, quam & acceptam D. Cujacio refert *lib. 2. lection. cap. 1.* Poſtrema tempore *l. un. C. Theod. ſi nuptiæ ex reſcript. pet.* editâ ſcilicet *Honor. VIII. & Theodoſ. III. AA. Coſſ.* poſt *l. celebrandis* annis quatuor.

Itaque temporis ordine priùs explorato; *l. 3. C. Theodoſ. de inceſtis nuptijs* Conſobrinarum nuptias damnat, quas & ante Theodoſius Magnus damnaverat. *Lex celebrandis* poſtea lata eas probat & revocat; poſterior priorem abrogat; nec tamen obtinuit diu. Nam & iterum *l. celebrandis* abrogata eſt per *l. un. C. Theod. ſi nuptia ex reſcripto pet.* Ex illis tribus contrarijs & inter ſe pugnantibus *conſtitutionibus*, quas ad manum Tribunianus habuit, elegit mediam, id eſt *legem celebrandis*, quam & in utrumque Codicem pri-

Digitized by Google

mæ & repetitæ prælectionis retuliſſe non dubito Abrogatam verò fuiſſe *d. l. 3. C. Theod.* per *legem celebrandis*, qui utramque diligenter comparaverit, non inficiabitur, ſive verba, ſive rem ſpectet.

Quod ad rem pertinet. In *d. l. 3. Cod. Theod. de inceſt. nupt.* conſobrinarum nuptiæ coercebantur iiſdem pœnis, quibus vel ſororis aut fratris filiarum, vel uxoris fratris. In hujuſmodi conjunctione neque vir vel uxor intelliguntur; dos caduca fit, & ex ea ſuſcepti, liberorum nomine non cenſentur; nec eis donare aliquid, vel cauſâ mortis licet relinquere. Acerbiores & graviores, quod ad conſobrinas pertinet, legis pœnæ viſæ ſunt; levius in his peccari. Itaque ſicut alia lege anteriore ignis & proſcriptionis pœna, deſignata nuptias inceſtas contrahentibus, ſublata eſt per *d. l. 3.* videlicet *ne ſub ſpecie atrocioris judicij aliqua in ulciſcendo crimine dilatio naſceretur*, ut eleganter loquitur *l. 2. C. Theodoſ. de raptu virg. vel viduar* pari ratione *d. l. 3* per *legem celebrandis*, quod ad conſobrinarum nuptias, eſt abrogata & priſci Juris autoritas revocata; quo hujuſmodi nuptiæ erant legitimæ, & ex his ſuſcepti liberi ſuis parentibus veri & legitimi ſucceſſores. Ea ratione reſtricta fuerunt calumniarum fomenta, os delatoribus occluſum, & per modicum fiſci damnum plurium ſecuritati conſultum, qui huiuſmodi nuptias contraxerant. Paſſim enim & vulgo, Jure veteri permittente, ſicut ex Libanij loco diſcimus, conſobrinarum nuptiæ peragebantur, ὡ ἐξιόν πολλῷ τῷ πράγματος ὄντος: nec enim populus facile recedit à jure, quod diù æquum viſum eſt. In reliquis omnibus perſonis præter conſobrinas *d. l. 3.* robur ſuum retinuit, quam etiam Juſtinianus in ſuum Codicem tranſtulit, & eſt *l. 6. C. de inceſtis nuptijs*; tam conſobrinarum quam reliquarum perſonarum mentione omiſſa. Ideò *reliquarum*; quia ſatis eas perſonas deſignarat tam in præcedentibus *ejuſdem tituli legibus*, quàm in *l. nemini C. de nuptijs*; in qua tamen & in reliquis conſobrinæ omittuntur, maximè verò in *l. 1 C. ſi nuptia ex reſcripto pet.* quæ ex eodem *Cod. Theodoſ.* deſumpta eſt, reciſâ tamen integra clauſula, in qua mentio inſignis ſupereſt primæ prohibitionis à Theodoſio Magno introductæ, ut diximus. Omnem verò ſcrupulum eximit ſtylus & verba *d. l. celebrandis*, qui longe diverſus eſt ab eo, quo Tribunianus ſuis legibus conſcribendis utitur.

Ad *d. l. celebrandis* promulgandam Arcadium & Honorium multæ & maximæ rationes impulerunt, quas attigimus, juris veteris autoritas & ejus obſervatio diuturna, cui præterea jus divinum non adverſatur. Rectè enim Auguſtinus *loco citato* inter perſonas prohibitas lege divina conſobrinas non contineri fatetur. Hæc prohibitio non ex verbis legis, ſed ex interpretatione tantùm deſcendit; quia in conſobrinis factum etiam licitum propter vicinitatem horrebatur illiciti. Hæ quippe nuptiæ legi divinæ non ſunt contrariæ ad quam in hujuſmodi quæſtionibus recurrendum eſſe docet Ennodij Ticinenſis *Epiſtola 24. lib 5. Divinis tamen legibus cognationem indiculo comprehenſam in matrimonio licere ſociari, ſine dubitatione noveritis. Sed continuò ad urbem Romam homines meos dirigo, exacturus à venerabili Papa ſuper hac parte reſponſum, ut animum veſtrum potioris præcepti firmet autoritas* Ad quam *epiſtolam* prudentiſſimè doctiſſimus Sirmondus: *Sive divinas leges hoc loco interpretere, quæ ſacris litteris continentur; ſive ſacros canones ita voces, quomodo Græci θείους κανόνας, & divinas regulas paſſim Latini; parvum erat illo tempore diſcrimen.*

Maximam differentiam agroſcimus inter conſobrinas, & reliquas perſonas prohibitas: quare Theodoſius Magnus & ejus liberi non abſolutè & perpetuò nuptias conſobrinarum vetant; ſed prius peti veniam, impetrari reſcriptum volunt, ſui beneficij rem eſſe: quod ſicut in conſobrinis Ambroſius in *dicta epiſtola* non improbat; ita in proximioribus omnino damnat. idque legibus noſtris conſtitutum *l. ult. C. de inceſtis nuptijs, l. ult. C. ſi nuptia ex reſcripto*, in quibus reſcripta, pragmaticas, conſtitutiones impias ſuper ea re & peti prohibetur, & impetratas viribus carere decernitur. Hunc tamen rigorem clementiſſimi Principes aliquando laxaverunt juſtis ex cauſis, ut oſtendemus poſteà: ita tamen ut contracti veniam faciant, non contrahendi matrimonij; unde ſtatim initio *d. l. 3.* aliqui dicuntur abſoluti, aliqui puniti.

Videbatur V. C. & doctiſſimo *legem celebrandis* ab initio non fuiſſe, ex illis legibus, quæ generales appellantur, & omnes tenent, ſed eâ contineri beneficium, indulgentiam ſpecialem Principum Arcadij & Honorij, in aliquarum perſonarum vel provinciarum gratiam. Poſtea vero Tribunianum autoritate à Juſtiniano ſibi conceſsâ, *conſtitutionibus de novo Cod. confic. & de Juſtinian. Cod. confirmando*, ſpeciale beneficium, omnium commune feciſſe; cujus rei in jure multa exempla habemus. Ita jus aureorum annulorum, Civitatis Romanæ, liberorum, ſucceſſionis maternæ, Codicillorum & Fideicommiſſorum, antequam omnibus concederetur, ſingulis pro beneficio tribuebatur. Sed ut propiùs ad nuptiarum materiam accedamus, non aliter Senatori libertinam juſtam uxorem habere licebat, niſi ex indulgentiâ principis *l. 31. ff. de ritu nupt.* imò & aliquando Senatoribus petendi reſcripti prærogativa adempta eſt *l. 1. C. de natural. liber.* Generaliter tandem Juſtinianus omnibus Senatoribus hujus veniæ impetrandæ neceſſitatem remiſit *Nov. 89. cap. ult* ubi notandum quod ait *d. legem primam*, quæ eſt Conſtantini, non utendo fuiſſe peremptam, non fuiſſe uſu receptam & moribus comprobatam.

Leges etiam de inceſtis conjugijs, præſertim de Inceſtis jure civili, non ita ſeverè, prout erant ſcriptæ, ad effectum perducebantur. Sæpius enim Imperatores earum pœnas vel minuebant, vel etiam omnino remittebant, juſta vel probabili erroris excuſatione allata; dummodo tamen à tali matrimonio abſtineatur *l. 57. ff. de ritu nuptiar. l. 38. §. Idem Pollioni ff. ad legem Jul. de adult.* Paulus in *ſententijs*, & Papinianus *libro ſingulari de adulterijs* apud Pariatorem *titulo de inceſt. nupt. l. 4. C. eod. tit.* Nec tantùm privatis vel ſingulis, ſed etiam Civitatibus & Provincijs venia indulgebatur, *Nov.* 12. 139 154. *& Nov* 3. ex his quæ Juſtino tribuuntur, juncta *l. 1. C. Theod. de inceſtis nuptijs l. pen. C. de inceſt nupt. & l. 7. C. de Judæis. Novella tertia* Juſtini anno primo ejus imperij edita eſt bonis auſpicijs; & ratio edendæ, quam affert, obſervatione digniſſima eſt: nam & *l. celebrandis* valde illuſtrat, & alijs pleriſque caſibus eſt utiliſſima. Verba non erit inutile adſcribere, τινὰς παρανόμοις συναφθῆναι γάμοις, ὧν τέτον ἐνίοις παιδάς τε ϗ ἐγγόνους γενέσθαι· ταύτην τε πρόφασιν τινὰς αὐτῶν τῆς σφῶν αὐτῶν πλεονεξίας λαβόντας, βραχύ τι καταβάλλειν καθ' ἕκαστον ἔτος ὑπὲρ τοῦ ἐνδιδόντας ἀρχὴν ϗ προστάξει κομίζεσθαι ἀναζητεῖν τὰ τοιαῦτα ϗ ἐνδιδάσκειν βελορφίας· τοὺς δὲ ἐπιτετραμμένους ταῦτα πρὸς αἰσχροῦ κέρδους ἕνεκα, συκοφαντεῖν τοὺς πολλοὺς ἀδικεῖν, ἐμπαίζειν, ϗ πράγματα τοῖς ἀνεθρώποις παρέχειν. quæ liquidò explicant hæc prima verba *l. celebrandis*, *Reſtinctis calumniarum fo-*

mentis: ſicut & ſequens clauſula *e uſdem Nov.* quæ ad liberos ex inceſtis nuptiis natos pertinet, explicat ultima verba *d. l. celebrandis*, *Ex eo matrimonio editi legitimi & ſuis pare .tibus ſucceſſores habeantur.* Eleganter etiam ita concludit Juſtinus, τὸ γὰρ παρελθὸν ἄχρι τοῦ νῦν συγχωροῦμεν ex ſpeciali beneficio, ὥςτε ἱκανώτατον ἡμῶν ταμιεῖον ζημιοῦται, καὶ στερεῖται τῶν ἐκ τοῦ νόμου κατὰ ταύτην αὐτῶν διδομένων τῆς οὐσί-σιν· τοῦτο δὲ προςτάξομεν, οὐχ ὡς ἀνεκλειπτος τῆς σωφροσύνης, ἢ τοῦ περὶ ταύτης πόθου ἰέναι, ἀλλὰ τοῖς ἐπὶ μακροῖς ἐκλαμβάνουσιν ἐκ τοῦ οἴεσθαι τὰ τοιαῦτα, βίου τι καὶ ὑπὸ πολλοῦ ἐν τῷ εἰρημένῳ ἐπαρχίαις διατείνει. καὶ κοινὰ ἀθροιζομένοις συμφορὰς πᾶσαν πλεονεξίας ἀναφύντες προςτάττει. Scripta eſt autem *d. Nov.* Juſtini, Πέτρῳ Κόμητι τῶν θείων, *Comiti Sacri Ærarij*, τῶν θείων πριβάτων, quibus verbis Comes rerum privatarum, privatæ ſubſtantiæ, ſive privatæ largitionis intelligitur; ad quem etiam *Novellæ* Iuſtiniani ſcriptæ ſunt, & *l. 4. C. de inceſt. nupt* Ad Comitem enim rerum privatarum hæc inquiſitio & executio pertinebat; *Nov.* 12. ſcripta, ut & aliæ Iuſtiniani ſuprà citatæ, Φλώρῳ τῷ ἐνδοξοτάτῳ κόμητι τῶν ἀπορρήτων θείων πριβάτων, indicat in fine; cum qua convenit Caſſiodorus in *formula Comitivæ privatarum. Contra hos eligeris unicus & continens inquiſitor, ut dum talia probra perſequaris, conſequaris præconia caſtitatis.*

Prima itaque conciliatio l. *celebrandis* cum reliquis, ut non ſit generalis conſtitutio, ſed ſpecialem tantùm indulgentiam contineat; præteritis delictis aliquorum det veniam, non autem futuris formam præſcribat negotijs: quam ſententiam juvat *d. l. un. C. ſi nuptiæ ex reſcripto pet.* annis quatuor poſt *l. celebrandis* edita; quæ tamen, nulla mentione facta abrogationis *l. celebrandis*, de conſobrinarum nuptijs tanquam de jure certo & indubitato loquitur.

Conciliationis author *l. celebrandis* veram & germanam eſſe agnoſcit ab Arcadio & Honorio promulgatam. Et quidem contextus verba ejuſdem coloris & formæ, non fuiſſe *ſuppoſitam*, vel *interpolatam* manifeſtiſſimè produnt; cui bono ? cum & novam conſcribere Tribuniano in promptu foret, qui & gloriam novi juris condendi, vel innovandi cupidè aucupatur. Nec contra receptam & publicam Codicis Juſtiniani autoritatem facilè credendum. Eadem illa autoritate freti putamus *legem celebrandis* non continere aliquam ſpecialem indulgentiam, ſed primùm ab Arcadio & Honorio eo fuiſſe animo editam, ut omnes peræque teneret Generalem fuiſſe conſtitutionem univerſus legis contextus convincit; & ea maximè verba, quibus *revocata dicitur priſci juris autoritas*, quod ante Theodoſium Magnum obtinebat. Si tantùm indulgentiam ſpecialem conceſſiſſent; non ideò revocaretur jus antiquum, Ambroſius in *dicta epiſtola ad Paternum. Sed dicis alicui relaxatum? Verum hoc legi non præjudicat Quod enim in commune ſtatuitur, ei tantum proficit, cui relaxatum videtur.* Et ſanè longè aliâ formâ & alio ſermone ſcriptæ ſunt Novellæ ſuprà allatæ, quæ veniam & prærogativam continent in pari caſu.

Supereſt ut quæ *l. celebrandis* opponuntur, breviter refutemus. Et quidem ex vera ſubſcriptione cum legibus Codicis Theodoſiani eam conciliavimus, & diverſitatis rationem oſtendimus: proindéque mirum videri non debet, ſi omiſſa fuerit in eo Codice, cujus collectores jus ab ea prorſus diverſum amplexi ſunt. Quin & hodie mutilum eſſe Codicem Theodoſianum variæ editiones, aliæ alijs auctiores; multæ conſtitutiones nuper bono pu-

Digitized by Google

blico editæ, & quæ apud Pariatorem reperiuntur integriores; imò & plures quæ habentur in *Cod. Juſtin.* & quæ ſuperſunt lacunæ manifeſtiſſimè demonſtrant. Non ignoramus in multis Cod. *l. celebrandis* ſine die & Conſule reperiri, incuriâ librariorum; ſicut & aliæ pleræque conſtitutiones etiamnum hodie carent inſcriptione. Habendę gratiæ Cujacio & Contio, qui eam ſicut alias multas reſtituerunt. Quinimo licet ſine die vel Conſule à Tribuniano Codici fuiſſet inſerta; valeret tamen juxta præceptum Juſtiniani in *Conſtit. de novo Cod. confic. & de Juſtin. Cod. confir.* non minùs quàm aliæ conſtitutiones, quibus adſcripta ſunt in fine hæc verba, *Sine die & Conſule*; ſublato jure *Cod. Theodoſ.* Sola enim beneficia perſonalia ſine die & Conſule deprehenſa, autoritate carent *l. 4. C. de diverſ. reſcript.*

Sed ut omnem dubitandi cauſam removeamus autoritate Gregorij Magni utemur in *reſponſionibus ad conſultationem Auguſtini de Anglis interrog. 6.* in qua ſententiam *l. celebrandis* ita refert. *Quædam lex terrena in Romana Rep. permittit, ut ſive fratris & ſororis, ſeu duorum fratrum germanorum, ſeu duarum ſororum filius & filia miſceantur.* Nullo enim juris loco apertiùs exprimitur hæc permiſſio quàm in *l. celebrandis.* Conſentit poſtremò omnium editionum & Interpretum fides, Placentini & Azonis in *ſummis*, quas in *Codicem ſcripſerunt*; quibus gloſſarum ſuarum partem maximam debet Accurſius; & in veteri verſione Gallica *Ms.* quam habemus, refertur. Tanti etiam fecit, ut diximus, V. C. Briſſonius hujus legis autoritatem, ut Codicis Theodoſiani conſtitutiones, quæ ei adverſantur, manum Aniani paſſas eſſe exiſtimet; levibus argumentis, ne dicam falſis, illo præcipuè quo ait. *Sed & conſtitutioni Arcadii & Honorii inceſtarum nuptiarum pœnam idem Anianus ex gentis ſuæ moribus ignis & proſcriptionis, ab eorum Imperatorum ſententia abhorrentem.* Quod falſum eſt: nam ignis & cremationis pœna Romanis legibus ante Gothorum irruptiones, & poſtea uſurpata fuit *l. un. Cod. Theod. de parricid. l. unic. ſi quis ſolidi, l. 1. & 2. de raptu virgin. l. 1. de Nili agger. non rumpendis C. Theod. l. 1. C. de his qui parentes occid. l. 2. C. de falſa moneta, l. 1. de his qui par. occid. Inſtit. lib. 4. tit. ult. §. alia deinde lex*, his verbis: *Neque gladio, neque ignibus, neque ulli alii ſolemni pœnæ ſubiiciatur.*

Quid ſi concedamus *l. celebrandis* ſuppoſititiam fuiſſe & Juſtiniano incognitam; nihilominus ab eo permiſſa fuiſſe conſobrinarum conjugia certis argumentis conficiemus. In *l. nemini C. de nupt.* quam inſcriptio Diocletiano tribuit, enumerantur perſonæ, cum quibus nuptiæ contrahi non poſſunt; inter eas quæ ex latere, non recenſentur conſobrinæ, quas profectò Tribunianus in interpolanda Diocletiani conſtitutione non omiſiſſet; eâdem ratione qua clauſulam illam addidit, (*Præterea fratris tui filia & ex ea nepte*,) quæ in integra conſtitutione Diocletiani apud Parjatorem *tit. de inceſt. nupt.* deſideratur. Illam enim clauſulam partim ex conſtitutione Conſtantini & Conſtantis, id eſt ex *l. 1. C. Theod. de inceſt. nupt* vel ſaltem ex *d. conſtitutione* Arcadij & Honorij, id eſt *l. 3. C. Theod. eodem titulo* compoſuit; partim autoritate propriâ addidit *Neptem fratris*, quæ tamen omittitur in *d. l. 1. & 3. & in lege ult. Cod. Juſtin. de inceſt. nupt.* Neptem etiam fratris in Inſtitutionibus addidit. *§. fratris verò tit. de nupt* cum hac ſpeciali notâ, & ratione ſummè obſervanda, *Quamvis quarto gradu ſint: cujus enim filiam uxorem ducere*

non licet, neque ejus neptem permittitur. Quæ pertinent propriè ad neptem fratris; ut indicaret Tribunianus ſe non temerè, ſed ex certa juris ratione καὶ ἀκολούθως *Neptem fratris* addidiſſe; antiquorum ſcilicet Iuriſconſultorum exemplo, qui filiarum ſororis nuptijs prohibitis, etiam neptis & proneptis ſororis, ſi ætas pateretur, prohibitas eſſe interpretantur *l. ſororis ff. de ritu nupt.* Paulus *libro ſententiarum tit. de nupt.* apud Pariatorem *tit. de inceſtis nuptijs.*

Cùm ergo Iuſtinianus in *d. l. nemini ex Cod. Theod.* filiam fratris non tantùm inſeruerit, ſed etiam neptem fratris autoritate propriâ; ei profectò non adeò grave fuiſſet, vel ex eodem Codice, vel autoritate propria conſobrinarum meminiſſe, ſi ei fuiſſet animus earum nuptias vetare. Sed ea non fuit ejus ſententia, quam evidentiſſimè deprehendimus ex eo quod leges, quas ex *Cod. Theod.* retulimus, in ſuum Codicem tranſtulit Iuſtinianus, mentione conſobrinarum prætermiſſâ *l. un. ſi nuptiæ ex reſcript. & l. ſi quis C. de inceſt. nupt.* Contrà verò idem Iuſtinianus in Codicis & Pandectarum compoſitione Prudentium ſcripta, & conſtitutiones Principum, quibus in locis conſobrinarum nuptiæ dicuntur permiſſæ, ſincerè & bona fide, citra omnem immutationem & omiſſionem integra retulit: nec uno quidem aut altero loco, ne quis fortè obtendat obrepſiſſe in tanto opere quædam juris veteris & obſoleti veſtigia; ſed in plurimis *l. 3. ff. de ritu nupt. l 78. §. 8. ff. ad Trebell. l. 23. & 24 ff. de condit. inſtit. l. 2. C. de inſtitution.* & paſſim.

Huic tandem diſputationi certos fines ordine & tempore, quo ſuam νομοθεσίαν Iuſtinianus condidit, fideliter obſervato conſtituamus. In Codice primæ prælectionis quid deciſum ſit, quia non extat, ignoramus: ex Digeſtis tamen, quæ ſtatim poſt primum Codicem compoſita ſunt, conjicimus, in hoc articulo jus idem omnino ſervatum fuiſſe. In Codice repetitæ prælectionis, poſt Pandectas & Inſtitutiones edito, permiſſas fuiſſe conſobrinarum nuptias liquidò probavimus; quibus Novellæ poſt Codicem editæ hac in parte nihil derogarunt.

Reſtat ut exploremus, quid in Inſtitutionibus, quæ poſt Pandectarum opus peractum inchoatæ ſunt, & ante Codicem repetitæ prælectionis medio tempore ſunt compoſitæ, & promulgatæ; an aliqua nova & ſingularis conſtitutio reperiatur, quæ tot expreſſas leges & conſtitutiones evertat. Et quidem oponitur vulgò celebris *verſic. Duorum autem fratrum*, quem jugulum cauſæ putant: quare diligenter excutiendus eſt. Et quidem priùs aſſerenda eſt vera lectio; deinde certis juris rationibus confirmanda. Et certè velut quidam Codices negationem agnoſcunt, abeſt pariter à multis: quod in libris noſtris ſæpius in locis controverſis evenit. Et quidem vulgata lectio, quam veteres Interpretes & Gloſſa ſequuntur, legit affirmativè; ſicut & editiones Haloandri, Ruſſardi, Contij, Carondæ, Cujacij. Cur tamen irrepſerit negatio & apud Ivonem & Theophilum reperiatur, infrà differemus.

Rectè verò in *d. verſic. duorum fratrum* conſobrinarum permiſſas eſſe nuptias, ex his quæ præcedunt, & ſequuntur, colligemus. In enumerandis perſonis, quarum nuptijs eſt abſtinendum, obſervandum Iuſtinianum perpetuò comparare perſonas, quæ naturali cognatione nos contingunt cum adoptivis. Et quidem in perſonis aſcendentium & deſcendentium, tam naturalibus quàm adoptivis, nulla graduum habitâ ratione perpetua eſt, & in infinitum exten-

ditur prohibitio. Accedit deinde Juſtinianus ad perſonas, quæ ex tranſverſo cognationis junguntur, in quibus ait eſſe ſimilem quandam obſervationem, ſed non tantam: eas deinde enumerat, ratione graduum, & naturalium cum adoptivis comparatione ſervata; in ſecundo gradu fratres & ſorores & naturales & adoptivos; in ſequenti perſonas tertii & quarti gradus. Et incipit à filiis fratrum & ſororum, qui tertio gradu ſunt: numerat poſtea neptes fratris & ſororis, quas ait eſſe quarto gradu, & hac ſpeciali notâ deſignat, ut occupavimus dicere, *quamvis quarto gradu ſint*, quæ verba nemo non videt intendere, & augere difficultatem, & hunc habere naturalem intellectum: quamvis ex quarto gradu liceat uxorem ducere, tamen neptem fratris vel ſororis non licet. Unde ſtatim infert, *Duorum autem fratrum*, &c. *jungi poſſunt*, nempe quia ſunt quarto gradu, ex quo regulariter licet uxorem ducere, exceptis neptibus fratrum aut ſororum.

Reliquas deinde perſonas tertii & quarti gradus perſequitur, quæ neceſſariam habent relationem cum priùs enumeratis. *Item amitam*, &c. Magna quoque amita & matertera magna recenſentur, quamvis quarto gradu ſint, ſicut neptes fratris aut ſororis *l. . . . ra lapſionem 17. ff. de ritu nupt.* Eâdem loquendi formâ Caius in magna amita & matertera utitur, quâ Juſtinianus in nepte fratris & ſororis: & revera Juſtinianus hos §. contexuit, partim ex *d. l. per adoptionem 17. l. 53. & 56. ff. de ritu nuptiarum*, quæ ſunt ex *libro undecimo* Caii *ad edictum provinciale*, partim ex Ulpiani *libro ſingulari regularum tit. de nuptiis*, cujus verba neceſſariò adſcribenda ſunt. *Inter cognatos autem ex tranſverſo gradu olim quidem uſque ad quartum gradum matrimonia contrahi non poterant.* *Olim*, ait, quia ex tertio gradu fratris filiam ex ambitioſo Claudii Agrippinam depereuntis *Senatuſconſulto* licuit ducere: quodjus duravit uſque ad Conſtantinum & Conſtantem, qui primi jus vetus reduxerunt *l. 1. C. Theod. de inceſtis nuptiis*, & per conſequentias firmata eſt vetus Juris regula, quæ propter filias fratrum exceptionem patiebatur.

Itaque hodie ſublato Senatuſconſulto Claudiano, ſicut olim ante Senatuſconſultum Claudianum veriſſimum eſt quod ait Ulpianus, *uſque ad quartum gradum matrimonia contrahi non poſſe, ex quarto gradu licere, ex tertio nunquam.* Illa tamen regula in perſonis, quæ parentum liberorúmve locum obtinent, perdit officium ſuum; quamvis quarto gradu ſint, & ex latere veniant. Quare propriè in *l. un. C. Theod. ſi nuptiæ ex reſcripto*, conſobrinorum hoc eſt quarti gradus conjunctio appellatur, id eſt non niſi conſobrinorum. Reliquæ perſonæ quarti gradus, ut diximus, licèt ex tranſverſo veniant; quia, ut diximus, aliquam habent ſimilitudinem aſcendentium & deſcendentium, eodem jure cenſentur; proindeque hujuſmodi nuptiæ in infinitum prohibentur *Inſtit. de nupt. eodem loco*, *l. ſi ſororis ff. de ritu nupt.* Cujac. *l. 9. Obſ. cap. 18.* & eo ſenſu Paulus apud Pariatorem *loco ſæpius citato*, privignæ & novercæ amitam & materteram adjungit.

His ita enucleatis ſecundùm certa juris principia, quilibet facile poterit ſolvere, quæ contra *d. verſ. duorum* opponuntur; quibus Contius motus ſententiam mutavit. Extremus labor in eo verſatur, unde in multis Codicibus negatio in *d. verſic.* irrepſerit, quam retinet Theophilus; itemque cur *lex celebrandis* à *Baſilicis* abſit: quæ ideò conjungimus, quia communem reſponſionem habent; diverſitatem locorum nempe & temporum & mutationem juris. Nam in Oc-

riente *d. l. celebrandis* unà cum imperio & reliqua legiſlatione Juſtiniani obtinuit diu. Et vix ante Synodum ſextam fuiſſe abrogatam colligimus ex Synodi ſextæ *Can.* 54. quo prohibitæ primùm videntur conſobrinarum nuptiæ, ἀπ' τῦ νυῦ, τ τῇ οἰκείᾳ ἐξαδέλφῃ πρὸς γάμου κοινωνίαν συναπτόμενον, quibus verbis ſignificatur jus novum. Interpretes Zonaræ & Balſamonis malè ἐξαδέλφην, fratris filiam vertunt.

Poſt ſextam Synodum & ejus immutationem procedente tempore ad ulterioris gradus ſobrinos prohibitio producta eſt uſque ad ſeptimum gradum; ita ut ex octavo tantùm apud Græcos liceret uxorem ducere. Ex eo jure Theophilus negationem addidit, & in *Baſilicων lib.* 28. *tit.* 5. *de nupt. prohibitis* refertur *d. verſic. Duorum autem fratrum*, cum negatione. Præterea ſubjicitur *Sed nec filius meus eorum neptem*, qui dicuntur διεξάδελφοι. In *Synopſi Baſilicωι p.* 333. *l.* 2. *C. de Inſtit. & ſubſtit.* inſeritur. In Codice hæc conditio appoſita eſt, *Si conſobrino nupſerit.* Interpretantur verò Baſilica ſecundùm uſum ſui temporis, ἐὰν τῷ πενθεξαδέλφῳ γαμηθῇ. Eo enim tempore, ut diximus, ab octavo tantùm gradu nuptiæ incipiebant eſſe legitimæ: qua de re alius erit dicendi locus.

Hæc in præſenti ſufficient, adhibito Harmenopulo *lib.* 6. *tit.* 6. *num.* 11. & 22. Balſamone ad *Nomocan. Photii tit.* 13. *cap.* 2. & Mathæo Monacho *lib. ſingulari de quæſtionibus & cauſis matrimonialibus.* Quibus ex locis eſt notandum, Eccleſiam Orientalem ſemper retinuiſſe formam & modum numerandi gradus à Jure Civili proditum; itemque Eccleſiam Latinam uſque ad Gregorium Magnum & Zachariam; quorum innovationem non ſtatim ab omnibus fuiſſe receptam, Alexandri II. Conſtitutiones variæ, & Petri Damiani tractatus ſuper eâ re abunde declarant. In Italia aliquot annis poſt ſextam Synodum, ferè jam collapſo in Italia Romano Imperio & ejus legibus, Gregorius Junior in Romana Synodo, quæ fuit celeberrima, cujus Luitprandus Ticinenſis meminit, & in qua de illicitis conjugiis præcipuè quæſitum eſt, *Conſobrinarum* nuptiæ ſub anathematis pœna interdictæ fuerunt; quamvis tamen non ignoremus Gregorii Magni & Zachariæ ſuper ea quæſtione decretales Epiſtolas, quarum in Conciliis Occidentis frequentiſſima occurrit mentio: in iis potiſſimum Occidentis partibus, quæ ante Juſtiniani imperium Romanorum jugum excuſſerant. Verùm perplexus iſtius juris progreſſus intentiorem ſollicitudinem & otium ſecurius deſiderat; quod commodius aliquando ſuppeditabit Deus, in componendo de *Diſpenſatione Eccleſiaſtica libro ſingulari.*

Veremur, Præſes illuſtriſſime, ne longiori ſermone diſputationem hanc *De Nuptiis Conſobrinarum prohibitis aut permiſſis* perſecuti ſimus: poſtulavit rei difficultas, & ſummi Cujacii veriſſima ſententia, cujus nomen & doctrinam, crepent licèt plurimi, in conſummatiſſimo tamen opere poſteriorum ad Inſtitutiones notarum,

rara mens intelligit,
Quod interiore cura condidit angulo.

FINIS PRIMÆ PARTIS.

ARCHIDIA.

ARCHIDIACONUS,

SEU

DE IPSIUS JURE

ET OFFICIO,

LIBER,

Autore NICOLAO JANVARIO Preſbytero, Juris Pontificii Doctore, in Carnutenſi Eccleſia Dunenſi Archidiacono.

TRACTATUS

DE ABSOLUTIONE

AD ÇAUTELAM,

Autore J. TOURNET Advocato Pariſienſi.

Digitized by Google

MONITUM.

DOCTISSIMI FRANCISCI FLORENTIS *Manes non moleſtè laturos arbitror, Lector benevole, quod ad primam ejus operum partem, qui tibi ſuperiori pagina repræſentantur, duo Tractatus accedant. Qui enim dum ipſe viveret, Canonicæ Diſciplinæ promovendæ ſtudio ſic exarſit, ut eruditiſſimas prælectiones ſuas publici fecerit juris, cum doctiſſimis virorum eruditione præſtantium lucubrationibus locum inter ſuas non negaturum confido. Commendat utrumque quippe Tractatum argumenti gravitas & utilitas: commendat & Autorum dignitas atque doctrina. Neque pervii ſunt omnibus iſti Tractatus, ſed admodum rari: cùm ille quidem anno* M. DC. XXV. *hic verò anno* M. DC. XXIX. *editus pridem deſideretur. Tu, Lector amice, noſtrum hac in parte lauda conatum, & quos Iuris ſtudioſum deceat, ex hiſce quæ jam noſtro munere tuæ ſunt, Diſſertationibus fructus cape.*

ARCHIDIACONUS,

SEU

DE IPSIUS JURE ET OFFICIO,

LIBER,

In quo præter alia hujuſce argumenti, Prælatorum Iura, quæ uſu inoleſcere poſſunt vel obſoleſcere, accuratè expenduntur.

Autore Nicolao Januario Preſbytero, Juris Pontificii Doctore, in Carnutenſi Eccleſia Dunenſi Archidiacono.

Qui benè miniſtraverint, gradum bonum ſibi acquirent, & multam fiduciam in fide quæ eſt in Chriſto Jeſu. 1. ad Timoth. 3.

VIGILANTISSIMIS GALLIÆ ARCHIDIACONIS,

Nicolaus Januarius, *in Eccleſia Carnotenſi Archidiaconus Dunenſis*,

Impigram ſolicitudinem.

Grave & operoſum eſſe Archidiaconi munus (Ecclesiæ Vigiles spectatissimi) vel ex ipſo nomine mihi facilè fuit dignoſcere: ſed quanti eſſet ponderis, antequam humeros ſubmiſiſſem, ſatis exploratum eſſe non potuit. Huic levando, valuit eximium illud decus advertere, quod ex miniſterio præſtantiſſimis Epiſcopis à ſuis Archidiaconis in rebus Eccleſiæ procurandis accuratè impenſo, ita ſcintillat, ut ſopitum animum ad illud gnaviter obeundum poſſit accendere. Profuit & inſigne Polycleti Statuarii exemplum imitari. Hic ſtatuam emendatiſſimam, præceptis de ea effingenda antea traditis conformatam edidit. Ipſe è Jure Pontificio, Eccleſiæ hiſtoriâ &

communi Doctorum ſenſu, formando Archidiacono documenta ſelegi, quæ meis moribus poſtea exprimere conaner, meque totum ad ea exigere atque explorare. E quibus religioſè eſſe ſelecta, illoque triplici fonte hauſta, etſi teſtati ſint viri doctiſſimi, reducere tamen calculum non morabor, quandocumque veritatis ſplendidior radius affulſerit. Vobis in Eccleſiæ miniſterio ſociis colendiſſimis, ut ſcriptionem hanc dicarem atque inſcriberem, effecit ea quæ inter ejuſdem ſortis & profeſſionis homines intercedit benevolentia: eaque communis indoles, qua exercitiorum quæ conſectamur, jucundam experimur eſſe narrationem. Quæ quidem ſi pro dignitate argumenti videatur contractior, aut remiſſior, quàm quæ ſtudium veſtrum in Eccleſiæ obſequium ardentius poſſit intendere: conſequor ſaltem, in iis quæ noſtri muneris ſunt elucidandis, ſedulitatis, obſervantiæ inſuper in vos meæ hoc ſpecimen extare. Valete. iiij. Nonas Januarii, quo recurrit dies viij. feſti colendiſſ. noſtri Patroni ſancti Stephani Archidiaconi Protomartyris, cujus nos clientelæ quam maximè ſpero lætorque aſcriptos. Anno Chriſtiano vigeſimo quinto ſupra milleſimum ſexcenteſimum. Carnuti.

SYLLABUS CAPITUM.

Cap. I. *DIACONUS in Eccleſia poſtremus Hierarcha, ſupremus Miniſter.*

Cap. II. *Quæ ratio Apoſtolis ſeptem Diaconos inſtituendi.*

Cap. III. *Quæ oneris & honoris prima Diaconis facta acceſſio.*

Cap IV. *Diaconorum duæ claſſes: prioris varia nomina.*

Cap V. *Inter Preſbyteros ac Diaconos extincta diſcordia, & proprius quibuſque ſervatus gradus.*

Cap VI *Archidiaconis, veluti Epiſcoporum adminiſtris, ſervata ſua dignitas & honoris gradus, etiam ſupra Archipreſbyteros.*

Cap VII. *Quæ jure communi præſtant Archidiaconi, & an ipſo jure juriſdictione fungantur.*

Cap. VIII. *Juriſdictionem fori exterioris, uſu vel Superiorum indultis, Archidiaconos aſſequi, certiſſimi Juris eſſe.*

Cap IX. *Quæ Archidiaconis Conſuetudine, Præſcriptione vel Indulto accreſcere poſſunt, quæ non.*

Cap. X. *Quis ſit Archidiaconis jurium Epiſcopalium uſus legitimus, quæ ratione inducatur, quæ culpa deſeratur.*

Cap. XI. *Reliquorum quæ ſunt Archidiaconi miſcellanea.*

Cap. XII. *Ad Archidiaconos, ut ſedulò muneri ſuſcepto incumbant.*

Digitized by Google

DE
JURE ET OFFICIO
ARCHIDIACONI
LIBER.

CAPUT I.

Diaconus in Eccleſia poſtremus Hierarcha, ſupremus Miniſter.

ECCLESIA Catholica quæ in terris militat, à Chriſto ita compoſita, ut cæleſtis & triumphantis Eccleſiæ ſit imago quædam & exemplum Nam in cæleſti Angelorum triplicem Hierarchiam credimus : in militanti, ſacri illius principatus tres claſſes ; ſupremam Epiſcoporum, Preſbyterorum mediam, infimam Diaconorum cernimus. Quas divini eſſe inſtituti, nullus diffiteri poteſt ; poſtquam in Tridentina Synodo [a] dictum Anathema iis qui negarent *in Eccleſia Catholica eſſe Hierarchiam divina ordinatione inſtitutam, quæ conſtat ex Epiſcopis, Preſbyteris & Miniſtris.*

D. Dionyſius de cæleſti Hierarch. c. 3. 10. 11. & de Eccleſ. c. 7. & 8.

[a] *Conc. Trid. ſeſſ. 23. de Sacr. ordinis can. 6.*

His pro ratione gradus cujuſque ſubeſt populus fidelis, ita ut *Laïci Diaconis ſubjiciantur, Diaconi Preſbyteris, Preſbyteri Epiſcopo, Epiſcopus Chriſto, ut ipſe Patri.* [b] Subdiaconi inferiorumque ordinum miniſtri, propriis nominibus quæ cujuſque deſignant miniſteria, diſtinguntur. Sed qui ipſis præſunt Diaconi [c], commune cæteris miniſterii nomen, veluti primarii miniſtri ſibi vendicant.

Eccleſia primitus Diaconatum & Preſbyteratum ſolos Ordines ſacros habuit : [d] inter quos poſtea numeratus Subdiaconatus : qui eo nomine, iiſdem legibus, recitandi divini officii ac perpetuæ caſtitatis

[b] *D. Ign. ep. 11. ad Smyrn.*

[c] *Can à Subdiacono 93. diſt.*

[d] *cap. à multis de ætat. & qual. & ord. præf.*

Tunc enim Subdiaconatus lege cœlibatus eximebatur.

ſervandæ eſt obnoxius:[a] quibus exempti inferiores ordines Oſtiarius, Lector, Exorciſta, Acolytus, qui minoribus officiis ſub Diaconorum moderamine incumbunt.[b]

Profana œconomia famulos ſuos habuit, Ordinarios, Vicarios, Mediaſtinos:[c] ſed nil quod cum iſta Eccleſiaſticorum miniſtrorum ſerie poſſit comparari.

Nominum tamen inter utroſque communio, ſatis apertè inſinuat, ſuos Hierarchas Eccleſiam maximoperè deſideraſſe Chriſto audientes, dicenti:[d] *Diſcite à me quia mitis ſum & humilis corde.* Etenim hæc nomina, Diaconus ſeu miniſter Ordinarius, Vicarius, Parochus, & pleraque alia ordinum & officiorum è profano miniſterio vel famulatu petita, quàm parum elatis animis & auſteris moribus congruant, nemo non videt.

In miniſtris Eccleſiæ certa ſunt & diſcreta officia, quæ niſi quis ſedulò exequeretur, ad ſuperius miniſterium fruſtra aſpirabat. Unde & obſervanda probandæ induſtriæ ſtata temporis interſtitia,[e] ei qui ſuperiorem ordinem vellet conſcendere.

Videns olim regina Saba, omnem ſapientiam Salomonis, & domum quam ædificaverat, & cibos menſæ ejus, & habitacula ſervorum, & ordines miniſtrantium, veſteſque eorum, & pincernas, & holocauſta quæ offerebat in domo Domini, non habebat ultra ſpiritum.[f]

At quem vehementior admiratio non invaderet, Eccleſiæ ordines, ritus, miniſtros, ipſaque miniſteria penitius inſpicientem. (Ut interim ſuſpiciendum illud & ſilentio potiùs quàm verbis prædicandum Chriſti corporis ſacrificium, tacitum prætercam.) Equidem tantum honorem Sponſæ à Chriſto delatum, vel multiplici pulcherrimoque illo miniſtrorum gradu & ordine in ejus familia inſtituto, ad ſtuporem uſque nullus non poſſet admirari.

[a] d. cap. à multis
[b] c officium de off. Archid.
[c] l. ſi ſervus 17 ff. de pœnis.
[d] Matt. 11.
[e] cap. in ſingulis 77. diſt.
[f] 3. Reg. 10.

CAPUT II.

Quæ ratio Apoſtolis ſeptem Diaconos inſtituendi.

APOSTOLI ex Chriſti inſtituto, poſt ipſius in cœlum aſcenſum, convocata diſcipulorum multitudine, *ſeptem elegerunt Diaconos, viros boni teſtimonii, plenos Spiritu ſancto & ſapientia, Stephanum virum plenum fide & Spiritu ſancto, & Philippum, & Prochorum, & Nicanorem, & Timonem ſeu Timotheum, & Parmenam, & Nicolaum advenam Antiochenum*,[g] quibus Apoſtoli orantes impoſuerunt manus.

Jam numerus credentium erat auctior; ideoque venditi cujuſlibet fundi pretium ante pedes Apoſtolorum collatum, difficilè poterat ſingulis, prout cuique opus erat, dividi, & in communes ſumptus diſtribui. Apoſtoli quos orationi & verbi miniſterio inſtantes oportebat, ſeſe terrenis negotiis implicitos dolebant. *Relinquere verbum Dei, & miniſtrare menſis iniquum judicabant*: idcirco ſeptem ſuper hoc opus Diaconos eſſe conſtituendos decreverunt.

[g] Act. 6.

Menſis

Menſis igitur ſacræ ſcilicet & communi, Diaconi præfecti ſunt: has etenim in ultima cœna, Paſchalis agni & proprii corporis eſu conjunxerat Chriſtus; eæque identidem Apoſtolorum temporibus in fidelium conventu Chriſti exemplo conjunctæ. Cujus rei priore [a] Epiſtola ad Corinthios, D. Pauli non obſcurum extare teſtimonium conſentiunt Interpretes.

Preſbyteris igitur incruentum Chriſti corporis ſacrificium in menſa altaris offerentibus miniſtrabant Diaconi, & [b] hunc divinum cibum & potum, Preſbyterorum juſſu, cæteris ſodalibus diſtribuebant.

Curabant inſuper, ne quid alendis fidelibus in communi menſa deeſſet: quodque in ſacrum ærarium fuiſſet viritim in publicis congreſſibus collatum, [c] in uſus quoſlibet neceſſarios ſigillatim erogaretur. Neque enim exiſtimandum, menſarum miniſterio Scripturam inſinuaſſe, communes menſas ferculis à Diaconis inſtruendas. Nam neque ſervilis iſtius miniſterii, ſed Eccleſiaſtici peculii largitionis onere levari Apoſtolos exoptaſſe, credere par eſt. Neque parandis cibariis, menſæque apponendis, viros boni teſtimonii, Spiritu ſancto & ſapientiâ plenos, cœtu diſcipulorum convocato ſelectos, ſacro ritu, oratione ſcilicet & manuum impoſitione, ab Apoſtolis initiatos fuiſſe, ullus ſanæ mentis poterit ſuſpicari. *Quid Diaconi* (ſcribit [d] D. Ignatius) *niſi imitatores Chriſti, miniſtrantes Epiſcopo, ſicut Chriſtus Patri? & operantes illi operationem mundam & immaculatam, quomodo ſanctus Stephanus beatiſſimo Jacobo*, &c. [e] Idem alio loco: *Sine Epiſcopis nil agas: Sacerdotes enim ſunt; tu verò miniſter Sacerdotum. Illi enim baptiſant, ſacerdotium agunt, ordinant, manus imponunt; tu verò eis miniſtras, ſicut ſanctus Stephanus Jacobo*, &c.

Neque enim Diaconatus ſimplex tantum eſt miniſterium, ſeu nudum officium Eccleſiaſticum, ſed & ſacramentum eſt; facitque gradum in Eccleſiaſtica Hierarchia, in qua etſi ſubſit Sacerdoti, populo tamen ſuo modo præeſt, & in eum operationem ſuam hierarchicam juxta Epiſcopi vel Preſbyteri præſcriptum exequitur: ut è D. Dionyſii doctrina explicabitur [f] inferius.

Præeſſe populo Diaconum, ſatis probant iſta [g] D. Ignatii verba, *Subjecti eſtote Epiſcopo, ſimiliter & Preſbyteris & Diaconis.* Illa [h] inſuper ejuſdem quæ capite ſuperiori noſtris attexuimus.

Primatum inter Diaconos habuiſſe D. Stephanum, cenſet D. Auguſtinus & plerique alii Græci & Latini Patres, ideoque Primicerium Diaconorum & Archidiaconum vocant. Neque abs re Scriptura ipſa, poſt eximias illas dotes, quas de Diaconis electis commemorat, primum nominavit D. Stephanum, eumque teſtata eſt virum plenum fide & Spiritu ſancto.

At Nicolaus Diaconorum poſtremus immeritò ſpurci Nicolaïtarum erroris à nonnullis autor exiſtimatur; quorum opinioni neutiquam aſſentior, diſſentientibus [i] Clemente, [k] Euſebio, Theodoreto & aliis, qui veriùs hæreticos Nicolai nomine ad ſuam effrenem libidinem afferendam abuſos ſenſerunt. Quibus aſſentitur D. Igna-

[a] *cap. 11.*

[b] *Clem. Rom. l. 2. Conſtit. Cypr. ſerm. de Lapſis, Ambr. l. 1. de Off.*

[c] *Act 11. ad Rom. 15. Gal. 2. ad Cor. 16. 1. ad Tim. 5. Petri 2.*

[d] *Ep. ad Trallianos.*

[e] *Epiſt. ad Heronem.*

[f] *cap. 3.*

[g] *Ep. ad Trallianos.*

[h] *Ep. ad Smyr.*

[i] *Strom.*

[k] *1. Hiſt. cap. 23.*

tius paucis his verbis: [a] *Fugite impios Nicolaïtas, falſum ſibi nomen ſumentes.* Rurſus idem [b], *ut qui falſo nomine dicuntur Nicolaïtæ.* Sed & D. [c] Clementis hæc verba conſentiunt: *Alii inverecundè ſcortantur, quod nunc faciunt falſi nominis Nicolaïtæ.* Imò Nicolaum illum Diaconum, ut virum probatiſſimum, ab Apoſtolis creatum fuiſſe Epiſcopum Samaritanorum, tradunt [d] Hippolytus & [e] Dorotheus à Baronio laudati ad an. 68.

[a] Ep. ad Trallianos.
[b] Ep. ad Philadel.
[c] Conſtit. 6. cap. 8.
[d] L. de 72. diſcip.
[e] In Synopſi.

Porrò de mulieribus Diaconiſſis, quarum non infrequens mentio apud veteres qui de rebus Eccleſiaſticis ſcripſerunt, non eſt quod prolixiùs diſſeramus, cùm meræ Laïcæ, ſacris noſtris Diaconis non ſint ſociandæ. Succeſſerunt viduis illis quæ [f] præerant miniſterio quotidiano: in quibus eligendis quæ ætas, qui mores quærerentur, definit [g] Apoſtolus.

[f] Act. 6.
[g] 1. ad Tim. 5.

Earum miniſterium verſabatur circa mulieres, ſeu ipſis locum orationis à viris ſecluſum adeuntibus, oſtia aperirent; ſeu in aliis ſuam præſtarent diligentiam, quæ viri citra pudorem vel ſuſpicionem mali non potuiſſent exequi. Diaconiſſæ etiam dictæ uxores illorum, qui contracto matrimonio Diaconatum ſuſcepiſſent, à quibus ſejunctæ, vitam etiam cœlibem agebant; quo ſenſu Epiſcopæ leguntur & Preſbyteræ. Sed neque prioribus Eccleſiæ ſæculis viduas ſeniores, Preſbyteras [h] nominari inſuetum.

[h] De Diaconiſſis Baron. ad an. 34.

CAPUT III.

Quæ oneris & honoris prima Diaconis facta acceſſio.

CONSTITUTA Eccleſia, in eaque Hierarchis Epiſcopis, Preſbyteris & Diaconis inſtitutis: operationes ſeu actus hierarchici, quibus ipſi incumberent, ita præſcripti, ut Diaconis Purgatio, Illuminatio Preſbyteris, Epiſcopis Perfectio curanda proponeretur, veluti ſcopus in quem omni animi contentione intenderent: atque in ea multiplici & varia operatione, ſummi exemplaris imago cerneretur & exemplum. *Deus enim*, ut docet [i] Divus Dionyſius, *mentes in quibus fuerit, expiat primum, deinde illuſtrat, illuſtrataſque perficit.* Et de miniſtrorum operatione (cui potiſſimum dignoſcendæ inſtituta hæc ſcriptio) documenta iſta ſubjungit: [k] *Miniſtrorum ordo eſt qui expiat, & diſſimilia diſcernit, antequam ad Sacerdotum ſacra veniant. Expiat eos qui adeunt, puros à contrariis efficit, dignoſque ſacrorum myſteriorum ſpectaculo & communione.*

[i] Eccleſ. Hierar. cap. 8
[k] Eccleſ. Hierar. cap. 9

Ritum præterea ineundæ purgationis ita explicat: *In ſancto à Deo ortu, miniſtri ei qui accedit veterem veſtem detrahunt, atque tibialia & calceos Occidentem verſus, remittendi nuncii cauſâ locant*: rurſumque traducunt ad Orientem, hortanturque eos qui adeunt, ut omninò ſuperioris vitæ & amictum abjiciant ac tenebras. Docent eos deſertis tenebris ſe ad ea quæ ſunt lucis traducere.*

Sed & expiandorum tres ordines facit: [l] *Alterum eorum qui à*

[l] Eccl. Hierar. cap. 10

miniſtris, ſcriptis divinis ad vitalem, ut ita dicam, abrenuntiationem formantur & effinguntur. In ea ſunt Infideles, ſeu Ethnici illi ſint, ſeu hæretici. Alterum eorum qui à ſancta vita, à qua deſciverunt, revocantur ac retrahuntur ſcriptorum divinorum inſtitutione. In quo ordine ſunt peccatores pœnitentes. Tertium eorum qui contrariis formidinibus adhuc per ignaviam terrentur, & confirmantur à ſcriptis divinis, quæ corroborandi vim habent. Quorum alii à deterioribus actionibus ad meliores præſtantioreſque traducuntur. Alii traducti quidem, ſed nondum conſtantiam in divinis immutabilibuſque ſcientiis ſunt conſecuti. In his curandis Diaconorum primitùs ſtudium excelluit.

Verùm Eccleſiæ pia ſolicitudo ad ea etiam quæ corporeis ſuorum incommodis depellendis eſſent neceſſaria invigilans, ſuper his plurima, pro rerum vario ſtatu, Diaconis peragenda decrevit. Et quò res ab ipſa origine repetita ac diſcuſſa clarior evadat, Melchiadis atque Urbani ſummorum Pontificum verba proferam: ut quæ cauſam & veluti fontem aperiant, ex quo in Diaconos operoſa illa & multiplex fundi & peculii Eccleſiaſtici curatio ac diſpenſatio derivata ſit.

Futuram (ait Melchiades [a]) *Eccleſiam Apoſtoli in gentibus prævidentes, prædia in Judæa minimè ſunt adepti, ſed pretia tantummodo ad fovendos egentes.* At verò cùm inter turbines & adverſa mundi ſuccreſceret Eccleſia, ejuſque ſuaviſſimo jugo nedum populi, ſed & ipſi Monarchæ colla ſubmitterent, ita ut [b] Prophetæ videretur impletum vaticinium: *Erunt reges nutritii tui, & reginæ nutrices tuæ: vultu in terra demiſſo adorabunt te, & pulverem pedum tuorum lingent.* Tum ut ſcribit Urbanus: [c] *Videntes ſummi Sacerdotes & alii atque Levitæ & reliqui fideles, plus utilitatis poſſe conferre, ſi hæreditates & agros quos vendebant Epiſcopi, quibus præſidebant Eccleſiis traderent; eo quod ex ſumptibus eorum tam præſentibus quàm futuris temporibus plura & elegantiora miniſtrare poſſent fidelibus communem vitam ducentibus, quam ex pretio ipſorum, cœperunt prædia & agros quos vendere ſolebant, matricibus Eccleſiis tradere, & ex ſumptibus eorum vivere.*

[a] *c. Futuram 12. q. 1.*

[b] *Iſa. 49.*

[c] *c. Videntes 12. q. 1.*

Horum diſtributio Diaconorum miniſterio fiebat, qui cognitâ cujuſque inopiâ, eam neceſſaria erogatione levabant, ita ut fidelium nullus rei familiaris anguſtia premeretur. Sed & Diaconorum erat curare, ne latifundia Eccleſiaſtica, quæ in ditione Epiſcoporum cujuſque Diœceſis erant, manerent inculta, ædificia denique ſarta tecta ſervarentur. Sic grave & multiplex ipſis incumbebat onus, & perquirendæ cujuſque inopiæ, & ſervandæ ſupellectilis, diſtribuendæ inſuper pecuniæ, ædium denique ac prædiorum utiliter locandorum.

Neque enim prioribus illis ſæculis partitum Eccleſiæ patrimonium, nec cuique Eccleſiaſtico aſſignatum manſum aliquod, cujus fructus in proprios uſus cederent, ſuperflui in pauperes effunderentur. Vigebat inter Chriſtianos, Clericos maximè, mos ille ab Apoſtolis inductus, [d] *quo nullus eorum quæ poſſidebat, aliquid ſuum eſſe diceret: ſed inter eos erant omnia communia.*

[d] *Aſtorum 4. & c. Dilectiſſimis & c. Nulli 12. q. 1.*

Rebus verò Eccleſiæ auctis non ſtatim iſta partitio inducta eſt, qua, ut diximus, fundi Eccleſiaſtici partis deciſæ reditu Clericus aleretur: ſed primùm quadripartiti reditus & oblationes in Epiſcopum, Clericos, Fabricam & pauperes [a], quò faciliùs & utiliùs cujuſque partis erogatores ſingulis poſſent proſpicere. Neque enim tam citò adduci potuerunt ut à communione illa Apoſtolica recederent, crederentque partita prædia, æquè utiliter à ſingulis Clericis, ut communia à publicis Eccleſiæ miniſtris procurari.

[a] *c. Conceſſo & ſ. ſeq. 12. q. 2.*

Certè D. Gregorii tempore, id eſt ferè ſexcentis annis à Chriſto nato exactis, illa oblationum & redituum partitio, ex communibus prædiis Epiſcopo in unaquaque Diœceſi commendatis, vigebat adhuc; [b] nam ejus verba ad Auguſtinum Epiſcopum Anglorum, id probant. *Mos eſt*, inquit, *Apoſtolicæ Sedis ordinato Epiſcopo præcepta tradere, ut de omni ſtipendio quod accedit, quatuor debeant fieri portiones, una videlicet Epiſcopo & familiæ ejus, propter hoſpitalitatem & ſuſceptionem, alia Clero, tertia verò pauperibus, quarta Eccleſiis reparandis.*

[b] *c. Cognovimus, & cap. Mos eſt. & ſeq. 12. q. 2.*

Pluribus etiam ſæculis poſtea, adeò partitio illa paſſim non invaluit, ut nequidem Epiſcopis [c] Eugenius Pontifex an 824. res Eccleſiæ mobiles aut immobiles in proprios uſus habere permitteret.

[c] *c. Nulli 12. q. 1.*

Imò cùm ipſe Gratianus, qui Decreta Patrum poſt annum 1127. congeſſit, probare contendat, perfectioni charitatis non obſtare præbendarum diviſionem, quâ ſinguli ex his quæ aſſignata eſſent, neceſſaria perciperent; quæ verò ſupereſſent, in communes Eccleſiæ uſus expenderent [d]: palam eſt neque ipſo Gratiani tempore, ubique fundi Eccleſiaſtici admiſſam fuiſſe partitionem, atque eò uſque Diaconorum munus in Eccleſiaſticis perſonis ac rebus procurandis penitus non ceſſaſſe.

[d] *d. can. Nulli. §. his ita 12. q. 1.*

Quantùm etiam actus illi hierarchici, quos ſupra è Divo Dionyſio recenſuimus, priſcis Eccleſiæ ſæculis, in aſſerenda diſciplina, pluribuſque ſacris exequendis, extenſi fuerint; conſtat ex ſcriptoribus illis fide & antiquitate ſpectatiſſimis, qui aſſerunt Diaconos menſam Domini compoſuiſſe, tempore ſacrificii legiſſe Evangelium, utque aſtantes aures ad Deum attentas haberent acclamaſſe, [e] baptizaſſe inſuper, verbum Dei populo propoſuiſſe, publicos pœnitentes reconciliaſſe, Chriſti corpus & ſanguinem fideli populo diſtribuiſſe [f], & cætera quæ ſolent Presbyteri (conſecratione & abſolutione exceptis) peregiſſe.

[e] *c. Diaconi 93. diſt.*

[f] *Act. 7 & 8. Auguſt. ſerm. de Vincentio. Tertul. l. de Baptiſmo. Cypr. epiſt. 17. Conc. Nican. c. 14*

Sed & diſciplinæ Eccleſiaſticæ cultores & aſſertores fuiſſe docet Divus Clemens [g], cùm Diaconos dicit: *Diaconi oculos oberrantes & circumluſtrantes cum verecundia actus totius Eccleſiæ, & perſcrutantes diligentius ſi quem viderint vicinum fieri præcipitio, & proximum eſſe peccato, ut referant hæc ad Epiſcopum: ſed & de peregrinis ſimiliter Epiſcopo ſuggerant refovendis, & cætera his ſimilia, quæ ad cultum Eccleſiæ & diſciplinam ejus pertinent, Diaconis curæ ſint.* Hi ſunt, ait [h] D. Hieronymus, *evangelizantes pacem, annunciantes bona, diſſenſiones & rixas & ſcandala reſecantes.*

[g] *Epiſt. ad Iacobum fratrem Domini. c. Diaconi 93. diſt.*

[h] *d. c. Diaconi 93. diſt.*

CAPUT IV.

Diaconorum duæ Claſſes : Prioris varia nomina.

IN his omnibus obeündis impariter deſudarunt Diaconi ; & prout in eodem Diaconatus ordine duos gradus agnovit Eccleſia , ſuperiori gradui & majoris momenti negotia & in inferiorem gradum poteſtas delata eſt : atque ita Diaconorum duæ claſſes ab Eccleſia condita ad nos uſque perſeverarunt. Etenim cùm ſeptem illi Diaconi miniſterio Eccleſiæ Apoſtolorum delectu atque ordinatione primùm addicti, [a] in cæleſti militia Spiritus ſeptem in circuitu throni Deo aſtantes imitentur ; [b] in Eccleſiæ petra firmiſſima , quam Zachariæ oſtenſus lapis deſignabat , ſeptem Oculos infixos exprimant [c], ſeptem Angelos Eccleſiarum , Candelabra ſeptem aurea [d], Voces ſeptem tonitruorum, virtutum operatione referant: [e] non fuit magnopere dubitandum , cùr totidem Diaconi onere & honore cumulatiores, perpetua ſucceſſione , in locis inſignioribus , Eccleſiâ ita ſtatuente , perdurarint. *Diaconi*, inquit [f] Evariſtus , *qui quaſi oculi videntur Epiſcopi , in unaquaque civitate , juxta Apoſtolorum conſtituta , ſeptem debent eſſe.*

Idem præceperat [g] Anacletus , ut & [h] Neocæſarienſe Concilium : licet ubi tenuiores Eccleſiarum opes , Diaconorum numerus fuerit imminutus.

His ſeptem Romæ urbis regiones quatuordecim , ſingulis binas , commiſit Pontifex Fabianus , ut pauperum cujuſque regionis curam gererent , [i] Auguſtum quodammodo imitatus , *qui coërcendorum incendiorum cauſa ſeptem cohortes oportunis urbis locis diſpoſuit , ita ut binas urbis regiones unaquaque cohors præſidio tutaretur.* [k]

Unde & *Regionarii* Diaconi dicti ſunt, ut & *Cardinales* poſtea à Concilio Romano ſub Silveſtro Pontifice , quòd miniſterio aſſignatæ provinciæ mancipati , illius inſignioris Eccleſiæ titulo nuncuparentur, provinciamque circumjacentem luſtrantes , ipſi Eccleſiæ veluti cardini inſiderent. *Antiſtites ſecundi ordinis* vocat [l] Sidonius Apollinaris , quod hic ordo Miniſtris conſtet ; quemadmodum ordo ſuperior Preſbyteris, quibus præeſt Epiſcopus, ut ſub ipſo Miniſtris præeſt Diaconus primarius Miniſter.

Non quadrat tamen undequaque analogia Diaconi ad Epiſcopum qui Preſbyteris & imperio præeſt , & ordine ſeu illo divino munere, quo ſolus ſacrare Preſbyteros poteſt , aliaque ſacra exequi ; cùm primarii Diaconi, ſolo magiſterio jure humano inducto , cæteris Adminiſtris præeſſe videantur.

Sed propero , ut addam illos à Concilio Laodicenſi *Viſitatores* appellatos , ab Innocentio III. *Diaconorum Priores.* [m] Denique à Concilio Carthaginenſi quarto , cui interfuit D. Auguſtinus , *Archidiaconos.*

[a] *Act. 6.*
[b] *Apoc. 1. 3.*
[c] *Zac. 3.*
[d] *Apoc. 1.*
[e] *Pſ. 28. & c. Diaconi 93. diſt.*
[f] *c. Diaconi qui quaſi 93. diſt.*
[g] *c. Epiſ. de conſec. diſt. 1.*
[h] *c. Diaconi ſeptem 93. diſt.*
[i] *Baron. ad ann. 111. & 112.*
[k] *Feneſtella de magiſtratib. Rom. cap. 24.*
[l] *Ep. 11.*
[m] *c. unico de ſerut. in ordo ſact.*

Quæ denominatio ſummis Pontificibus Juriſque Pontificii Profeſſoribus uſitatior, his ſolis viſa eſt congruere, qui Epiſcopis miniſtrantes, cæteris Diaconis qui Preſbyterorum miniſterio incumberent eſſent prælati.

CAPUT V.

Inter Presbyteros ac Diaconos extincta diſcordia, & proprius quibuſque ſervatus gradus.

DIACONI quidem paucitate honoratiores[a], ac multiplici eòque præclaro miniſterio elatiores, frequenti ſuo obſequio Clericorum ſtudium ac benevolentiam ſibi conciliare, & inter eos honorem atque autoritatem aſſequi potuerunt faciliùs, quàm modum nimiùm audentibus animis & ſuo modulo ſe parum metientibus ſtatuere. Nam ut ferè ſolet humanum ingenium rebus erectis inſoleſcere, proprii gradus obliti, Preſbyteris (ſacris tantum occupatis, & ipſa multitudine contemptioribus[b]) ſe non æquare modò, ſed præferre conati ſunt In conventu quippe Preſbyterorum ſedere: in conviviis domeſticis benedictionem coram Preſbyteris dare[c]: in primo choro priores ſtare, Preſbyteris in ſecundo choro conſtitutis[d]: abſque Epiſcopo vel Preſbytero baptizare[e]: denique ante ipſos Sacramenta ſumere: imò his porrigere, auſu temerario præſumebant[f].

E diverſo ne illatam injuriam præterire, ſed quoquomodo retaliare viderentur Preſbyteri; ſedebant ipſi, dum ſtantes Diaconi publicè ſacrum Evangelium legerent: ne ſi ad audiendum Evangelium religiosè conſurgerent, Diaconis indecorè aſſurrexiſſe viderentur[g].

Gravis ſanè ac pertinax, multiſque temporibus protracta contentio, quæ plurimorum Eccleſiæ procerum ingenia & calamos exercuit: cui & exorienti nec magni Nicæni Concilii cenſura, & renaſcenti aliorum Conciliorum non defuit moderatio. Etenim huic dirimendæ edita [h]Pelagii & [i]Anaſtaſii decreta: ſcripta ſanctorum [k]Cypriani, [l]Hieronymi, [m]Auguſtini: Canones Conciliorum [n]Nicæni, [o]Carthaginenſis quarti & [p]ſexti, Romani ſub [q]Gelaſio, [r]Laodicenſis, [s]Toletani quarti, & in noſtra Gallia [t]Arelatenſis primi & [u]ſecundi, & [x]Andegavenſis: quibus Diaconis datur præceptum, ut in ſua menſura permaneant: [y]*Se Preſbyteri ſicut Epiſcopi miniſtros agnoſcant, qui offerendi ſacrificii non habent poteſtatem, his qui offerunt, Chriſti corpus minimè porrigent.*[z] *Poſt Preſbyteros ſacra gratiam Communionis accipiant, Epiſcopo aut Preſbytero porrigente.* [a] *Abſque Epiſcopo vel Preſbytero baptizare non audeant, niſi ipſis abſentibus, neceſſitas extrema compellat.* *Sacri corporis erogationem ſub conſpectu Epi-*

[a] c. *Legimus* 93. *diſt.*
[b] d. *can. Legimus.*
[c] d. c. *Legim.*
[d] c. *Nonnulli ead.*
[e] c. *Diacones ead.*
[f] c. *Pervenit. ead.*
[g] c. *Apoſtolica de conſecr. diſt.* 2
[h] c. *Diacones* 93. *diſt*
[i] c. *Apoſtolica de conſ. diſt* 1.
[k] *Ep. ad Rog. relata in c. Dominus* 93. *diſt.*
[l] *Ep.* 85. *ad Evagrium relata in c. Legimus* 93. *diſt.*
[m] *Auguſt. quaſt. ex utroque Teſtam. q.* 101.
[n] c. 4. [o] *Cap.* 37. 38. & 39. *c. Diaconi ita, cum duobus ſeq.* 93. *diſt.* [p] *Cap.* 18. [q] *Cap.* 9. & 10. [r] *Cap.* 20. & 25. & *c. non oportet cum ſeq.* 93. *diſt.* [s] *Cap.* 38 *c. Nonnulli* 93. *diſt.* [t] *Cap.* 18. [u] *Cap.* 15. [x] *Cap.* 3. [y] *c.* 1. *Diaconi ita* 93. *diſt.* [z] *c. Pervenit ead.* [a] *c. Diacones ead.*

ſcopi ſeu [a] *Preſbyteri (niſi his abſentibus) jus non habeant exercendi :* [b] *præſentibus, ſi neceſſitas cogit, juſſi populo erogent. Coram Preſbyteris non niſi juſſi ſedeant.* [c] *In Preſbyterorum conventu interrogati, loquantur.*

Pari æquitate expenſa repreſſaque Preſbyterorum indignatio : ſancitum enim *ut ipſi & cæteri omnes, non ſedentes, ſed venerabiliter curvi & in conſpectu Evangelii ſtantes, dominica verba intentè audirent & fideliter adorarent* [d].

Verùm quæ ex Diaconorum circa Dominicum patrimonium miniſterio, contentionis flamma excreverat, fundi Eccleſiaſtici in ſingulos partitione, veluti foco lignis detractis, penitus viſa eſt evaneſcere. Tum enim nullis ob ſæcularia cum Diaconis interceſſit neceſſitudo : ipſis nulla diſtribuendi ſacri reditus ſollicitudo, ſed ſola rei ſacræ tractandæ cura.

[a] D. C. Diaconus.
[b] C. præſente ead.
[c] C. Diaconus, ead.
[d] C. Apoſtolica de conſ. diſt. 1.

CAPUT VI.

Archidiaconis, veluti Epiſcoporum Adminiſtris, ſervata ſua dignitas & honoris gradus, etiam ſupra Archipresbyteros.

QUI diſciplinæ Eccleſiaſticæ non omnino ſunt ignari vel expertes, ſciunt, vel ſolo uſu docti, in collegio vel conventu Eccleſiaſtico primum locum ei dari, qui dignitate Eccleſiaſtica præſtantiori fuerit inſignitus : alterum ei qui ad ſuperiorem Ordinem fuerit promotus : tertium verò ac poſtremum, ei qui tempore antiquiori, in ſodalitium cooptatus extiterit. Ita ut tempus Ordini, Ordinem Dignitati cedere, uſu multis ſæculis & jure ipſo firmato, minimè ſit ambiguum.

Etenim in ſocietatem priùs aſcito, quæ honoris ſunt, cæteris paribus, ante alios accedere, certiſſimi Juris eſt [e]. Atque ita ſtatuendum fuiſſe illuſtri exemplo Scriptura inſinuat, quæ ut Jacobum Juſtum, Alphæi filium, à Jacobo filio Zebedei ſecernat; illum Minorem nominat, quod poſterior ad Apoſtolatum vocatus fuerit : hunc Majorem, quod prior Apoſtolus Chriſto adhæſerit. Ut etiam in militari diſciplina, [f] *ille gradu cæteros antecedit, quem ſtipendia longiora & labor prolixior fecerunt anteire.*

At qui major eſt Ordine, in ipſo conſeſſu cæteriſque honorariis, expreſſo Jure iis potior erit, qui priores in ſocietatem fuerunt admiſſi [g].

Sed & publicis Eccleſiæ moribus inductum eſt, ut Eccleſiaſtico alicujus majoris adminiſtrationis vel officii titulo inſigniti, ſuperiores Ordine vel tempore præcedant, ſintque in captandis honoribus potiores [h]. In ſublimioribus quippe Eccleſiæ gradibus, Cardinales Preſbyteri Epiſcopos, & in inferioribus Archipreſbyteros Archidiaconi, non ordine quidem, ſed officio & honoris gradu præcedunt ac ſuperant [i].

[e] Reg. qui prior de reg. jur in 6.
[f] L. Nemo C. de off. ma. c. 1. & c. Miramur. 62 diſt.
[g] Cap. ſtatuimus de ma. & obed.
[h] 25. diſt. c. perlectis cap. 1. de off. Archid.
[i] Ut Archipreſbyter ſciat ſe ſubeſſe Archidiacono, & ejus præceptis ſicut ſui Epiſcopi obedire, cap 1. de off. Archip.

Id rationi minimè adverſari fatebitur, qui ſatis expenderit non eſſe inſolitum, in iis quæ non ſunt ordinis, aliquem ex alterius perſona, ea conſequi, quæ ex ſua nunquam aſſequeretur [a]: ſextamque Synodum quæ prohibet ne Diaconus ante Preſbyterum ſedeat, diverſum ſentire, ſi modò Diaconus locum proprii Patriarchæ aut Metropolitani expleverit, quem tunc veluti vices illius agens præcipit honorari [b].

[a] C. Præcipimus diſt. 93.

[b] D. C. Præcipimus.

Neminem inſuper eſſe, qui Perſonatu aut aliqua Dignitate Eccleſiaſtica ſub Epiſcopo potiatur, cui pars aliqua oneris Epiſcopalis non obtigerit: qui Epiſcopo operam vicariam in quibuſdam non præſtet; qui ipſius olim familiaris non fuerit. Nemo miratur ſi Dominus Famulos, Dux Commilitones, Apparitores Judex, ad obſequium præſtò habeat. Sed neque id mirum, ſi Epiſcopus tanto preſſus onere, Coadjutores, Adminiſtros, Ordinarios, Vicarios, in itinere Comites, in menſa Sodales, in labore Socios ſibi aſciſcat: quos non faſtus ſupra ſuperiores Ordines attollat, ſed opus veluti induſtrios operarios ad architectonicum adjungat. Hi certè primas ſedes occupant in choro, ut Epiſcopo aſſidentes: propiores ipſi aſſiſtunt, ut habeat paratiores. In quovis conſeſſu vel comitatu eos offenderis, honori atque obſequio Epiſcopo eſſe comperies: idque abſque eorum qui Ordine ſuperiores ſunt, honoris detrimento: cùm familiares poſtremi viros honoratiores qui non ſunt ex familia ſoleant præcedere: neque enim abſque Domini injuria poſſent ab ipſius comitatu diſtrahi.

Sed & abſente Epiſcopo, ſolemne eſt & conſuetum, eos qui illius levando oneri paſtoritio, veluti proprio muneri inſudant, ordine ſuperiores antecedere: quod ut poteſtatis atque oneris Pontificii, ita & honoris quadamtenus conſortes videantur: & quemadmodum in illis Epiſcopus honore afficitur, ſic in eos honos Epiſcopalis recurrat.

Non fuit certè prioribus Eccleſiæ ſæculis, honoris atque excellentiæ, ſed humilitatis ſpecimen, ille qui etiamnum perdurat, Epiſcopi cum ſuis adminiſtris in imo choro conſeſſus, & in publicis ſupplicationibus poſtremæ ſtationes. Decet utique ſæculi Principes ſtare, ſedere, incedere anteriores, ſuoſque retrò aſtare aſſeclas: ſed Paſtori gregem inſpectanti & demiſſiùs ſe habenti antiquus Eccleſiæ ritus magis congruere viſus eſt, quò Chriſti Domini verba, *Qui major eſt in verbis, fiat ſicut minor*, menti altiùs inſiderent: atque de ſe humiliter ſentire addiſceret Prælatus, cùm perpenderet, ſtatu Eccleſiæ erectiore ibi ſignatum honoris gradum, ubi antea miniſterii humilior fuerat conteſtatio: quaſi è nuditatis integumento, corporis ornatum, & ex verborum penuria, tropis inductis, orationis elegantiam enatam diceres.

Id verò quod diximus, ſacros Epiſcoporum miniſtros in aliquam honoris, ut oneris Epiſcopalis ſocietatem venire, atque ideo ordine ſuperiores antecedere; de Archidiaconis maximè aſſerendum, qui plura & graviora Epiſcopis præſtant officia, & quibus tanquam Vicariis [c] cura totius Cleri, jure communi demandata eſt. Nam jus ipſum,

[c] Cap. 1. de off. Archid.

ipſum poſt Epiſcopum, [a]Archidiacono majorem agnoſcit neminem, & Juris titulus de officio Archidiaconi, titulum de officio Archipreſbyteri ac cæterorum, in quos aliquid ſui oneris deponit Epiſcopus, præcedit [b]; ut non ſit dubium, Archidiaconum Archipreſbytero cæteriſque Sacerdotibus honoris gradu potiorem, quos ipſius cenſuræ ſubeſſe ac ſubjici Jura ſtatuerunt.

Neque tamen is Epiſcopi Vicarius eſt Archidiaconus, qui delegatam poteſtatem exerceat, quæ Epiſcopi morte vel revocatione expiret, ſeu cujus exercitium è nutu & arbitrio Epiſcopi pendeat; qualis ea quæ in mobili Vicario cernitur: ſed ideo nomen Vicarii Archidiacono inditum, quòd totum ipſius munus in onere Epiſcopali levando verſetur [c], nihilque in eo obeundo præſtare poſſit, quod non magis Epiſcopus ipſe debeat, ſi ſolus oneri ferendo par eſſet.

Quò fit ut ſi prævenerit, cauſas ſubditorum Archidiaconi juriſdictionem habentis audiat, & ab eo excommunicatos abſolvat [d]: quæ non poſſet in eos qui ſubſunt Epiſcopo Archiepiſcopus [e], cùm ipſi in jure expreſſis tantummodo ſubſint. Sed neque Vicarii nomen ita acceptum impedit, ne & *Ordinarius* dicatur Archidiaconus, ſi juriſdictione potiatur.

Uſu quidem receptiſſimum, *Ordinarii* nomine, antonomaſticè Epiſcopum intelligi, neque id temerè inductum, cùm nullus in Diœceſi æquè liberam atque extenſam juriſdictionem exerceat atque Epiſcopus: alios tamen eſſe in Eccleſia Epiſcopo cùm inferiores tum ſuperiores, qui verè & propriè Ordinarii ſint, nemo vel mediocriter in Jure verſatus ignorat.

Cùm enim ordinaria ſit juriſdictio quælibet aut delegata; delegatam verò, ni Princeps delegaverit, vel expreſsè cautum fuerit, ſubdelegatione non extendi: morte item vel expreſſa revocatione delegantis perimi, ſit certiſſimum [f], neceſſariò conſequitur juriſdictionem quæ morte Collatoris vel revocatione non extinguitur, quæque in alium delegatione tranſmitti poteſt, verè eſſe ordinariam; qualis omnino Archidiaconorum juriſdictio, quæ neque morte Collatorum, neque revocatione eliditur: quamque Archidiaconus aliena ſeu Vicaria opera exercet [g].

Sed non eſſe Delegatam, ſeu Vicariam, vel ex eo conſtat, quod à delegato ad delegantem, ni ſit princeps, nulla ſit provocatio [h]. Ab Archidiacono verò ad Epiſcopum, non ad Archiepiſcopum, appellationis vox emittatur, ut in Ordinaria juriſdictione, in qua gradatim eſt appellandum [i]. Quod ſi penitius rem indagare libuerit, eamque ad Juris mentem veluti ad perpendiculum exigere; eum verè dices Ordinarium, cui juriſdictio poſt gradum vel Beneficium acceptum, conceſſione vel commiſſione alterius non acceſſerit; ſed eam jure ſuæ dignitatis propriam habet, eamque eo ipſo quod Magiſtratum Eccleſiaſticum eſt adeptus, abſque ſpeciali conceſſione poteſt exercere. Hanc Juriſdictionem Ordinariam, naturalem vocat Joannes Monachus [k], quod cum ipſa Prælati dignitate naſcatur, occidat, individuaque ſocietate jungatur.

[a] D. cap. 1. & cap. ad hæc eod.

[b] in Decretalibus Greg. 9.

[c] D. cap. 1. de off. Archid.

[d] Cap. cum ab Eccleſia de off. ord.

[e] C. nullus 2. q. 4. cap. ad reprimendam. cap. Paſtoralis §. ad quod & ibi glo. de off. ord.

[f] Cap. relat. & cap. inſinuante & ca. licet. de off. & pot. jud. del.

[g] Cap. perlectis §. ab Archid. 25. diſt.

[h] Cap. Romana, de appel. in 6.

[i] Cap. Romana de fo. comp. & cap. Romana de appel. in 6. & c. anteriorum 2. q. 6.

[k] in Cap. 2. de conſ. in 6.

Prælatum enim propriè ac ſtrictè eſſe eum qui Eccleſiaſticam juriſdictionem contentioſi fori poſſidet, jure certum eſt, & communi[a] Doctorum ſententiâ firmatum; etſi extenſa ſignificatione, Prælati etiam dicantur, qui gradu, honore vel adminiſtratione ratione ſui Beneficii, in ſacro Sodalitio eminent, licèt juriſdictionis ſint expertes; quos Officium aut Perſonatum habere, non Prælatione vel Dignitate inſigniri, magis diceres;[b] cùm nullus contentioſæ juriſdictionis exors, Prælatus ſtricto jure dici poſſit.

[a] *Panor. cum cæteris, in cap. Tua de cler. ægr. cap. cum ab eccleſiarum de off. ord. cap. decernimus. de iud.*

[b] *cap. dudum. 2. de elect.*

Quapropter correctum *cap. Decernimus, de Judiciis*, quòd in eo Archidiaconi abſque diſcrimine Prælati nominarentur, & ita jure ipſo omnes viderentur Eccleſiaſtica juriſdictione potiri. Quo quidem jure Archidiaconorum nullus, ut etiam electum excludam, juriſdictionem contentioſam habet; ſed correctionem & veluti jus quoddam paternum in ſubditos, maximè cùm ex præſcripto juris, ſuo munere fungitur.

Sed neque à jure extenſiorem obtinent Prælati alii inferiores à collegio quolibet electi. Ut meritò ſibilo explodendus videatur neotericus ſcriptor, qui in propria cauſa nimium ſibi indulget, dum libro edito aſſerit juriſdictione præditos electos Archidiaconos, alios non item: neque enim Juris textus ullus qui id probet, ſed plures qui improbent, dum juriſdictionem pleriſque Archidiaconis firmant, abſque ulla electorum à non electis diſtinctione.

Optimè quidem[c] Juris Interpretes, electos omnes, Prælatos agnoſcunt; quoſdam non electos, Prælatos inficiantur: quia qui eligitur, juriſdictionem ſemper, etſi non contentioſam, ſed qualem ſupra definivimus, habet in Collegium: qui inſtituitur, non ſemper habet; ſed ſi uſu legitimo, vel conceſſione ſuperiorum, juriſdictionis fuerit compos, etſi non electus, nullique collegio præſit, Prælatum nihilominus certo jure dixeris.

[c] *Panor. & Innocent. in cap. cum ab Eccleſiarum de off. ord.*

At ut probem eo nomine ſpeciatim Archidiaconum frequentia jura dignari, ipſius Juris hæc verba profero: [d] *Ut Abbates Decani & Præpoſiti qui Preſbyteri non ſunt, Preſbyteri fiant, qui Archidiaconatus tenent, Diaconi*, &c. *Quod ſi aliqua juſta cauſa prohibente, Preſbyteri aut Diaconi eſſe non potuerint, Prælationes amittant.* Tum iſta: [e] *Nec ſuffraganeorum ipſorum Officiales aut Archidiaconos, Archipreſbyteros & alios inferiores Prælatos*, &c. Iſta denique: [f] *Ab Archidiaconis verò aliiſque inferioribus Prælatis*, &c. Satis enim vel ipſis Juris tyrunculis notum eſt vocem, *Alius*, qualitatem præcedentium implicare.

[d] *Cap. ut Abbates de ætat. & qual. & ord. præfi.*

[e] *Cap. 1. §. nec etiam de for. comp. in 6.*

[f] *Cap. Romana §. ab Archid. de appel. in 6.*

Ut autem concedamus, egregiis his titulis priori Eccleſiæ ætate minimè donatos Archidiaconos, quando publici muneris dignitatem, non verborum momenta, ſed operum pondus potentius firmabat, nulla tamen Eccleſiæ ætas ad nos uſque decurrit, quæ Archidiaconorum munus, inſtitutionis & gradus præſtantiâ præclarum, atque aſſerendæ Eccleſiaſticæ diſciplinæ maximè utile non agnoverit.

Imò D. Gregorii ſæculo, eum honoris gradum ſupra Preſbyteros

Archidiaconi conſcenderant, ut in cauſſa Honorati Archidiaconi, (quem Natalis Salonitanæ Eccleſiæ Epiſcopus invitum fecerat in Presbyterum ordinari) decreverit ipſe [a] Gregorius, Epiſcopum uſu Pallii, & perdurante contumacia, ſacra Communione privandum, ni in ſtatum priſtinum Honoratum Archidiaconum reſtitueret, quem veluti *ad fortiorem honorem provehens, conatus erat callidè degradare.*

[a] *C. Honoratus 74. diſt.*

Unde colligere eſt nuperum minimè eſſe, ſed ex veteri Eccleſiæ more productum, id quod ſupra aſſeruimus, Dignitatem ſeu officium aliquod inſigne in ordine inferiori, ordini ſuperiori honore præſtare.

CAPUT VII.

Quæ jure communi præſtant Archidiaconi; & an ipſo jure juriſdictione fungantur.

QUOD ex Decretali [b] Innocentii III. liquidò conſtet, quæ jure communi exequantur Archidiaconi; quodque in ea ſui miniſterii penſum facilè ipſi poſſint agnoſcere, adſcribere integram placuit. Sic habet: *Sanè conſuluit nos tua fraternitatis devotio, quid ad officium Archidiaconi debeat pertinere, & in quibus per ipſum cura Epiſcopalis ſolicitudinis debeat relevari: & nos, prout poſſumus, reſpondemus. Archidiaconus (ſecundùm ſtatuta B. Iſidori) imperat Subdiaconibus & Levitis. Parochiarum ſolicitudo & earum ordinatio ad ipſum pertinet, & audire debet jurgia ſingulorum. Archipreſbyteri, qui à pluribus Decani nuncupantur, ejus juriſdictioni ſe noverint ſubjacere. Secundùm verò Romani ordinis conſtitutionem, major poſt Epiſcopum, & ipſius Epiſcopi Vicarius reperitur; omnem ſolicitudinem & curam tam in Clericis quàm in Eccleſiis eorum (prout melius ſecundùm Deum poterit) impendendo, cùm ſuper his ſit redditurus rationem in diſtricti examinis judicio.*

[b] *cap. ad hæc de off. Archid.*

Item in Epiſtola B. Clementis Papæ prædeceſſoris noſtri: *Oculus Epiſcopi Archidiaconus appellatur, ut loco Epiſcopi per Epiſcopatum proſpiciens, quæ corrigenda viderit, corrigat & emendet, niſi adeò fuerint ardua negotia, quòd abſque majoris ſui præſentia nequeant terminari. In quadam verò noſtra Conſtitutione, jam alia vice nos meminimus expreſſiſſe, quod inſtitutio corporalis tam ſuper Beneficiis, quàm etiam Dignitatibus, ad ipſum debeat pertinere; examinatio etiam Clericorum, ſi fuerint ad ſacros Ordines promovendi: & hoc idem in collationibus Beneficiorum credimus obſervandum, ut qui Beneficiis Eccleſiaſticis præficiendi fuerint, à ſuo priùs examinentur Archidiacono, & per ipſum Epiſcopo poſtmodum præſententur.*

Ex quibus Innocentii verbis, duodecim Archidiaconis indicta elicit [c] Panormitanus: quorum bona pars, quia abſque juriſdictione perfici non poteſt, juriſdictionem jure communi Archidiaconis quæſitam arguit. Nam in Eccleſias Archidiaconatus viſitare, Parochias ordinare, audire jurgia, Subdiaconis & Levitis, imò & Archipreſbyteris impe-

[c] *Cap. mandamus, de off. Archid.*

rare, corrigenda denique corrigere & emendare, juriſdictionis eſſe nemo neſcit[a].

Quapropter utra ſententia potior, vel quæ juriſdictionem jure communi innixam, Archidiaconis tribuit quæ Conſuetudine poſſit ſuccreſcere, vel quæ ſolo uſu vel conceſſione ipſos juriſdictione potiri cenſet, non temerè à Doctoribus fuit dubitatum, cùm utrique ſententiæ expreſſa Jura favere videantur. Qui tamen æquiori lance rem expenderit, poterit advertere, iis quæ jure communi Archidiaconis conceduntur, fori contentioſi juriſdictionem conſtare non poſſe. Ipſa enim ſtato ordine progreditur, ſuum Tribunal habet, ex quo judicium prodeat, ſuas denique coërtiores, quibus judicatum urgeat.

Potiùs igitur, & ad mentem Juris propius aſſeret, iſta correctionis & diſciplinæ officia Archidiaconos nudo quodam Juris miniſterio, non juriſdictionis contentioſæ poteſtate exequi; cùm & ipſa, ſuperiùs ab Innocentio, Archidiaconis præſcripta, quoties majorem indaginem expoſcerent, ad Judicem eſſent amandanda.

Huic ſententiæ adſtipulatur Archidiaconorum diſtinctio, quam ex verbis [b] Gregorii IX. facilè eſt eruere. Ipſe enim diverſum ſtatuit in Archidiaconis qui juriſdictionis curam exercent, quique ex Eccleſiarum conſuetudine excommunicare, ſuſpendere & abſolvere poſſunt; & iis quos curæ exercitii expertes, Perſonatum tantummodo habere pronunciat. Quod utique ſtare non poſſet, ſi jure communi Archidiaconi ex æquo juriſdictionem ſortirentur.

Non difficilè fuerit idem firmare ex correctione *cap. Decernimus*, ſub titulo *de Judiciis*, probata in nova compilatione Gregoriana. Parum enim fuit viris prudentibus, quibus demandata librorum Juris Pontificii correctio, in eo capitulo vocabulum præpoſterè collocare, modo ſenſus verbis antiquæ lectionis implicitus, tanquam Juri & communi Doctorum ſententiæ adverſus, Juris terminis exularet. Nam in textu, *Epiſcopi, Abbates, Archidiaconi, & alii Eccleſiarum Prælati*, Archiepiſcopi vocabulum, loco Archidiaconi repoſitum; ne contra jus, Archidiaconos omnes Prælatos eſſe, ac juriſdictionis contentioſæ compotes, Jure ipſo conſtaret.

Aſſertioni huic, & nunc, ſic antea in noſtro de Viſitatione & Synodis libello ſubſcripſimus[c]. Neque enim juriſdictione præditus Archidiaconus, eam oppugnanti Jus Commune poterit objicere, ut in eum onus probandi præſcriptionem, vel aliud, jus commune elidens, rejiciat. Sed ſuum eſt, retinendæ ac propugnandæ juriſdictioni legitimam Præſcriptionem, Conſuetudinem, vel Indultum proferre: quibus & juriſdictionem comparare potuiſſe, & ſervare partam, frequenti jure Pontificio & concordi Doctorum ſententia poſſit facilè comprobare.

[a] *Sed quia pro executione ad judicem recurrendum: qui hac ſola præſtat, juriſdictione præditus dici non poteſt, cum nulla ſit Juriſdictio quæ coërtionem aliquam non habeat l. fin. ff. de off. ejus cui mand. eſt Juriſd. nulla id eſt medici effectus. Valet enim quod ordinatum, etſi executio pendeat à ſuperiore.*

[b] *Cap. dudum 2. de elect.*

[c] *In quo Archidiaconorum alii juriſdictione immunes, alii præditi afferuntur cap. 2. num. 3. 7. 10.*

CAPUT VIII.

Iuriſdictionem Fori exterioris, uſu vel Superiorum Indultis Archidiaconos aſſequi, certiſſimi juris eſſe.

CONVENIT inter Theologos verbis, *Quæcunque alligaveritis ſuper terram*, &c.[a] Chriſtum juriſdictione duplici Paſtores Eccleſiæ donaſſe; altera; qua *in foro poli* peccata remitterent, aut retinerent; altera, qua *in foro fori* pœnas decernerent vel laxarent: aliave, ut Judices palam ſtatuerent.

Prioris, quæ arcano conſcientiæ incumbit, nullus extra Pœnitentiæ Sacramentum uſus; ideoque ea ſolus Sacerdos fungitur[b], cujus eſt Sacramenta conferre. Poſteriori, quæ fori exterioris eſt, nil commune cum Sacramentis: proinde in eum poterit derivari, qui Ordine Sacerdotii minimè auctus fuerit. Quod quia in Vicaria illa ſeu delegata juriſdictione quotidie cernitur, nullus quantumvis ignarus abſque pervicacia poterit inficiari.

Neque qui in Juriſprudentiæ caſtris exercent tyrocinium ignorant, decreto legis, hominis indulto, vel ipſo uſu, juriſdictionem alicui accedere[c]. Et quamvis de privato, an juriſdictionem uſu nanciſcatur, non ſit eadem[d] Doctorum ſententia, conſentiunt tamen, eum qui aliqua adminiſtratione, dignitate, vel honoris gradu, ratione ſui Beneficii, in Eccleſia quoquomodo præſtiterit, juriſdictionem ſuo Beneficio, ſeu Perſonatui, uſu comparare poſſe[e].

Nomine verò uſus, Conſuetudinem & Præſcriptionem intelligo: quæ quamvis inter ſe non minimum diſtent, illaque jus commune ſeu plurimorum cenſeatur: hæc jus privatum ſeu particulare, proinde odioſa reſtringendaque: illa amplianda dignaque favore exiſtat, utraque tamen legitimum acquirendæ juriſdictionis modum inducit: dum Conſuetudo ratione ac tempore jure definito nititur: Præſcriptioque ſuis aſſeclis comitata, ſtatum temporis ſpatium decurrit.

Etenim ipſa Conſuetudo nullis licet tabulis inſcripta, dum moribus utentium invaluit, nedum vim legis obtinet[f], ſed & legem ipſam humanam, totam vel ex parte corrigere vel abrogare poteſt; *ſi rationabilis ſit & legitimè præſcripta*[g].

At ratione fulta cenſenda ea Conſuetudo, quæ abſque peccato ſervari poteſt. Præſcripta verò ut plurimum, quæ quadraginta annorum ſpatium explevit atque emenſa eſt[h]. Hæc enim & Juri ſcripto derogat, & juriſdictionem ordinariam non habenti acquirit[i]. Sed tempus Præſcriptioni aut Conſuetudini ſtatum ei non proderit, qui poſſeſſioni quærendæ fuerit ineptus, ut is in quem jura quæ uſu ad ſe pertinere contendit, cadere non poſſunt: veluti in Laïcum jus Decimæ[k], & in Presbyterum, quæ Ordinis ſunt Epiſcopalis, quæ nulla temporis diuturnitate poterunt aſſequi:[l] *Cum nemo ſanæ mentis intelligat divino ac naturali Juri (cujus tranſgreſſio periculum ſalutis in-*

[a] *Erunt ligata & in cælo, & quæcunque ſolveritis ſuper terram erunt ſoluta & in cælo. Matth 18*
[b] *C. in novo. 21. diſt. & cap. omnis de pœnit. & remiſ.*
[c] *Tanor. in cap. duo ſunt de off. ord.*
[d] *in cap. cum contingat de foro comp.*
[e] *Arg. cap. Dilectus de appel. & cap. dilecto de ſent. ex com. in 6. & cap 2 ne his quæ ſi. a. ma. per. cap. glo. & doct. in cap. Dudum. 2. de elect. & in cap. cum ſatis in verbo: conſuetud. de off. Archid. facit. cap. ad hoc & cap. accedentibus de exceſſ. prælat. & cap. irrefragabili §. exceſſus de off. ord. cap. auditis. & cap. cum de præſcript.*
[f] *C. conſuetudo diſt. 1.*
[g] *Cap. fin. de conſuetud. & ibi gloſ. & cap. non eſt eod. in 6.*
[h] *Tanor. ad cap fin. de conſuetud. nu. 11.*
[i] *Panor. in cap. quoniam ne præl. vi. ſu. nu. 4.*
[k] *Ioan. Andr. in cap. 2. de preb. in 6. in novel.*
[l] *Cap. ult. de conſuetud.*

ducit) quacunque conſuetudine, quæ dicenda eſt veriùs coruptela, poſſe aliquatenus derogari.

Tanta eſt ſiquidem in rebus & perſonis quibuſdam diſparitas, ut nunquam conveniant, nulluſque poſſit, illibato Jure divino, ſociare. [a] Ideoque perſonæ ejuſmodi, rerum earum poſſeſſione ſunt interdictæ, atque præſcriptionis incapaces, cùm abſque poſſeſſione præſcriptio non procedat.

In Conſuetudine titulo minimè opus; nec de bona fide quæritur, niſi in ea quæ extenſo vocabulo, pro Præſcriptione ſumitur; quæque in omnibus ad præſcriptionis leges eſt exigenda. [b] Præſcriptionem etenim quæ eſt contra Jus, titulum ſaltem coloratum antecedere oportet, cum videlicet qui pleniori indagine elidi poteſt.

Fidem denique bonam ad præſcriptionem uſque completam adeſſe neceſſe eſt, vel ad minimum malam fidem abeſſe: [c] *cum malæ fidei poſſeſſor nullo tempore præſcribat.* [d] At præſcriptioni perfectæ, malæ fidei adventus non oberit, neque interruptio ulla vel contradictio; [e] nec ſi tempore hominum memoriam ſuperante decurrerit, titulo egebit, quo fulciatur.

In ipſo verò præſcriptionis excurſu nullus bonæ fidei probandæ obnoxius. [f] Is enim bona fide poſſidere judicandus, quem malæ fidei poſſeſſorem adverſarius non probavit. [g] Succeſſori denique deceſſoris mala fides non officiet, cùm in ejus vitium non ſuccedat.

Quæ omnia de Conſuetudine & Præſcriptione à nobis expoſita eò tendunt, ut jure Archidiaconis quæſitam juriſdictionem nemo dubitet, ſi ipſis earum altera ſuffragetur.

Conſuetudine verò niti, non Præſcriptione cenſendi Archidiaconi, ſi totam Diœceſim non alicujus ipſius angulum eorum juriſdictio pervadat. Si quotquot ſunt in Diœceſi Archidiaconi, iiſdem juribus utantur; ſi nullus qui ſubſit Epiſcopo, Eccleſiaſticus eorum juriſdictione eximatur. [h] Tunc enim conſuetudinem inductam nullus dubitat, cùm non alicujus ſtatus vel ordinis homines paucos privatim complectitur, ſed promiſcuè univerſos publico uſu aſtringit; juſque eſſe publicum, tam apertis indiciis, Conſuetudine inductum, nullus poteſt diffiteri.

Sed & ſola Præſcriptio qualis à nobis deſcripta, Archidiaconos juriſdictione donare poteſt; cumque uſu hominum memoria ſuperiore invaluerit, nulla, ut diximus, neque bonæ fidei, neque tituli, aut notitiæ Superioris defectus objectio, eam poterit ullo modo convellere aut infirmare.

Quapropter Archidiaconorum juriſdictionem fundamentis ejuſmodi innixam, frequentia atque expreſſa jura comprobant: Doctores ſuis ſcriptis communi ſenſu aſſerunt: uſus tot ſæculis locisque probatus confirmat: Rhedonenſis Archidiaconi Officialis [i] ſanctus Ivo ſuo exemplo commendat: [k] Alexander III. Papa in cauſſa D. Thomæ Cantuarienſis Archiepiſcopi ſummo & publico judicio approbat.

Rejectis enim pluribus Angliæ Conſuetudinum articulis, retentus

[a] Reg. ſine poſſ. ſ. ſſ. de reg. iu. in 6.

[b] Cap. 3. & ibi glo. de conſuetud. in 6. facit cap. fin. de conſuet. in antiq.

[c] Reg. poſſeſſ. de reg. iu. in 6.

[d] Panor. cap. audit is de præſcr. nu. 10.

[e] Idem cap. cum Eccleſia de cauſſa poſſ. & pro. nu. 41. 44. 47.

[f] Cap. fin. de præſcr.

[g] Panor. in cap. gravis de reſt. ſpol. nu. 19.

[h] Vide Roch. Curtium tractatu de conſuet. 3. concl. ex 2. parte glo. final. cap. cum tanto de conſuet.

[i] Officium D. Ivonis apud Minoritas.

[k] Annales Baro. ad an. 1164 ex Epiſt. Spond.

iſte, quo Archidiaconorum juriſdictio, Britannico illo publico uſu, etiam in regiis cauſſis rata declaratur: [a] *Si fortè aliquis diffortiaverit Domino Regi rectitudinem ſuam, Archiepiſcopi vel Epiſcopi & Archidiaconi debent eum judicare, ut Domino Regi ſatisfaciat.*

Demum [b] Pontificia Decreta, quæ vetant ne quis ab Archidiacono ad Archiepiſcopum provocet, ſed Epiſcopum appellationum quæ à Tribunali Archidiaconi emerſerint, Judicem ſtatuunt, Jure probatam & receptam Archidiaconorum juriſdictionem ita luculenter oſtendunt, ut qui non viderit, inſignier caligare videatur.

[c] Neque eſt quod privilegio, non conſuetudine vel præſcriptione partam juriſdictionem, jura firmare, quis ineptè contendat; cùm neque id conſtare poſſit, neque ſi eſſet probatum, tantillum infirmior eſſe Archidiaconorum poſſeſſio; cùm id quod privilegio acquiritur, conſuetudine ac præſcriptione poſſe comparari, juris ſit minimè ambigui.

Quod ſi à Concilio Tridentino juriſdictioni Archidiaconorum in multis detractum eſſe objiciat aliquis, velitque, ut ſaltem eam minutam habeant, non qualem uſus induxit antiquior, hoc reſponſum feret: leges humanas cùm Eccleſiaſticas tum Civiles antequam uſus receptas oſtenderit minimè obligare. [d] *Leges quippe inſtituuntur, cùm promulgantur; firmantur, cùm moribus utentium approbantur.*

Neque ſi vigeret uſu Concilii Decretum, juriſdictionem quamlibet Archidiaconorum imminueret, ſed eam tantummodo quam non vetuſtiſſima conſuetudo confirmaſſet, illibatam eam relinqueret, quæ hominum memoria eſſet ſuperior.

Id certè Juriſperitus quilibet potuiſſet aſſerere, niſi quibuſdam audacior quàm verior Decreti iſtius viſa fuiſſet explicatio. Probatum enim Juriſprudentum calculis, Legem quæ Conſuetudini derogat (ſi nil aliud expreſſerit) memoria ſuperiorem Conſuetudinem non comprehendere.

At poſtquam à ſacra Cardinalium Congregatione (quam unam Tridentini Concilii Interpretem voluit ſummus Pontifex) ejuſmodi Decretum explicatum habemus; non eſt quod dubitemus verum ejus ſenſum amplecti, quem nullus averſari debet, vel jure poteſt improbare.

[e] Verba Concilii hæc ſunt: *Cauſæ matrimoniales & criminales, non Decani, Archidiaconi, aut aliorum inferiorum judicio, etiam viſitando, ſed Epiſcopi tantum examini & juriſdictioni relinquantur.* In fine verò cap. *Non obſtantibus quoad omnia ſupraſcripta, privilegiis, indultis, concordiis, quæ ſuos tantùm teneant autores, & aliis quibuſcumque conſuetudinibus.*

Sacræ verò Congregationis Declarationes unà cum textu Concilii impreſſæ [f], ſic habent, *nu.* 8. ad verba, *Cauſſæ matrimoniales: Congregatio cenſuit, non ſuſtuliſſe Concilium immemorabilem conſuetudinem, & ideo ſi Archipreſbyter* (& potiori ratione Archidiaconus) *legitimè probaverit ſe admittendum, hanc juriſdictionem exerceat.* Inſuper nu. 8. ad verba, *& criminales: Niſi eſſent in quaſi poſſeſſione immemorabili,*

[a] *Art. 4 parte, altera.*

[b] *Cap. Romana de app. in 6.*

[c] *Cap. cum contingat de for. comp. Bar., in l. 1. ff de aq. plu. ar.*

[d] *in iſtis §. leges 4. diſt.*

[e] *Seſſ. 24 cap. 20. de refor.*

[f] *Duaci apud Baltaſ. Bellerum an. 1620.*

cui in hoc Concilium non derogavit, ſi hujuſmodi quaſi poſſeſſio probata fuerit tribus ſententiis conformibus & continuis. Et inferiùs: *Quando inferiores Ordinarii volunt procedere in criminalibus, ſi legitimè conſtet de immemorabili quaſi poſſeſſione Archipreſbyteri in cognoſcendis decernendiſque cauſſis criminalibus ſuorum Clericorum, Decretum hoc non derogavit huic immemorabili quaſi poſſeſſioni, unde in ea Archipreſbyter conſervandus eſt.*

[a] Conſtans & certiſſimum ſacræ Congregationis illud fuiſſe judicium oſtendunt hæ Declarationes, non variæ ſed ejuſdem ſententiæ, etſi variis temporibus editæ. De hac ſacræ Congregationis explicatione, [b] Auguſtinus Barboſa ad iſta Concilii verba, *& aliis quibuſcumque conſuetudinibus*, ita ſcribit: *Sacram Cardinalium Congregationem cenſuiſſe, immemorabiles ſub hoc decreto non comprehendi, reſolvit Gonſal. ad reg. 8. (anc. glo. 33. nu. 5.*

Addidero exoptandum ut hæc juriſdictionis ad mentem Concilii moderatio unà cum cæteris Concilii Decretis ſervetur: juncta etenim aliorum Decretorum praxi brevi ad meliora rem Eccleſiaſticam traduci poſſe non dubitamus. Moderatione iſta ſola (quæ tamen Conſuetudini memoria ſuperiori nil officit) non videmus.

[a] *Mentem Concilii eam fuiſſe quam aperit ſacra Congregatio vel ex conſtat, quod pluribus Concilii decretis conſuetudo immemorabilis ſit expreſſa quia comprehenſa, ut de reform. ſeſſ. 21. cap. 3. 8. 9. ſeſſ. 22. Cap. 3. & 8. ſeſſ. 23. Cap. 18. ſeſſ. 24. Cap. 1. 3. 9. 13. 14 ſeſſ. 25. De regul. cap. 12. & eadem ſeſſ de reform. cap. 8. 9. & 9.*

[b] *Lib. qui titul. eſt Remiſſiones Doctorum qui varia loca Conc. Trid. incidenter tractarunt Cap. 20. nu. 20. in 20. cap. de refor. ſeſſ. 24.*

CAPUT IX.

Quæ Archidiaconis conſuetudine, præſcriptione, vel indulto accreſcere poſſunt: quæ non.

CUm liquidò conſtet, ex ampliſſima illa Epiſcoporum poteſtate, eam quam ſibi vindicant Archidiaconi, quæcumque ea ſit, derivari; operæ prætium fuerit, quænam ſint Epiſcoporum Jura diſpicere, quæ uſu vel alia ratione conſequi poſſint Archidiaconi.

[c] Certum in primis ea quæ ſunt Ordinis Epiſcoporum, nullo uſu vel eorum conceſſione, Archidiaconos poſſe acquirere: atque ita conſecrare altaria, dedicare Eccleſias, Chriſma vel oleum benedicere, & cætera id genus, ſolius eſſe Epiſcopi; ea maximè quæ magis propria ſunt Ordinis Epiſcopalis, quæ ſcilicet in Sacramento Ordinis peragit Epiſcopus, dum ſacris muneribus exequendis, homines poteſtate ſibi divinitus tradita conſecrat.

[d] Nam & ea quæ extra Sacramentum conficit ad Ordinem ſpectantia, nullus eo inferior exercet, ni expreſſo Jure, vel ſummi Pontificis autoritate fuerit indultum; [e] vel ſi quid in his obtinet Conſuetudo, ea ſola eſt quæ probante Summo Pontifice invaluit. [f] Eſt enim Jure definitum, præter Epiſcopum, ne quidem ipſius mandato, quæ Ordinis ſunt exequi poſſe neminem.

[g] At in his quæ extra Ordinem, autoritatis Epiſcopalis eſſe conſtat, aliter omnino ſentiendum; ea enim poſſe delegatione in alium transferri, uſu inſuper aut privilegio traduci certiſſimum: etſi rerum & perſonarum

[c] *Cap. quod ſicut §. præterea de elect. facit c. quamvis 18. diſt. cap. quanto de conſuetud.*

[d] *C. pervenit 95. diſt. c. Abbates. Cap. cum contigat. de ætat. & qual.*

[e] *Cap. de ſup. negl. prælat.*

[f] *Cap. aqua de conſecr. Eccl. vel alt.*

[g] *Panor. in Cap. litteras de reſt. ſpol. n. 8.*

perſonarum varietas in firmando uſu his acquirendis neceſſariò jus ipſum variùm ac multiplex efficiat.

Porrò ea omnia quæ ſunt juris & autoritatis Epiſcoporum, legi alterutri [a] *Diœceſanæ* vel *Juriſdictionis* ſubeſſe docent Juris Interpretes. Earumque legum officia, promiſcuè recenſet [b] Honorius III. Decretali ad Epiſcopum Aſſiſinatium, dum illum in ſubjectos habere decernit *canonicam obedientiam, ſubjectionem & reverentiam, inſtitutionem & deſtitutionem, correctionem & reformationem, ac Cenſuram Eccleſiaſticam, juriſdictionem quoque cauſſarum omnium ad Forum Eccleſiaſticum de jure ſpectantium, pœnitentias, & ſacrorum omnium quæ ab Epiſcopo ſunt recipienda collationem, Synodum & Synodatici ſeu Cathedratici nomine duos ſolidos, quartam decimationum & mortuariorum, viſitationem quoque annuam,* &c. *moderatum auxilium, etſi manifeſta & rationabilis cauſſa extiterit, cum charitate poſtulandum.*

[a] Ad Cap. conquerente de off. ord.
[b] Ibid.

Jam illa quæ non fuerint Ordinis poſſe Archidiaconos cæteroſque Prælatos inferiores uſu vel conceſſione præſtare, Jure ac Doctorum ſententia confirmandum. Quod ut faciam, hîc velim adducta ea quibus ſuperiori capite in genere probatum extitit, Conſuetudine, Præſcriptione aut Privilegio juriſdictionem Archidiaconos nanciſci poſſe. Neque Jura vel Doctores ipſam aliis cancellis definitam proponunt, quam iis quos uſus pro rerum arduitate varius, aut jure rata conceſſio ſtatuerit: ne quis in Epiſcoporum juriſdictione limitem ſternat, quem uſu vel privilegio fulti, prætergredi Archidiaconi non poſſint.

[c] Doctores ſiquidem concordes aſſerunt, quæ ſunt Epiſcopalis Dignitatis aut Poteſtatis, ſeu *legis Diœceſanæ*, ea ſint ſeu *Juriſdictionis*, Prælatos inferiores præſcribere. [d] Et ut ea quæ in duplici iſta lege præcipua ſunt, ad ea quæ Jure ſunt deciſa, ſigillatim expendamus, *cap.* 1. *&* 7. *de Officio Archidiaconi* validè probant, Parochos cæteroſque Archidiaconis obnoxios, obedientiam, ſubjectionem & reverentiam ipſis debitam non poſſe denegare; [e] neque correctionem & reformationem ab ipſis juriſdictione præditis pro modulo inductam, impunè aſpernari, cùm nulla ſit juriſdictio quæ coërtionem non habeat.

[f] Inſtitutionem in beneficiis & deſtitutionem penes Archidiaconos eſſe, ſi uſus probaverit, habes ex Decretali Alexandri tertii, in qua alteri ablatum, alteri collatum ab Archidiacono Beneficium non improbat Pontifex. Neque enim ea inſtitutio vel deſtitutio Ordinis Sacerdotalis eſt, ſed Curæ juridicæ, qua tanta ſi polleat Archidiaconus, materiam poterit Preſbytero ſubjicere, aut detrahere: populum videlicet, in quem ordinis poteſtatem exerceat, vel in quem nullum Ordinis uſum habeat.

[c] Cap. olim & Cap. auditis. de præſc. modo titulus ſaltem coloratus adſit, vel tempus ſuperans memoriam. cap. 1. de præſcr. in 6. Panor. in Cap. cum contingat de fo. comp. nu. 12. Ioan. And. & Archid. in cap. cum Epiſc. de off. ord. in 6.
[d] Cap. ad hæc de exceſſ. Prælat.
[e] l. fin. ff. de off. eius cui mand. eſt iur.
[f] Cap. referente de præb.

[g] Cenſuram Eccleſiaſticam, Excommunicationem, Suſpenſionem atque Interdictum, triſulcum illum Eccleſiæ gladium, uſu ſuffragante diſtringere poſſe, approbat [h] Gregorius nonus, qui Ambianenſem Archidiaconum, altero Beneficio cura onerato interdicit, quod de Conſuetudine excommunicare, ſuſpendere, interdicere, atque

[g] Cap quærenti di de verb. ſign.
[h] cap. dudum 2. de elect.

abſolvere poſſet, atque ita beneficio Curæ fori exterioris, (quam Juriſdictionalem vocant) eſſet addictus. Idem & Archidiaconum poſſe Officialem creare, qui uſum gladii ſpiritualis habeat, apertè oſtendit in cauſſa Clerici [a] Odoardi, quem Rhemenſis Archidiaconi Officialis excommunicaverat. Ejuſdem gladii uſum in Archidiacono agnoſcit ſuprà laudatus [b] Alexander III. neque enim Preſbyterum excommunicatione ab Archidiacono præcepiſſet abſolvi, niſi ligatum judicaſſet. Ex plurimis ejuſmodi Juris Pontificii ſanctionibus concludunt [c] Doctores, *mixti ac meri imperii* actus, quales [d] Cenſuræ Eccleſiaſticæ, uſu Prælatis inferioribus accedere poſſe.

Juriſdictionem cauſſarum omnium ad forum Eccleſiaſticum de jure ſpectantium, quantumvis arduæ illæ ſint, poterit uſus vel privilegium Archidiaconis concedere. Inter arduas cenſendæ cauſſæ matrimoniorum, quarum diſquiſitionem dignitatis eſſe Epiſcoporum [e] Jus Canonicum exprimit. Rata nihilominus eodem Jure eſt, cauſſarum ejuſmodi apud [f] Archidiaconos [g] cæteroſque Prælatos inferiores diſceptatio; quibus ut id poſſint, adſtipulatur uſus, vel Superioris Indultum.

Juriſdictio in monaſteriis non exemptis, Jure communi, à ſolo Epiſcopo veluti à proprio Hierarcha exercetur. [h] Hujus eſt enim Monachis ſupremam Chriſtianæ pietatis manum admovere, cæteroſque Evangelicæ perfectionis cultores ad ſummum, quem conſcendere poſſint, gradum erigere. [i] At in contentioſis, quæ clauſtrali diſciplina corrigi non poſſunt vel dirimi, ut quæ plurimùm à perfectione diſtent, juriſdictionem exercet Archidiaconus, ſi Uſus prævaluerit. Nam in ea controverſia quæ inter Senonenſem Archidiaconum & Cœnobitas ſancti Petri Senonenſis emerſerat, hos cenſuit [k] Honorius III. Archidiaconi juriſdictione minimè eximendos, ſi modò Uſu eidem fuiſſe obnoxios conſtaret.

In cauſſa etiam in qua Archidiaconus juriſdictionem ſuam in Cœnobitarum Eccleſia, poſtquam in Cathedralem erecta fuerat, exercere conabatur: non dubitatum à [l] Gregorio nono, id ante erectionem uſu vel privilegio potuiſſe Archidiaconum, cùm ipſius jura, ſi quomodo ex ipſa mutatione læſa conſtitiſſet, ſarcienda decernat.

At juriſdictioni in Cœnobitas ſecuriùs inſtabit Archidiaconus, eamque propugnabit feliciùs, ſi territorium, fines ſcilicet & limites juriſdictioni exercendæ certos habuerit. Abſit, lector, territorii verbo invidia; neque enim cordi eſt, cum ſæcularibus Magiſtratibus, ſuper territorio quod Eccleſiaſticis noſtratibus negant litem inſtituere. [m] Per utroſque licebit loca juriſdictionis exercitio, Eccleſiaſticorum alicui ſtata, terminiſque diſtincta, territorii nomine, in ipſa juriſdictionis inter Eccleſiaſticos diſceptatione exprimere.

[n] Non dubium jure communi ſolum Epiſcopum territorium habere, iiſdem finibus quibus ipſa Diœceſis decurrens: ſed æquè certum, Archidiaconum poſſe uſu, territorii jus illud aſſequi, quo in certa Diœceſis parte, qua ſui Archidiaconatus ambitus excurrit, quaſcumque cauſſas ſuæ juriſdictionis audire ac decidere poſſit,

[a] *Cap. Odoardus. de ſolut.*

[b] *Cap. referente de præb.*

[c] *Ioan Andr. & Archid. in cap. cum Epiſc. de off. ord. lib. 6*

[d] *Innocent in cap. transmiſſa de elect. aliquando mixti imperii cap. venerabilib. de ſent. excom. in 6.*

[e] *Cap. a ccedentib. de excuſſ. Tralat. cap. de conſang. & aff.*

[f] *Cap. literas & ibi glo. de reſt. ſpol.*

[g] *Cap. auditis de præſcrip.*

[h] *D. Dionyſ. Eccleſ. Hierar. cap 7. & 8.*

[i] *Cap. fin. de off. Archid. & cap. cum inferior de maior. & obe*

[k] *d. cap fi . de off. Archid.*

[l] *d. cap. cum inferior.*

[m] *Diſtrictum vocant Dica ni. i.*

[n] *C. omnes Baſilica. 16. q. 7 cap. 1 de off. ord. cap. cum Epiſcopus eodem in 6 glo. in cap. cum ab Eccleſ. de off. ord.*

[a] & ſolus ipſe poſſit : Quodque Archidiaconus juriſdictionem cum territorio uſu cœperit, intra hujus terminos Epiſcopus neque tribunal ſtatuere, neque Officialem inſtituere valeat.

At quoniam inde deduceretur, dari poſſe Diœceſim, quæ veluti monſtrum plura capita geſtaret; in qua Epiſcopus juriſdictione careret, ut quæ eſſet apud Archidiaconos: nodum hunc ita diſſolvit Juris Pontificii [b] Doctor anteſignanus. *Si*, inquit, *Inferior vult quærere territorium, ut ſeparatum ab Epiſcopo, ita ut faciat caput in eadem Civitate ſeu Diœceſi, non eſt poſſibile: ſi autem vult quærere quaſi ſub Epiſcopo, ut Epiſcopus habeat univerſalem juriſdictionem ſaltem habitu, & iſte Prælatus inferior habeat quaſi ſub eo: licet exercitio excludatur Epiſcopus: & hoc eſt poſſibile, ſicut contingit in exemptis. Et ſi diceres quem effectum operabitur iſte habitus juriſdictionis, qui reſervatur Epiſcopo, dico quod multùm. Primò quod unum caput cognoſcetur, principaliter in eadem Diœceſi. Secundò puto quod ratione hujuſmodi juriſdictionis univerſalis poterit Epiſcopus juriſdictionem exercere, datâ negligentiâ inferioris Prælati. Ad hoc adduco textum optimum in cap. Irrefragabili §. exceſſus, de off. ord. Facit cap. cæterum. de jud. Item vacante vel mortuo illo Prælato inferiori, Epiſcopus exercebit, arg. cap. licet. ſup. eodem, & in præallegato §. exceſſus. Item poterit ab iſto inferiori appellari ad ipſum Epiſcopum, arg. cap. Romana §. 1. de appel. in VI. faciunt ad prædicta notata per Innocentium in cap. cum ſatis, de Officio Archidiaconi.*

Quæ omnia paradoxa iis videbuntur, qui, quid in abrogandis juribus poſſit Conſuetudo, & rationum momenta, quibus Conſuetudini tantum fuerit permiſſum, non ſatis expenderint, de quibus pauca inferiùs ſubjungemus.

Hoc tantùm pro mantiſſa præmiſſis de juriſdictione attexam: benigniorem Jurique magis conſonam Conſuetudinem eam eſſe, quæ Prælatis inferioribus ita concedit territorium, ut extra illud in ipſius perſonas Epiſcopus ſua juriſdictione liberè utatur, eaſque ſuo tribunali, ni inferiores Prælati occupaverint, adeſſe cogat. Quæ viciſſim his Prælatis, intra territorii fines, quoties non anteverterit Epiſcopus, quæ ſuæ juriſdictionis ſunt exequi permittit.

Siquidem Epiſcopo, cum hac Conſuetudine, ſua conſtat juriſdictio, qua, præventione ante inferiores Prælatos, in perſonas locorum, licet non in ipſis locis, utitur; quaque ab inferioribus judicata, provocatione ad ſuum tribunal ſuperiùs delata, confirmat vel infirmat.

[c] In communionem juriſdictionis ejuſmodi (quam accumulativè ad Epiſcopalem vocant) conſultò videntur aſciti Prælati inferiores, ut Superiori eſſent ſubſidio, ipſoque probante, vel minimè diſſentiente: quod ni contrarium conſtiterit, ita omnino præſumendum, ne Inferiores jus Superioris injuſtè temeraſſe, hunc Eccleſiæ ſuæ jura nedum neglexiſſe, ſed abjuraſſe aſſeramus. Nam eo reclamante nulla quantumvis annoſa poſſeſſio contra Jus ſcriptum potuiſſet invaleſcere.

[d] Pœnitentias publicas injungere, & indulgentias Prælatos infe-

[a] Ioan. And. & Archid. in cap. cum Epiſcopus de off. ord. in 6. Panor. in cap. cum contingat de fo. comp. Domini de rota deciſione 309. facit. cap. auditis, & cap. cum olim eo praeſc. cap. dilectus de off. ord. cap. accedentib. de exceſſ. prælat. c. quicumque 16. q. 3.

[b] Panor. in cap. cum contingat nu. 19. qui citat alios.

[c] Innocent. in cap. cum ab Eccleſiarum. de off. ord. & cap. dilecto. de exceſſ. Pral. c. ac perſona 11. q. 1.

[d] Cap. accedentibus. de exceſſ. prælat.

riores ſpeciali conceſſione poſſe impertiri, non negat Innocentius III. etſi iſtâ Epiſcopalis eſſe Dignitatis nemo neſciat.

Synodum convocandi, Archidiaconis ac cæteris, quos in partem Epiſcopalis ſolicitudinis, ac juriſdictionis ſocietatem, certa ratio jure probata adjungit, jus eſt, ſi uſus legitimi temporis firmaverit. Cura utique & ſtudium inferiorum Prælatorum in ſubditos; horum in Superiores obſervantia ac ſubmiſſionis proteſtatio, etſi aliæ non ſuppeterent rationes, cogendæ ab Archidiaconis Synodi legitimam conſuetudinem probarent.

Sed quia ad explenda quæ præcedente viſitatione præcepta, ad notoria errata corrigenda, ad querelas ſubditorum audiendas atque ſopiendas, denique ad Synodalium Epiſcopali Statutorum praxim promovendam, nulla planior via magiſque compendiaria viſa eſt, quàm quæ Cleri, Synodo obnoxii Conventu, pro veteri Eccleſiæ more ſterni poterat: convocandæ Synodi non fuit difficilo inferioribus Prælatis juriſdictione præditis, conſuetudinem inducere: ex qua tot in bonum publicum & privatum commoda emergerent.

Eam pluribus in locis vigere notius eſt, quàm quod ullo ad fidem teſtimonio ſit opus. [a] Et in tota Colonienſi Provincia, Archidiaconis & Archipreſbyteris jus eſſe ſacra iſta Comitia habendi, patet ex Colonienſi Provinciali Concilio.

[a] Cap. 19 & 21. de his Gropperus in iſagoge diſciplina relig. cath.

Synodatici ſeu Cathedratici, aut alio nomine præſtationem nummariam ſuis Archidiaconis pendunt; etiamnum quibuſdam in locis Parochi, dum Synodum adeunt. In aliis deſuetudine jus penſitationis iſtius exigendæ extinctum.

Cætera que de jure Epiſcoporum ſubjungit Honorius, ut minus ardua, inter Archidiaconorum jura poſſe cenſeri, pluribus non probamus: poſtquam graviora. Jure probante ipſis quæſita, ſuperius oſtendimus; cumque levioribus his juribus uti jam deſierint plures Epiſcopi, minus dubitandum ipſa Prælatis inferioribus longo uſu potuiſſe accreſcere, quæ Superioribus temporis lapſu decreverint.

De Viſitatione, de qua ſub finem Honorius, nulla poteſt eſſe controverſia, cùm Jus, ratio & uſus Epiſcopis & Archidiaconis indictam comprobent.

CAPUT X.

Quis ſit Archidiaconis jurium Epiſcopalium uſus legitimus, quâ ratione inducatur, quâ culpâ deſeratur.

NON omnia juriſdictionis Epiſcopalis munia eodem modo ſibi acquirunt Archidiaconi; ſed ut graviora ſunt magiſque ardua, poſſeſſionis tempus extenſius, aliave juris vel hominis adminicula adeſſe oportet.

Si præſcriptione nitantur, videndum an juri communi conſentiat,

an adverſetur. [a] Nam ea cui non repugnat jus commune, robur obtinet, ſi poſſeſſioni 40. annorum adfuerit bona fides, etſi defuerit Titulus. [b] Ea verò quæ jus commune adverſum habet, viget tum demum, cùm quadraginta annorum ſpatium cum bona fide & juſto Titulo fuerit emenſa. [c] Nam unà hæc debent concurrere in Præſcriptione Eccleſiaſtica quæ eſt contra Jus, ut ipſum poſſit infirmare: quamvis aſſerenti ſe bona fide poſſediſſe, onus probandi non incumbat, [d] neque mala Prædeceſſoris fides obſit, cùm in ejus vitium non ſuccedat, uti antea diximus.

At in maximè arduis, quæ olim Epiſcopi abſque Capitulo non poterant explicare; [e] privilegium Papæ neceſſarium, vel ut præſcriptio cum dicta 40. annorum poſſeſſione & bona fide, Epiſcopi conceſſionem, Sententiam arbitri ſeu Judicis, vel denique conventionem aliquam adjunctam habeat.

Niſi iſta ardua exequendi cauſſam Archidiaconis dederit conſuetudo tanti temporis, ut illius initii memoria non exiſtat. [f] Ea etenim & Privilegium inducit, [g] & vim habet conceſſionis, ideoque titulum non poſtulat, ſatis, ſi ſubſit poſſidendi capacitas, quam dignitas Archidiaconatus abundè ſuppeditat.

[h] Sic planè Jure Cæſareo tranſacta finitave intelliguntur, *non ſolùm de quibus controverſia fuit, ſed etiam quæ ſine controverſia ſunt poſſeſſa, ut ſunt Judicio terminata, tranſactione compoſita, longioris temporis ſilentio finita.*

Jam in ipſo juriſdictionis uſu diſpiciendum utrum vel Epiſcopus excludat Archidiaconum, vel Archidiaconus poſſit Epiſcopum excludere; vel eam cum Epiſcopo Archidiaconus exercere jure poſſit. Utique poterit Epiſcopus ſe præſtare in ſervandis ſuis juribus adeo vigilem & ſolertem, ut non modò ea exerceat, ſed & ſubditos inferiori Prælato obedientes mulctâ afficiat, vel ipſum inferiorem lite mota cohibere nitatur. [i] Quo pacto nil inferior è Jure Epiſcopi, præſcriptione poterit delibare; cùm nullus jus ſuum deſeruiſſe Epiſcopum poſſit ſuſpicari, cujus poſſeſſioni adeo ſtudioſè incubuerit. [k] Nam in iis quæ corpore carent præſcribendis, ea quæ dicitur quaſi poſſeſſio, adverſarii patientia ſola ſubſiſtit; quo renitente, præſcriptio non poteſt invaleſcere.

E diverſò, in conſervanda juriſdictione Epiſcopus ſe habere poteſt adeò negligenter, ut neque eam ipſe exerceat, neque exercenti obſiſtat, eoſque qui Inferiori ſe ſubmittunt coërceat: [l] qua certè negligentia, excluſo Epiſcopo, in Inferiorem transferetur juriſdictio: quam deſeruiſſe & veluti à ſe abdicaſſe videtur Epiſcopus. [m] Ita ut Inferiorem qui præſcripſit, non poſſit Epiſcopus prævenire, ſed poſt appellationem de cauſſa cognoſcere; quæ etiam appellatio, ſtante conſuetudine, poteſt omiſſo Epiſcopo, ad Metropolitanum deferri. [n] Et nihilominus quoties Inferior fuerit negligens in exercenda juriſdictione, ſupplere Epiſcopus poterit.

Media quadam via, jurium Epiſcopi uſus procedit, cùm & ea exercet Epiſcopus, & inferiores Prælati eo non repugnante idem factitant:

[a] *cap. illud. & cap. de quarta de præſc.*
[b] *cap. de præſcript. in 6.*
[c] *Panor. cap. fin. de præſcr. nu. 34. cap. gravis de reſt. ſpol. nu. 10.*
[d] *cap. cum Eccleſia Sutrina de cauſ. poſſ. & prop. & ibi Panor. nu. 41. 44. & 47.*
[e] *cap. accedentibus de exceſſ. Prælat. cap. cura de Iure patr. cap. conſentientes de rel. do. cap. cum olim de præſc.*
[f] *Ioan. And. in cap. 1. de præbend. in 6. in Novel.*
[g] *Cap. ſuper quibuſdam de verb. ſignif. & ibi gloſ. in verbo extat.*
[h] *l. Tranſacta & ſeq. de verb. ſignif.*
[i] *Panor. in cap. illud. de præſc. & in cap. auditis eodem.*
[k] *l. quoties ff. de ſervit. cap. cum Eccleſia Sutrina de cauſſ. poſſ. & propr.*
[l] *Innocent. in Cap. cum olim & Panor. in Cap. auditis de præſ. arg. l. & ſi forte §. 1. ff. ſi ſerm. ven.*
[m] *Cap. Romana §. ab Archid. de appel. in 6.*
[n] *Cap. irrefragabili & ibi Panor. de off. ord.*

nam tunc [a] *inſolidum* ſive *accumulativè* (ut dicunt) ad Epiſcopum ; [b] poterunt Inferiores jura Epiſcoporum certo jure præſcribere, ita ut locus ſit præventioni, faciatque Inferioris præventio juriſdictionis gradum, à quo ad Epiſcopum appellatio devolvatur.

[c] Quòd ſi Epiſcopus in curſu præſcriptionis, eâ nondum completâ, poſſeſſionem Inferioris in aliquo articulo interruperit ; in cæteris quæ non impugnaverit, illæſa decurret ; neque ut præſcriptio vigeat, neceſſe erit ipſam juriſdictionis omnia capita complecti, cùm vel unum tantùm, vel duo poſſit attingere, in quibus completa, ad conſimiles articulos neutiquam erit porrigenda, cùm reſtringenda ipſa ſit, tantumque præſcriptum judicandum, quantum poſſeſſum. Non ita de conſuetudine ſentiendum, quæ in commodum publicum non privatum inducta, extenſionis capax eſt, & multiplicis favoris, ut ſupra monuimus ; ideoque acceptior juriſdictio huic innixa.

[d] Porrò certum habe præſcriptioni vel conſuetudini completæ nil actibus ſubſequentibus detrahi ; [e] ſed ſola contraria conſuetudine vel præſcriptione uſum tam altis defixum radicibus poſſe convelli.

[f] At verò non eſt quòd curioſiùs rationes quæramus, quibus Archidiaconorum juriſdictio excreverit, cùm prona & facilis fuerit ad eos juriſdictionis extenſio, inter quos onus partitur Epiſcopus, cuique levando jure ſunt obnoxii Archidiaconi ; eaque cenſenda in commodum publicum inducta, maximè ubi Diœceſes adeò extenſæ, ut operam ſuam in ſingulos Diœceſanos Epiſcopus partiri non poſſit.

[a] *Regulariter datur inferiori accumulativè non privativè ad Epiſcopum. Innocent. in Cap. cum ab Eccleſiarum de off. ord. & in cap. dilecto de exceſſ. præ. C. de perſona 11. q. 1.*
[b] *Cap. Romana de ſe. comp.*
[c] *Cap. cum olim de præſc. Cap. cum contingat de decim. Innocent. in Cap. cum dilectus d. Cap. Mon. Cap. odia. de reg. iur. in 6.*
[d] *Ioan. And. & Speculator de conſuet. l. nemo §. temporalis. ff. de reg. iur.*
[e] *Cap. 1. de reg. iur.*
[f] *Cap. ad hæc de off. Archid.*

Fortaſſe fortiſſimus Imperator hoſtibus ſternendis, Architectonicus faber ædificio erigendo, oculatiſſimus Paſtor procurando gregi par erit ſolus : ſolus ſtertentes hortari, dirimere lites, diſſidia componere, labentem diſciplinam erigere, ſubolfacere crimina, perſequi, ulciſci Epiſcopus poterit. *Unus*, ait Salomon, *quomodo caleſiet ?* (*Eccl. 4.*) Sed ut totus ſit ignitus, num poterit ſolus intenſiſſimi frigoris latè ſparſum rigorem emollire ? Certè id præſtabunt plures commodiùs & utiliùs. At poterat Paſtor adminiſtros ſibi aſciſcere induſtrios, inter quos penſum divideret. Aſcitos cenſebit, quos adjunxit Eccleſia, ad nutum minimè mobiles, qui cogi facilè ad officium poſſent, non amoveri ; ne ſi ex uno penderent omnia, eo ceſſante, diſciplina nutaret. Diviſit Eccleſia penſum ; ipſa probante, uſus adauxit, ut è juris vel conſuetudinis præſcripto, non ex arbitrio unius omnia præſtarentur, ita ut in hac juriſdictionis diſceptatione Eccleſia illud ſolum viſa ſit innuere : *Salus populi ſuprema lex eſto.* (*Cic. lib. 3. de leg.*)

Juriſdictionis Archidiaconorum extenſioni etiam favet Epiſcoporum circa graviora ſtudium indefeſſum : neque enim veriſimile, Epiſcopos magnis addictos, minimis voluiſſe occupari ; ſed verbo Dei & ſacrorum adminiſtrationi intentos, leviora iſta juriſdictionis exterioris negotia inferioribus Hierarchis veluti adminiſtris & vicariam operam præbentibus reliquiſſe. Nam Epiſcopi gregarios homines ad Fidelium contentiones judicio dirimendas, Apoſtoli præcepto

olim conſtitutos noverant. [a] *Sæcularia*, inquit, *judicia ſi habueritis, contemptibiles qui ſunt in Eccleſia, illos conſtituite ad judicandum.*

[a] 1. Ad Cor. 6.

Sed ut nulla ſubſit cauſſa, qua avitus ille juriſdictionis vigeat uſus, certè ipſa conſuetudo (quam Juri vel rationi adverſam nullus unquam comperiet) ſatis in ſe habebit præſidii, ſatis virium, quibus uſui, ex quo ornata eſt & invaluit, durationem ac perpetuitatem rependat.

Viget enim & vivit conſuetudo altrice matre Eccleſia, quæ, docente D. Auguſtino, *per orbem terrarum diffuſa, tribus modis probatur exiſtere. Quidquid enim in ea tenetur, aut autoritas eſt Scripturarum, aut traditio univerſalis, aut certè propria & particularis inſtitutio; ſed autoritate ſola conſtringitur, univerſali traditione nihilominus tota, privatis verò conſtitutionibus & propriis informationibus, unaquaque pro locorum varietate, prout cuique viſum, ſubſiſtit & regitur.*

Conſonat Beatus Fulbertus ſpectatiſſimus ille Epiſcopus Carnotenſis. *Nos*, inquit, *minimè offendit obſervantiæ diverſitas, ubi fidei non ſcinditur unitas. In multis Græcia ab Hiſpania, ab illis Romana & Gallicana diſcrepat Eccleſia. Sed neque in hoc ſcandalizamur, ſi audimus diverſam obſervantiam, ſed non diverſam fidem in Chriſti ſemper Eccleſiis extitiſſe. Stat enim Regina à dextris Regis ſui, in veſtitu deaurato, circumdata varietate*: diſtincta ſcilicet ordinum, rituum, atque conſuetudinum, cùm generalium tum particularium multitudine, quas certè non rejicit, ſi vetuſtas, ſi ratio admiſerit, vel ſaltem non fuerit averſata.

[b] Has denique in Gallia, ſicubi unquam, acceptiſſimas fuiſſe, Pontificem Innocentium III. non latuit, & eo nomine noſtrum in his propugnandis ſtudium gratius atque acceptius Noſtratibus fore confidimus.

[b] *Conſuetudo approbata pro lege ſervatur in partibus Gallicanis. Cap. dilecti 4. de arb.*

Conſuetudinis beneficio uſi ſunt reverendiſſimi Epiſcopi, ut juriſdictionem ſuam ſocietate ſacri Sodalitii Eccleſiæ Cathedralis exemptam aſſererent. Juris enim ſtudioſis non dubium, reverendiſſimos Epiſcopos in Eccleſiæ rebus adminiſtrandis, tractandis negotiis, litibus ſopiendis, puniendis criminibus, ſententiis ferendis, inſtituendis vel deſtituendis Perſonis Eccleſiaſticis, Preſbyterii, ſeu ſacri ſui Senatus aliquando conſilium, aliquando conſenſum prætermittere non potuiſſe [c]: infectum enim quicquid inconſultis vel diſſentientibus Canonicis peregiſſent.

[c] *Tit. de his quæ fiunt à Prælat. ſine conſenſu Capituli.*

[d] Nunc alius rerum ſtatus: praxis enim eſt, ut quantumvis ardua inconſulto Capitulo explicent atque definiant. [e] Quod verò ritè poſſint, effecit canonica conſuetudo, quæ & Jus ſcriptum infirmare, & novum uſum Jure ratum inducere potuit. Quare ſi quid juri ſuo conſuetudine ſit detractum, probare non renuent reverendiſſimi Epiſcopi, qui quod conſuetudine additum eſt, nollent improbare.

[d] *Idem conſ. uſu preſbyt. in eccleſia 16. q. 1.* [e] *cap. 3. de conſuet. in 6.*

Ad ſuperiora illud obſervatu digniſſimum adjiciam, eum ſcilicet qui conſuetudine vel præſcriptione legitima, jura aliqua ſeu hono-

raria iſta ſint, [a] ſeu utilia ſuæ Dignitati vel Beneficio quæſivit, ſi ipſa ejuraverit; vel liti ſuper his motæ ceſſerit, immani ſe ſcelere obſtringere; vel cùm ea ceſſio in damnum alienum redundat, vel cùm res de qua agitur, ex arbitrio cedentis minimè pendet, ſed Superioris alicujus aſſenſum poſtulat. Prius aſſertum notius eſt quàm quòd probatione egeat. Poſterius ex eo probatur, quod Prælatus, ad inſtar tutoris, conditionem ſui Beneficii meliorem facere poſſit; deteriorem facere non poſſit: in his præſertim quæ non ſunt ſui arbitrii, quæque ſolus diſtrahere ſeu alienare non valet. Ipſi enim jurium ejuſmodi tacita ut expreſſa alienatio interdicta eſt.

[a] Arg. cap. ſi diligenti. de fo. comp. l. ius publicum ff. de pactis.

Et ne ex meo ſenſu, non ex Doctorum ſententia, hæc proferre videar, ipſa Panormitani verba ſubjiciam. *Prælatus litigans ſuper juribus Eccleſiæ, non poteſt liti & cauſſæ cedere, ſi cauſſa eſt talis, in qua non habeat liberam diſpoſitionem, ut quia agitur de re quæſita Eccleſiæ; ſicut nec directè poſſet rem in judicio deductam alienare, ſecus ſi ageretur de re in qua Prælatus liberam haberet diſpoſitionem.*

In cap. cum pridem. de pactis nu. 4.

CAPUT XI.

Reliquorum quæ ſunt Archidiaconi Miſcellanea.

PAUCIS multa hoc capite perſtringimus, quæ in hujuſce argumenti tractatione nolumus deſiderari. [b] Hoc primùm jure communi neminem ante ætatis 24. annum emenſum, Archidiaconum eſſe poſſe: quamvis ſi nulla Cura animarum immineat, Epiſcopus poſſit cum eo diſpenſare qui 20 annum compleverit: ſed non ubi viget uſuque receptum Synodi Trid [c] Decretum, quo non minores 22. annis ad Dignitates & Perſonatus, quibus animarum cura nulla ſubeſt, aſciſcuntur. [d] Curæ aſtrictum Archidiaconum 24. annum expleviſſe, ſeu 25. attigiſſe veteri novoque [e] Jure oportet.

[f] Ordo Diaconatus in Archidiacono requiritur, ad quem niſi intra annum, juſto impedimento ceſſante, fuerit promotus, monitus dignitatis gradu pellendus eſt. [g] Interim ſi præbenda potiatur, ſuffragio ſeu voce in Capitulo, mediaque diſtributionum parte privandus. Non tamen latæ ſententiæ pœnam, [h] *cap. licet Canon*, incurrit, qui intra annum non fuerit promotus, cùm in eo de Parochiali agatur, qua non includitur Archidiaconatus, etſi curæ exterioris fori exercitium haberet adjunctum.

[b] d. Cap. 1. de ætat. & qual. ord. in 6.

[c] Cap. 12. de reform. ſeſſ 24.

[d] Cap. cum in cunct. §. inferiora de elect.

[e] Concil. Trid. eod.

[f] d. Cap. cum in cunctis §. inferiora de elect.

[g] Clem. ut ij. de ætat. & qual. in Clem. quam innovat Concil. Trid. ſeſſ. 22. cap. 4. de reform.

[h] De elect. in 6.

Scientia in Archidiacono ea requiritur, quæ ſufficiat ad obeundum ſuum munus. Celeberrimi Doctores, Pontificii Juris ſcientiâ excultum volunt. Quorum ſententiam probans [i] Concilii Tridentini Decretum, ſtatuit ut Archidiaconi in omnibus Eccleſiis, quoad fieri poſſet, Magiſtri eſſent in Theologia, ſeu Doctores aut Licentiati in Jure Canonico. Quod de Archidiaconis quibus juriſdictionis exercendæ cura incumberet, intellexit Sacra Congregatio. [k] Qui enim verè cura animarum & omni prorſus juriſdictione carerent, hoc Decreto

[i] Seſſ. 24. c. 12.

[k] In declarat. cum Concilii texto impreſſis, ad eius cap. 12. ſeſſ. 24.

creto quantum ad Minervales iſtos gradus minimè includi declaravit.

Archidiaconus etſi à Cura immunis, aliud Beneficium ſimile, ſeu aliam Dignitatem vel Perſonatum in eadem Eccleſia conſequi non poteſt: diſſimile poterit, modò ſit Canonicatus, & conſuetudo non repugnet; non verò aliud ſimplex. [a] Nullibi verò abſque diſpenſatione aliud Beneficium quod curam habeat animarum, ſeu Dignitas, ſeu Perſonatus vel Officium illud ſit, ſeu reſidentiam requirat, quamvis de [b] Parochiali Eccleſia, ubi non recepta Extravagans *execrabilis*, nonnulli Jure non eſſe cautum incautè aſſerant.

Reſidentiæ obnoxius Archidiaconus; ille maximè, qui juriſdictione potitur. Eccleſiis enim quarum ipſi tradita cura, jure naturæ adeſſe adſtringitur, non ſecus quàm Nauclerus navi, exercitui Dux, Præſes provinciæ quam regendam accepit. Reſidet, ſi adſit Cathedrali Eccleſiæ, vel maneat in Archidiaconatu, quantùm ſalvo honore Cathedralis Eccleſiæ poteſt, vel quandiu res exigit Eccleſiaſtica. Cui ſi procurandæ abſque fraude inſtiterit, etſi abſens, præbendæ fructus lucrabitur, neque ipſa diaria ſeu diſtributiones quas præſentes choro percipiunt, amittet. Sic enim è mente Juris declaravit ſacra Cardinalium Congregatio.

[c] Archidiaconus non reſidens, Parochis & aliis fori interioris curam gerentibus miniméque reſidentibus, pœnam à Concilio indictam non incurrit; tum quòd ipſa munia à Concilio expreſſa, quibus reſidentes vult inſiſtere, eorum ſunt maximè, quibus eſt juriſdictio interior, neque ex his nonnulla, etſi vellet, poſſet explere Archidiaconus: [d] tum quòd Concilio alia pœna ſtatuta in eos qui fori interioris, alia in eos qui exterioris curam exercent. Certum tamen Archidiaconos Conſtitutione Pii IV. ſuper reſidentia Paſtorum edita comprehendi.

[e] Viſitationi Eccleſiarum quotannis, imò quoties opus fuerit, non cæca ſpeculatione, ſed emiſſitiis oculis, Archidiacono incumbendum: idque (ſi ſatis Juris mentem fuerit aſſequutus) antequam viſitet Epiſcopus, cujus eſt ſupremam manum inceptis apponere.

Parochi ſumptu, quantum fieri poterit, exonerandi. Procurationes (viſitatione non impenſa) ne Suſpenſio ipſo facto contrahatur, minimè recipiendæ.

Si juriſdictionis fuerit compos Archidiaconus, in notorios peccatores animadvertet, inquiret in delatos, vel infamiâ aſperſos; quæ de plano poterit, diffiniet: quæ longioris erunt indaginis, ad judicem amandabit.

Si juriſdictionis expers, inquiret ſaltem, & ad Superiorem quæ deprehenderit, deferet. Ea quæ ſcandalum, peccati ſtatum, vel periculum peccandi implicare agnoverit, abſque operæ conceſſatione urgebit, & in meliorem ſtatum Superioris ſuâque operâ reſtituet.

[f] Peritiam eorum quæ in viſitatione præſtanda ſunt, lectione & peritorum uſu aſſequetur.

[a] *cap. dudum 2. de elect. cap. de multa de præb. ubi Doctores gl. in cap. gratia de reſcr. in 6.*

[b] *de præb. & dig. in extrav. com.*

[c] *ſeſſ. 23. cap. 1.*

[d] *ſeſſ. 23. cap. 1. ſeſſ. 24. cap. 12.*

[e] *cap. mandamus de off. Archid.*

Concil. Trid.

[f] *Fortè poterit eſſe uſui libellus de Viſitatione à nobis conſcriptus.*

a cap. procurationis. de cenſibus.

Viſitationis denique officium exercens, a *non quæret quæ ſua ſunt; ſed quæ Jeſu Chriſti: prædicationi, cohortationi, correctioni, reformationi quantum poterit vacando, ut fructum referat qui non perit.*

CAPUT XII.

Ad Archidiaconos, ut ſedulò muneri ſuſcep'o incumbant.

SED ne fruſtra, ſpectabiles Archidiaconi, de nomine & officio noſtro ſuſcepta videatur iſta diſputatio, expendamus, obſecro, quid nominis, quid officii ratio à nob s exigat; ne ſi nomen vacuum & veluti imaginarium gradum retinuerimus, neglecti, imò deſerti Officii ſeriùs nos pœniteat. Chriſti Domini atque Eccleſiæ illius Sponſæ miniſterium nobiliſſimum ſortiti, caveamus ne ſcelere ullo noſtro dedecoretur, ullâve oſcitantiâ negligatur. *Servus fidelis & prudens conſtitutus ſupra domini familiam, ut ei tritici menſuram in tempore tribuat, ſuper omnia domini bona conſtituitur.* (Mat. 24.) Eia, præſtemus nos fideles, ut Deo, proximo & nobis ipſis noſtræ operæ bene collocatæ conſtet ratio. Prudentes ſimus, ut tempeſtivè & utiliter omnia peragentes, nec fallere velle, nec falli poſſe videamur. Quid oculi Epiſcoporum dicimur, ſi quæ videnda ſunt oculis conniventibus, aut terrenorum humore caligantibus & ſuffuſis conſpexerimus? *Si oculus ſimplex fuerit, totum corpus lucidum erit.* (Luc. 11.) Utique ſi purus Dei cultus, ſi merum Eccleſiæ ſubſidium, non vanæ laudis albugo, non turpis lucri lippitudo nos ad officium permoverit, totum Eccleſiæ corpus lucidum erit, noſtroque exemplo ſplendeſcet; & ſi quæ membris peccati extiterit obſcuritas, noſtrâ operâ evaneſcet. *Sed ſi lumen quod in nobis eſt, tenebræ ſunt, tenebræ ipſæ quantæ erunt?* (Mat. 5.) Si cæci cæcis præſtiterimus ducatum, quæ utriſque inferiorum foveæ vitandæ ſpes reliqua? Num peccatorum tendiculis involutos explicabit, *qui laqueus ſpeculationi, qui rete expanſum ſuper Tabor evaſerit?* (Ozee. 5.) Quæ ſervandi Chriſti exercitus ratio, ſi ſpeculator fiat proditor, & miles deſertis ſignis ad Satanæ caſtra impiè transfugerit? Cogitate, obſecro, in hierarchia ſeu ſacro Eccleſiæ principatu, ſacrorum Operarios tantùm numerari iniquitatis nullos, nulloſve ceſſatores: operationem noſtram definitam, errore vel ſcelere immundis verbo Dei purgandis, & ita præparandis, ut gratiæ lumine ſacerdotum opera poſſint illuſtrari. Hanc in hominibus purgationem inferiores cœleſtes hierarchæ promovent; Angeli videlicet, *adminiſtratorii illi Spiritus, propter eos qui hereditatem capiunt ſalutis, in miniſterium miſſi.* Ita ut nobis cum Angelis, quæ Dei in nos magna honoris dignatio eſt, ejuſdem circa homines operationis ac miniſterii intercedat communio. At quæ ordinis inverſio, ſi quos pro viribus ſuique numeris ratione cæteros præſtare mundos oportuit, voluptatum cœnò volutari non pudeat, illudque audire à protervis, *ab immundo quis mundabitur?* Horrendum eſſet dæmonibus nos ſubjici, quos noſtri

Exorciſtæ ejiciunt; non poſſe nos excludere, quos ipſi à cæteris expellunt: indignum, durum eorum imperium ferre, quibus noſtri adminiſtri imperant. Inanis equidem ritus, quo Aquiloni oppoſiti, ſtantes Evangelium pronunciamus, niſi contra eum qui *ſtat in partibus Aquilonis*, in illius caſtris fortiter dimicemus, *qui Diaboli opera venit diſſolvere*. Chriſtum, obſecro, Miniſtros ſuos alloquentem audiamus nos, qui Miniſtri ejus ſumus & dicimur. *Qui mihi miniſtrat*, ait, *me ſequatur. In medio veſtrûm ſum ſicut qui miniſtrat. Non veni miniſtrari, ſed miniſtrare, & dare animam in redemptionem pro multis. Non eſt ſervus major domino ſuo: qui major in vobis, fiat ſicut minor; & qui præceſſor, ſicut miniſtrator.* Numquam in eum Diaconi ſive Miniſtri nomen verè quadrabit, qui miniſterio non incubuerit; *præeundo quippe, judicando, conſulendo, Prætores, Judices, Conſules appellantur*: neque qui miniſtrat, niſi in miniſtrando Dei & Eccleſiæ, ſe miniſtrum verè profiteri poterit. Miniſtrorum quidem improborum & inutilium turba Eccleſiæ eſt oneri, non honori; non ſubſidio, ſed detrimento; luctui, non ſolatio: eaque non ſolos deſertores averſatur & transfugas, ſed & ſtertentes ac otioſos; qui talentum ſibi creditum abſcondunt, non augent. Execratur Dominus *ſervum inutilem, quem ligatis manibus & pedibus in tenebras exteriores, ubi fletus & ſtridor dentium, jubet projici.* Diaconum in ſiniſtro humero geſtare Orarium vult Eccleſia, [a] *dexteram autem partem habere liberam, ut expeditius ad miniſterium ſacerdotale recurrat*: eoque ritu nos, vel ſilenter edocet: veternum excutiendum, incumbendum officio, diſciplinæ ſarciendæ invigilandum, idque non ſegniter, ſed ſtudioſè & continenter præſtandum: [b] *Egeſtatem enim operata eſt manus remiſſa; manus autem fortium divitias parat.* Veras certè & perennes miniſter ille comparabit, qui cœnum latratus, ſalebras aſpernatus, per obſtantia quælibet inoffenſo pede Chriſtum Dominum ſequutus fuerit. Nam emenſo hujus vitæ curriculo, ipſum aſſequetur, æternumque beatus audiet: [c] *Euge ſerve bone & fidelis, quia ſupra pauca fuiſti fidelis, ſupra multa te conſtituam: intra in gaudium Domini tui.*

1. Ioan. 3.
Ioan. 12.
Mat. 20.
Mat. 20.
Luc. 22.
Cic 3. de legibus.

a c. Unum orarium 15. di. ex 4. Concil. Toletano ubi glo. ad verb. ſiniſtro humero. Hoc ideo, ut ostendatur quod debet tranſire de læva ad dexteram: id eſt, de temporalibus ad ſpiritualia, & hoc oſtenditur, cum circumflectitur poſtea verſus dexteram.
b Prov. 10.
c Mat. 25.

Finis libri de Iure & Officio Archidiaconi.

Digitized by Google

INDEX CAPITUM
Tractatus de Abſolutione ad Cautelam.

Cap. I. Q*VID ſit Cautela.*
Cap. II. *Quid ſit abſolutio ad cautelam.*
Cap. III. *Vnde introducta ſit abſolutio ad cautelam.*
Cap. IV. *Quibus in caſibus locum habeat abſolutio ad cautelam.*
Cap. V. *Quis finis, qui ſint effectus abſolutionis ad cautelam.*
Cap. VI. *A quo abſolutio ad cautelam peti debeat.*
Cap. VII. *Quæ ſit forma abſolutionis ad cautelam.*
Cap. VIII. *An abſolutio ad cautelam poſſit impediri.*

TRACTATUS
DE ABSOLUTIONE
AD CAUTELAM,

Autore J. Tournet Advocato Pariſienſi.

ILLUSTRISSIMO
AC REVERENDISSIMO DOMINO D.
FRANCISCO,
ROTOMAGENSI ARCHIEPISCOPO,
NORMANIÆ PRIMATI,

S. D.

Fama eſt, Reverendissime Antistes, ſæpe contigiſſe, ex complurimis ardua montium celſiſſimorum, Alpium fortè vel Pyrenes anhelanti aſcenſu ſcandentibus, ut unus lapillum è loco vertici viciniori in profundiſſimi præcipitii declivia projiceret, quo ſtatim in ima vergente, fuiſſe luculentam imbrium nubem ſolutam, quæ magno impetu cum fragore & repentino profluvio deorſum delaberetur. Idem propè mihi nudiuſtertius ſplendidiſſimæ tuæ menſæ accumbenti, nec tam exquiſitis epulis & non eſurientes ad carpendum invitantibus intentò, quàm urbanis & perdoctis ſermonibus tuis attento eveniſſe comperi. Cùm enim pleraque de cenſuris Eccleſiaſticis coram Pontificii Juris peritiſſimis Canonicis Bretevilleo Rotomagi Officiali tuo, eodemque vigilantiſſimo & prudentiſſimo Cleri Gallici Syndico, atque Acaria Pontiſaræ Vicario quoque tuo, egregiè, ut moris eſt

tui, differeres, tum excidit mihi Abſolutionis ad cautelam mentio : ad quam voculam tanta repentè dicendi ſe tibi ſeges obtulit, ut etiam ſublatis menſis facundiſſima & nivibus hybernis uberior tua vix quieſcere potuerit oratio ; ad cujus ſplendorem cùm tanquam ad Solis jubar mens cogitatioque caligare videretur mea, obſtupefacto ſimilis, & trepidante veſtigio à conſpectu tuo diſceſſi : donec ad me reverſus, & eandem quæſtionem à quibuſdam Juris Canonici Interpretibus agitatam & pertractatam recordatus, pauliſper confirmari cœpi, manumque calamo admovi, ut breviter id quod non tam de novo protuli, quàm quod de tua ampliſſima diſputatione excipere potui, hujuſmodi epularum avidis reliquiarum inſtar objicerem. Debueram tuæ in me benevolentiæ, meæque in te obſervantiæ locupletius edere teſtimonium, ſed tamen ingenuorum debitorum, & in quantum facere poſſunt pro tempore contendentium, exemplo, hunc perbrevem Tractatum, quo tibi animo porrigo, accipias rogo, ſi per tempus & negotia licuerit toto ex aſſe ſperans me tibi ſatisfacturum. Vale.

Reverentiæ tuæ addictiſſimus
J. TOURNET *Adv. Par.*

TRACTATUS
DE ABSOLUTIONE AD CAUTELAM.

CAPUT I.

Quid ſit Cautela.

CAUTELA, ut cautio, vox eſt Juriſconſultorum propria, quorum conſilio unicuique cavetur ut ſecuritati ſuæ provideat. Juſtinianus in *L. Sancimus* 3. *C. de Verb. & rer. ſignific.* definit cautionem ἀσφάλειαν, id eſt ſecuritatem, quæ generali nomine vocatur. Satiſdatiò, ſpeciali Fidejuſſio; quòd in Jure ita frequens eſt. ut ubique & paſſim occurrat. Cùm verò homines contendant, aut ſuper civili, aut ſuper criminali controverſia, inde fit ut cautio variè conſtituatur: in civili cauſa qui cavet, dicitur *Præs*, id eſt qui præſto eſt paratuſque ad prædia pignori opponenda, hinc *prædiis* & *prædibus* cavere veteri formula: qui verò in criminali judicio cavebat, *Vas* dicebatur. Auſonius utrumque in monoſyllabis deſcribit:

Quis ſubit in litem capitali judicio? Vas.
Quis cùm lis fuerit nummaria quis dabitur? Præs.

Ex quo colligitur cautionem reſpicere tempus futurum & in eventum aliquem qui incertus eſt dari, quaſi quædam ſit proviſione tempore res pereat: qui enim in præſentia ſatisfacere poteſt, non opus habet gravari cautione. Res enim ipſa cautione eſt ſecurior, quæ plerumque fragilis eſt, juxta illud Comici in Aſinaria:

Semper oculata noſtræ ſunt manus, credunt quod vident.
Vetus eſt, nihili cautio eſt.

Hinc ab Ulpiano dicitur, rem cautione potiorem eſſe, *L. Suſpectus* 5. *ff. de ſuſp. tut. & curat.* & à Paulo fragilitas cautionis dicitur, *L. Qui ita inſtitutus* 66. §. 2. *ff. ad Sc. Treb.* & ab eodem incertus cautionis eventus, *L. pupilli* 6. *ff. quod falſ. tut. aut.* An autem ſit Cautela idem quòd Cautio, poſſet quodammodo dubitari, cùm in malam partem plerumque Cautela uſurpetur, & pro deceptione videatur accipi Longè autem aliud eſt cavere, & aliud decipere, ut etiam cautio plurimùm differt à deceptione. Et forſan eorum nimia ſubtilitate contigit, qui fraudes formularum aucupiis nectebant, ut cautela cœperit haberi pro ſuſpecta & fraudulenta proviſione: cùm tamen Gallus Aquilius, qui cautionum formulas plurimas edidit, nunquam Juris Civilis rationem ab æquitate ſejunxerit, ut Cicero ipſe teſtatur in *orat. pro Cacinna.* Imò & Cautela apud Juris Autores pro cautione ſumitur. Duobus certè in locis hanc vocem in ea ſignificatione poni invenio, prior eſt Caii in *L. ſi defunctus* 15. *in fine ff. de procur. Qui ad communi dividundo judicium datus eſt ad agendum, item & ad defendendum videbitur datus, duplici cautela interponenda.* Alter eſt Pomponii *L. quamvis convenerit*, 6. *ff. de Pignor. act. prius idonea cauteia à debitore pro indemnitate ei præſtanda.* Sic eo ſenſu à Canoniſtis cautela pro cautione intelligenda eſt uſurpari, quòd caveatur tam excommunicato quàm parti litiganti: & aliis ſic multis in locis abſolutionis ad cautelam fit mentio, *cap. Cum deſideres cap. per tuas, cap. ſacro, cap. venerabili de ſentent. excommunic. apud Gregorium, cap. Apoſtolicæ de except. apud eundem, cap. veniens de teſtib. cap. ad præſentiam de appellat.* & in tribus Conſtitutionibus Innocentianis, *Cap. ſolet, cap. præſenti, cap. venerabilibus de ſentent. excommunic. in 6.* & aliis pleriſque locis.

CAPUT II.

Quid ſit abſolutio ad cautelam.

ABSOLUTIO ad cautelam poteſt ſic utcumque definiri. Abſolutio de facto, cùm excommunicatio non tenet de jure: quæ definitio eſt Alexandri III. in *cap. ad præſentium de appellationib. apud Greg.* ad hæc verba, *Licet non eſſet excommunicatus de jure, de facto tamen fecerunt eum abſolvi.* Itaque de facto abſolvere, & ad cautelam abſolvere idem ſunt. Vocatur etiam relaxatio ad cautelam, *dicto cap. ad præſentiam de appellat. & cap. venerabilibus de ſentent. excommunic. in 6.* Dicitur abſolutio de facto, nimirum propter cautelam vel cautionem quam tenetur dare abſolutus de ſiſtendo judicio, & parendo ſententiæ Epiſcopi vel alterius excommunicatoris: & iſta cautio eſt juratoria, *cap. ad reprimendum de Off. ordin.* quod eſt Innocentii III. ad Rotomagenſem Archiepiſcopum & ejus Suffraganeos, *cap. cùm deſideres ibidem*: & vocatur etiam fidejuſſoria, *cap. ſi clericos* §. *eoſdem de ſentent. excom. in 6.* & aliquando loco ſacramenti

fit

ſit tantùm manualis promiſſio, *cap. ſuper eo de ſent. excomm. apud Gregor.* & illa eſt forma vel conſuetudo Eccleſiæ: ideoque de facto exigitur, *cap. venerabilibus §. ſed ſi ex cauſa de ſent. excomm. in 6. cap. cùm contingat de off. & pot. jud. delegat. in antiquis.* Unde apparet ſententiam abſolutionis ad cautelam eſſe proviſoriam, & ſuſpendere quodammodo effectum excommunicationis. Quæ ſi poſt abſolutionem injuſta videbitur, ipſe excommunicator tenebitur excommunicato ad omne intereſſe, *cap. ſacro de ſentent. excomm.* ſin juſta probata fuerit, excommunicatus viciſſim tenebitur ad intereſſe excommunicatori, *ibid.* Præterea de facto etiam eſt talis abſolutio, quia eſt de gratia quæ facti eſt, non juris: undè dicitur in *cap. cùm contingat §. in ea verò: nihilominus eſſet ei abſolutio impendenda humiliter poſtulanti.* Et hoc tenent Interpretes Juris Canonici ſecundùm Rebuffum in *additionib. ad Regulas Cancellariæ regul. 60. de Indulgentiis.* Imò dicitur præter jus, vel ſupra jus: ſi enim eſſet de jure, deberet cauſæ cognitio in judicium deduci, ut conſtaret de veritate cauſæ appellationis, antequam daretur abſolutio ad cautelam, *dicto cap. cùm contingat de off. deleg.* & ſic contra rationem juris & de gratia ſpeciali ſunt introductæ Decretales, *ſolet, & per tuas de Sent. excomm. in 6.* Eadem abſolutio ad cautelam locum etiam habet in ſententia ſuſpenſionis, *dicto cap. Apoſtolica de exception. cap. venerabil. de Sent. excomm.* ſed in ſententia interdicti generalis non admittitur, *cap. præſenti de Sent. excomm. in 6.*

Denique dicitur ad cautelam pluribus de cauſis: vel quòd caveatur excommunicato, ne videlicet illius acta prætextu excommunicationis irrita dici poſſint; quæ ſi veritas appareret, facilè reſcindi poſſent: vel quòd caveatur etiam aliis perſonis, ut ſine ſcrupulo cum abſoluto poſſint communicare, converſari & participare: vel ut amplius caveatur parti contra excommunicatum litiganti, ut poſt abſolutionem liceat cum eo negotium gerere, *cap. ſolet de Sentent. excomm. in 6. & dicto cap. per tuas.* Sed meliùs Gloſſa *dicti cap. ad præſentiam, & cap. ſignificaſti 1. de Homicidio, apud Gregor.* exiſtimat dici abſolutionem ad cautelam; quòd ſcilicet quamvis excommunicatio nulla eſſe aſſeratur, tamen ad omnem ambiguitatem tollendam, & ad majorem cautionem excommunicati, ut tutiori loco ſit illius conſcientia, talis abſolutio poſtuletur, ſi fortè aliquatenus eâ opus eſſet: & in omnem eventum, ſi nimirum excommunicatio quæ injuſta dicitur, tandem à judice juſta reperiatur: qua forma dicitur quoque pœnitentia ad cautelam *dicto cap. ſignificaſti, & ſequenti*: cùm dubitatur an culpa contracta ſit, & pœnitentiâ ſit opus, ut in homicidio caſuali, & ſimilibus.

CAPUT III.

Vnde introducta ſit Abſolutio ad cautelam.

ECCLESIA, ut charitatis & veri amoris officina, ſuorum utilitati & ſaluti ſemper invigilat, & tum maximè conſulit, cùm lædere incautorum & imprudentium opinione videtur. Nam cùm vulnus infligere cenſetur, tunc ſanat; cùm necare, tunc ad vitam revocat; cùm dedecus adferre, tunc dignitatem auget. Ideo excommunicatio, quæ gladius & fulmen vocatur, nunquam eſt mortalis & noxia, niſi quando contemnitur, *cap. 1. de Sentent. excommunicat. in 6.* Contra, ut ibidem dicitur, eſt ſui naturâ & intentione Eccleſiæ medicinalis, diſciplinans, non eradicans. Itaque cautè providere Judex Eccleſiaſticus debet, ut in ea ferenda oſtendat ſe proſequi quod corrigentis fuerit & medentis; ut ſcilicet qui ita punitur pro temporali aliqua pœna, ſalutem conſequatur in die Domini, *Can. Audi* 11. *q.* 3. Hinc illud eſt D. Ambroſii *lib.* 2. *de Officiis cap.* 27. *Epiſcopi affectus boni eſt ſanare infirmos, ſerpentia auferre ulcera, aliqua adurere, non abſcindere; denique quod ſanari non poteſt, cum dolore amputare.*

Cùm verò probitas rubore provocetur, ob id medicinalis dicitur excommunicatio ratione effectus, quòd nimirum excommunicati plerumque rubore perfuſi ſe à fidelium conſortio videntes excluſos, reſipiſcant, & ad bonam frugem redeant, *Can. multis* 11. *q.* 1. Inde veriſimile eſt Eccleſiæ mentem eſſe, ut nemini ſalutis comparandæ via occludatur, ſed quovis tempore miſericordiæ & indulgentiæ feneſtram aperiat, & quemvis etiam ſacris & communione Sanctorum interdictum admittat & amplectatur, modò humiliter remedium animæ ægrotantis, vel anathematis mucrone ſauciatæ poſtulet, & collum Eccleſiæ parenti ſubmittat; ut omnino poſtquam plenè ſatisfecerit, abſolvatur, vel ſaltem ad tempus vel ad cautelam abſolutionem impetret. Hæc enim cautela vel cautio tam in favorem ipſius excommunicati, quàm cæterorum gratiâ exigitur, ut paulatim incipiat ſe judicio Eccleſiæ ſubjicere, qui videbatur illam irritaviſſe; vel innocens pronuncietur, ſi ſententia in illum lata non teneat: idque videmus à Jure Civili non eſſe alienum; cùm nunciatio nulla Prætoris partes in prohibendo ceſſare faciat, *L. unic. ff. de Remiſſionib. argumento L.* 2. *c. de Ingenuis manu.* & quod in *dicta L. unica*, dicitur remiſſionem fieri à Prætore nuntiationis, quæ non tenet, quamdam videtur habere affinitatem cum eo quod in Jure Canonico dicitur, relaxationem fieri quando non tenet excommunicatio; non aliter quàm cùm vicinus nuntiavit novum opus, & hæc nuntiatio non valet, remittit vel miſſum facit Prætor.

Cùm igitur omnis excommunicatio in eum finem fulminetur, ut errati & delicti veniam petat cenſurâ notatus, atque ut ſe reconciliet

Digitized by Google

Eccleſiæ matri piiſſimæ; danda eſt opera, ut quoties abſolvi deſiderat excommunicatus, audiatur, præſertim cùm habet aliquam juſtam cauſam ſententiæ contra ſe latæ impugnandæ, ut donec pleniùs de ea ſit cognitum, in omnem eventum vel ad cautelam abſolvatur. Sic plerumque dabatur tempus excommunicatis, intra quod ſatisfacere præcepto Eccleſiæ debebant, quo facto ſoluti erant vinculo cenſuræ. Id autem licet ex *Canonibus Apoſtolorum* colligere *cap.* 35. *Quicumque Epiſcopus curam ſibi commiſſam non ſuſceperit, à communione ſejunctus eſto donec ſuſceperit*, ἕως ἀνκαδέξηται. *Quod ſi non ſua voluntate, ſed populi malitia diſcedere fuerit coactus, maneat Epiſcopus.* Hîc enim in ſuſpenſo eſt excommunicatio, donec ſatisfecerit, ut in cautela, interim dum examinabitur utrum juſtè an injuſtè fuerit excommunicatus. Præterea & in Sardicenſi Concilio *cap.* 14. *vel* 17. apud Gratianum, *Can. ſi Epiſcopus fortè iracundus. Si quis innocens ab Epiſcopo fortè iracundo à communione expellatur & excommunicetur, providendum eſt ne innocens damnetur aut perdat communionem*, προνοητέον δὲ μὴ ἀθῶον τὸν πιστὸν καταχρίνεσθαι, καὶ τῆς κοινωνίας ἀποστερεῖσθαι. Præterea ſi qua alia ratio clara & manifeſta appareat, qua ſententia injuſta, vel nulla, vel poſt appellationem interpoſitam lata arguatur, certum eſt iis caſibus abſolutioni ad cautelam locum eſſe; & ideo cùm talis ſententia non liget, excommunicatum interim relaxandum eſſe, *cap. ſolet, cap. venerabilibus de ſentent. excommunic. in* 6. aliiſque ſuprà citatis.

CAPUT IV.

Quibus in caſibus locum habeat Abſolutio ad cautelam.

EXCOMMUNICATIO multipliciter dividitur, ac potiſſimum duplex ejus adfertur diviſio; prior eſt, quòd omnis excommunicatio aut jure ipſo, aut ab homine feratur, *cap. religioſo, cap. eos qui, cap. cùm quis de ſentent. excommun. in* 6. Quæ fertur à canone, dicicitur ſententia Juris: quia vi ac poteſtate Juris ſive canonis abſque hominis vel Judicis alicujus miniſterio infertur: & tunc cum jure producitur ſententia, dicitur *Canon latæ ſententiæ*, ſicque vocatur *cap.* 2. *de præſcript. in* 6. Notandum tamen eſt ipſo jure vel facto incurrere ſententiam excommunicationis idem eſſe, *cap. quia periculoſum de ſentent. excommun. in* 6. Cùm verò infertur ſententia à Judice, dicitur *Canon ferendæ ſententiæ*, eodem ferè modo quo in Civili Jure id quod ipſo jure fieri dicitur, opponitur ei quod fit per officium Prætoris, id eſt ope vel miniſterio Magiſtratus, *L.* 1. *ff. quod falſo tutor. aut. L.* 1. *ff. quib. mod. uſusfr. amitt.*

Altera eſt diviſio excommunicationis, nempe cùm una major dicatur, altera minor: illa eſt ſeparatio hominis Chriſtiani à communione fidelium, & à corpore Chriſti, id eſt Eccleſia, *Can. Angeltrudam* 111. *q.* 4. Minor eſt ſeparatio à participatione Sacramentorum

tantùm : utraque ligat, & animam potiſſimum afficit. Itaque cùm quis vel à canone ſive ipſo jure, vel ab homine aut Judice ſcilicet Eccleſiaſtico, vinculo excommunicationis ſe innodatum eſſe dubitat, poſtulare poteſt per Judicem competentem ſe abſolvi ad cautelam. *dicto cap. ſolet eod.* Nam aut excommunicatio tenet, id eſt ritè lata eſt, etiamſi parum juſta : aut non tenet, hoc eſt nulla eſt. Si tenet ſententia, opus eſt abſolutione : ſi non tenet, abſolutio non eſt neceſſaria, ſed declaratio tantùm nullitatis, & excommunicatus non eſt abſolvendus cùm verè non ſit ligatus, ſed declarandus eſt non ligatus, *cap. cùm contingat de off. deleg. apud Gregor.* Primo caſu quando tenet excommunicatio, ſi excommunicatus appellet, ad ſuum excommunicatorem debet remitti, neque abſolvi ab eo ad quem appellavit, niſi urgente neceſſitate periculum ſit in mora, vel in ipſo mortis articulo à quolibet Preſbytero, *cap. eos qui de ſent. excomm. in 6.* vel cùm Epiſcopus qui excommunicavit, malitioſè differt abſolutionem, *dicto cap. per tuas & cap. venerabilibus.* At ſecundo caſu cùm excommunicatio non tenet, quamvis non ſit neceſſaria abſolutio, & excommunicatus poſſit ſtare in judicio, *dicto cap. per tuas* ; tamen ut plurimùm abſolutio poſtulatur, quæ dicitur ad cautelam, *dicto cap. ſolet.*

Ubicumque ergo excommunicatio nulla eſt, vel dubitatur an juſta ſit, vel ubi periculum eſt in mora, ut in *cap. ſacro, apud Greg. de Sent. excomm.* vel ſi adſit periculum mortis, *dicto cap. eos qui in 6.* vel cùm excommunicatio lata fuit poſt appellationem legitimè interpoſitam ; vel ſi ſententia contineat manifeſtum in ſe errorem : quod explicatur in *cap. venerabilibus §. penult. de Sent. excomm. in 6.* Eſt enim manifeſtus error & intolerabilis, cùm aliquid iniquum ſub vi præcepti vel mandati in ſententia apertè continetur ; veluti ſi excommunicatus aliquis fuerit ab Epiſcopo, quòd pauperi eleemoſynam erogaret, vel aliquod opus aliud non culpandum faceret, vel quòd juſſum aliquod injuſtum & prohibitum non exequutus fuiſſet ; iis caſibus Archiepiſcopus ad cautelam abſolvere poteſt. Denique ex quacumque cauſa nulla ſit ſententia, datur abſolutio ad cautelam.

Quæ verò ſententia dicatur nulla, explicat diſtinctè Gloſſa in *cap. præſenti de Sent. excomm. in 6.* ubi duodecim caſus enumerat, quibus nulla dicitur ſententia : ſed illi ſunt præcipui, ſi poſt appellationem, ſi à non Judice, *cap. ad audientiam 3. de Conſuet. apud Gregor.* ſi ab excommunicato, *Can. audivimus* XXIV. *q.* I. ſi à Delegato contra delegantis intentionem, *cap. ult. de Præb. in 6.* ſi contra privilegii tenorem, *cap. cum capella de Privileg. in 6.* & ut dictum eſt, ſi manifeſtum & intolerabilem contineat errorem, *dicto cap. venerabilibus.* Sed caſus ille eſt ſingularis, quo aliquis abſolvitur ad cautelam, quando opponitur illi excommunicatio, ut actus neceſſarius & qui ſine excommunicato nequit expediri, pereat & ad nihilum redigatur, repellendo illum ab agendo : tunc abſolvendus eſt ad cautelam & ad effectum, ut agere poſſit, quod notatur in *dicto cap. veniens de teſtib. apud Greg. circa finem*, ubi audiuntur Canonici excommunicati, ut

probentur per eos quæ facta fuerant in Capitulo, cùm nulla aliunde emergere poſſet probatio; & idcirco mandatur à ſummo Pontifice Abbatibus de Novofonte & Caſæ Dei, ut eos abſolvant ad cautelam. Vult tamen Rebuffus dicto loco peti abſolutionem ab ipſo à quo lata excommunicatio dicitur, *arg. cap. Apoſtolicæ de Cleric. excomm. vel depoſ. miniſtr. apud Gregor.*

Ut autem abſolutio ad cautelam locum habet in caſibus ſuprà dictis; ſic certum eſt eam locum non habere in ſententiam Interdicti in aliqua loca generaliter lata: quamvis in excommunicatione & ſuſpenſione ſoleat dari, ut *cap. ſolet* ſuprà dictum eſt, & in *cap. Apoſtolicæ de Except. cap. venerabili, apud Greg.* & redditur ratio ab Interpretibus, quod cùm excommunicatio ſit durior & periculoſior interdicto, idcirco præſenti remedio excommunicatis eſt ſubveniendum: vel quòd cùm abſolutio ad cautelam non detur niſi præſtita juratoria cautione, ut dictum eſt, & ut plurimum interdictum propter Principis aut dominī temporalis culpam interponatur; iniquum eſſet ſi innocentes qui talem peterent abſolutionem, cogerentur juratoriam præſtare cautionem: vel tertiò & meliùs, ut videlicet domini temporales qui plerumque adverſus Eccleſiam ſunt contumaces, magis hanc pœnam reformident, videntes ſibi omnem abſolutionis ſpem ademptam, donec de cauſa penitus cognitum ſit, & culpam emendaverint, *dicto cap. ſolet de Sent. excommunic. in 6.* Id quod, ut dictum eſt, valet in Interdicto univerſali, veluti populi totius; non in Corpore aliquo, vel Collegio, vel Univerſitate aut Communitate, in quibus relaxatio datur ad cautelam, *cap. ad hæc quoniam, de Appellation. apud Gregor.* & ibi Gloſſa, *cap. præſenti de Sent. excomm. in 6.*

Hîc autem animadvertendum eſt quoties datur abſolutio ad cautelam, vel ob periculum moræ, vel morbum gravem, vel ad certum tempus, vel ad effectum certæ rei, ut ferendi teſtimonii, vel ob aliquam aliam urgentem occaſionem, non omnino ſolvi excommunicatum, ſed ſublato impedimento, & jam ſui factus compos & liber excommunicatus, debet adire ſummum Pontificem, & quàm citiſſimè potuerit ſe illi præſentem exhibere petendæ plenæ abſolutionis causâ, & in finem ſatisfactionis; alioqui finito periculo ſi id negligat facere, reincidet in excommunicationem: & ideo dicitur illa abſolutio cum reincidentia, vel ad reincidendum, *cap. Apoſtolicæ de Except. apud Greg. cap. eos qui de Sent. excommun.* ubi Gloſſa duos caſus notat reincidentiæ. Prior, cùm in periculo imminenti aliquis abſolvitur, quo ceſſante non potuiſſet abſolvi niſi à ſummo Pontifice, qui ſi ſe præſentare nolit, aut negligat, reincidit in priorem excommunicationem. Poſterior caſus eſt, quando abſolutus ad cautelam, à Papa fuit remiſſus ad Diœceſanum vel alium, ſi infra tempus ſe non repræſentat, ipſo facto reincidit in priſtinum vinculum excommunicationis. Quòd ſi quis ita abſolutus non poſſit adire ſummum Pontificem, vel morbo vel alio impedimento, per procuratorem poteſt peti abſolutio, *cap. cum deſideres & cap. porrò de Sent. excomm. apud Gregor.* & ibi Panormit *cap. intelleximus de Judiciis.* Poſtremò locum habet abſolutio in exempto,

qui à Diœceſano ſi excommunicetur & appellet, abſolvendus eſt ad cautelam, quaſi nulla ſit ſententia, quæ tanquam à non ſuo judice contra exemptum fuerit prolata, *cap. cum olim 2. de Privileg. apud Greg.*

CAPUT V.

Quis finis, qui ſint effectus Abſolutionis ad cautelam.

QUAMVIS in *cap.* 2. ſuprà breviter attigerimus finem & effectum abſolutionis ad cautelam; tamen hîc diſtinctiùs & apertiùs exponere viſum eſt. Ac præcipuè quinque referuntur fines abſolutionis. Primus eſt, ut favor & gratia Eccleſiæ magis innoteſcat, quando ſcilicet ſententia tenet in excommunicatum lata, ſi excommunicatus firmiùs & probabiliùs credat quod ſententia non teneat, conceditur in omnem eventum illi ad cautelam abſolutio. Nemo enim debet indefenſum jus ſuum relinquere, *L. illud quoque* 40. *ff. de Hæred. petit.* Eſt enim ante omnia conſulendum animæ ulceratæ, ut conſcientiæ detur refrigerium, quo poſſit paulatim accedere ad divinorum myſteriorum participationem. Eaque cautela reſpicit perſonam excommunicati, & in eo mortis eſt periculum, cui excommunicatio æquiparatur, cùm quis propter eam & propter peccatum faciliùs moriatur, *Can. Epiſcopi* 11. *q.* 3. & *cap. qua fronte de Appellat. apud Gregor.* Secundus eſt finis vel effectus, ut etiam caveatur al is quibuſcum excommunicatus poſſet in ſacris communicare, & aliis negotiis neceſſariis, quod aliàs fieri non poſſet ſine periculo ſaltem excommunicationis minoris, *cap. ſtatuimus de Sentent. excomm. apud Gregor.* & *cap. ſi verè eod.* Tertius eſt effectus, ut vitetur injuria & infamia quæ per excommunicationem infligitur, & tollatur opinio ejus qui putat ſe falsò eſſe excommunicatum, *cap. cùm deſideres* §. *ſecunda de Sent. excomm. apud Gregor.* Quartus eſt ad cautelam futurorum, ne ſcilicet quæ geſta fuerint ab excommunicato, fiant irrita, *dicto cap. ſolet* 2. Quintus ad cautelam vel ſubventionem veritatis probandæ, ut in *dicto cap. veniens* 2. *de Teſtibus, apud Gregor.* Videretur etiam abſolutio ad cautelam maximè favorabilis propter eos, qui communicantes cum excommunicatis innodantur excommunicatione minore; quod non evenit cùm abſolutio ad cautelam præceſſit, ut mox dicetur, ut in caſu *cap. ſi verè de Sent. excomm. apud Gregor.* His igitur de cauſis datur abſolutio ad cautelam; nec tamen is qui petit ſic abſolvi, fatetur ſe rectè excommunicatum fuiſſe, per regulam illam *Qui gratia adverſarii ſe ſubmittit, juri ſuo non renuntiat, cap. veniens de renunciat. apud Gregor.* Unde quæritur, ſi judex vel adverſarius petat ut iſte confiteatur ſententiam tenere, antequam abſolvatur, an confiteri cogatur? Dicunt Interpretes in *cap. per tuas* non teneri, quia ex confeſſione partis non debet creſcere vel decreſcere jus adverſarii, ut probatur in *L. ſervitutes* §. *ſi qua ff. ſi ſervit. vindic.*

Digitized by Google

Neque etiam quidquam prodeſt, ſive proteſtetur petens abſolutionem, ſive non proteſtetur.

Quid autem producat hæc abſolutio, aut quos effectus pariat, ex eo cognoſcitur, quòd conſcientiæ tam excommunicatorum quàm cum illis communicantium tutiore in loco ſint, & liberè cum hujuſmodi abſolutis liceat converſari. Quod tamen cum diſtinctione intelligi debet, ut in *dicto cap. ſolet* diſtinctè explicatur; ut in extrajudicialibus, veluti in officiis divinis ſcilicet & publicis, & ſic ſecurè celebrando, in poſtulationibus, electionibus, & aliis legitimis actibus admittatur. Poteſt enim eo modo abſolutus, & tamen remanens excommunicatus, etiam divina celebrare impunè, *cap. ad præſentiam de Appellat. apud Gregor.* licèt alioqui fiat irregularis qui celebrat excommunicatus, *cap. 4. de Clerico excomm. miniſt. & Can. ſi quis Epiſcopus damnatus, & ſequenti* 11. *q.* 3. Si tamen ignoret ſe excommunicatum, non fiet irregularis, *cap. Apoſtolicæ de Sent. excomm. apud Gregor.* At verò in judicialibus abſolutus ad cautelam vitandus eſt, excepto probationis nullitatis ſententiæ articulo, *dicto cap. ſolet.*

Differentiæ verò iſtius plures rationes adfert Gloſſa: vel quòd in judiciis remanet actio quamvis differatur, *cap. pia de Except. in 6.* vel quòd faciliùs interdicuntur judicialia quam extrajudicialia, & ea quæ ſunt juris quàm ea quæ ſunt facti, *L. ſunt quidam ſervi ff. de Pœnis*: vel quòd in judicio agendo leviùs impediri debemus, cùm extra judicium quiſque ſuo jure nitatur; vel quòd in judicio judex quaſi medius ſit paratus, *cap. ſæpe de Appellat. in 6.* Verùm his rationibus potior iſta videtur, quod ſcilicet hoc detur honori Judicis excommunicatoris, qui magis contemni videretur, ſi à ſe excommunicatus ad judicialia admitteretur, quàm ſi ad extrajudicialia, in quibus ſibi nullum adfertur præjudicium.

CAPUT VI.

A quo Abſolutio ad cautelam peti debeat.

Si conſideretur finis abſolutionis ad cautelam, Bernardi Commentatoris Decretalium opinio non eſt rejicienda; nimirum ut à quolibet Judice Eccleſiaſtico poſſit concedi, in *dicto cap. ſolet de Sent. excomm. in 6.* Unde & Judex ordinarius, & Metropolitanus, vel Superior ad quem devoluta eſt appellatio, & Judex delegatus, & quilibet etiam Preſbyter in articulo mortis poteſt ad cautelam abſolvere. In quo tamen adhibenda eſt diſtinctio: nam aut pro contumacia, aut pro offenſa manifeſta lata eſt excommunicatio, *cap. ex parte & cap. cùm olim de Verb. ſignific. apud Greg.* Si pro contumacia, quia in abſentia & contra indefenſum lata eſt ſententia, & citatus non comparuit propter periculum viarum, vel aliquod impedimentum; debet à Metropolitano, ad quem appellavit abſolutio ad cautelam, humiliter petenti ſine mora præſtari: veluti etiam cùm dubia eſt offenſa, eo modo abſol-

vendus eſt excommunicatus, niſi malit Metropolitanus Suffraganeo ſuo deferre, & ad eum remittere excommunicatum, ut abſolvat ad cautelam.

Quòd ſi Suffraganeus vel Ordinarius, ſcilicet excommunicator, noluerit juxta formam Eccleſiæ eum abſolvere; tunc debet ſuperior Metropolitanus abſolvere, data cautione de ſtando judicio & parendo ſententiæ, *cap. venerabilibus de Sent. excomm. in 6* & *cap. per tuas eod. apud Greg.* in quo non habetur ratio contradictionis, ſi ſe opponat vel excommunicator, vel adverſarius.

Quòd ſi Ordinarius propter manifeſtam offenſam excommunicationis ſententiam tulerit; tunc Metropolitanus non debet eum abſolvere, ſed differre donec culpa fuerit emendata, vel niſi requiſitus Ordinarius malitioſè noluerit abſolutionem concedere, ut in §. *fin. dict. cap. per tuas*. In eo tamen id obſervandum eſt, quod in foro etiam Laïcorum ſolet cuſtodiri, ne omiſſo medio abſolutionis beneficium petatur. Poteſt enim fieri ut ſubditus Ordinario, veluti Archidiaconus, ſententiam excommunicationis tulerit, à qua excommunicatus non ad Metropolitanum, ſed ad Ordinarium immediatè ſuperiorem appellare debet, & ab eodem petere abſolvi. De qua poteſtate ab Archidiacono fit mentio in *cap. ad hæc, & cap. Archidiaconis de Off. Archidiaconi, cap. dudum de Electione, cap. Romana de Sentent. excomm. in 6.* ſcilicet de conſuetudine. Diſtincta verò eſt juriſdictio per gradus, & Metropolitanus nihil habet juris in ſubditos ſuorum Suffraganeorum, *cap. paſtoralis de Off. Ordin.*

Sed quæritur in Delegato, an poſſit abſolvere ad cautelam. Gloſſa in *dict. cap. ſolet*, & Rebuffus in *loco ſupra dicto*, & omnes ferè Interpretes ſunt in ea ſententia, ut exiſtiment delegatum à ſummo Pontifice ad aliquod principale negotium, vel generaliter commiſſum, vel appellationis ſub illa forma, *Si inveneris ſententiam latam poſt appellationem, pronuncies eſſe nullam*, non poſſe abſolvere ad cautelam; idque duplici ratione: tum quia reſcripta delegationis ſunt ſtricti juris, nec ab eorum forma recedendum, *cap. cum dilecta & cap. nonnulli de Reſcript.* Tum etiam quia abſolutio ad cautelam non eſt de Jure, ſed de gratia, & ideo non eſt extendenda, *argum. L. quod vero ff. de Legib.* & argumentum etiam ducitur à diſpenſatione: cùm enim Delegati Papæ vel aliorum non poſſint diſpenſare, ergo neque ad cautelam poterunt abſolvere. Sed uſu contraria ſententia recepta eſt, quando ſpecialiter & expreſsè commiſſum eſt Delegato, ut abſolvere poſſit ad cautelam. Unde tamen excipiuntur Delegati intra Romanam Curiam, ut eſt in *Deciſione Rotæ*. Siquidem non facilè hujuſmodi abſolutio ibi conceditur, ubi extraordinaria & præjudicialis habetur, & ſemper excommunicatio ſecum trahere executionem cenſetur, *Rota deciſione 426. cap. paſtoralis de Appell.* ideoque cum majori difficultate datur quam ſimplex abſolutio, ut notatur in *dict. cap. ſolet & cap. venerabilibus*.

CAPUT VII.

Quæ ſit forma Abſolutionis ad cautelam.

FORMA abſolvendi ad cautelam, vel ex ordine procedendi, vel ex forma pronunciandi & verbis in ſententia abſolutionis expreſſis ſumitur. Ex ordine forma præſcribitur in *capit. ſolet §. in prima igitur.* Nam ubi Judex animadverterit locum eſſe abſolutioni ad cautelam, nimirum ubi contumacia dedit locum ſententiæ, vel eſt dubia offenſa, præmittet ſummaria cauſæ cognitionem, ut cognoſcat fueritne manifeſta offenſa, an dubia: in quo caſu, ait ibidem Innocentius IV. terminus octo dierum indulgebitur ſic aſſerenti, ut ſi probaverit quod opponit adverſarius vel excommunicator, non relaxetur ſententia, niſi priùs ſufficiens præſtetur emenda. Quod ſi non probaverit manifeſtam offenſam, aut ſi dubia remaneat, non obſtante contradictione & interceſſione vel partis, vel excommunicatoris, abſolutio ad cautelam non differetur; dummodò antea juret excommunicatus quòd parebit mandatis Eccleſiæ, & idoneam præſtabit cautionem de ſatisfaciendo, ſi fuerit inventus juſtè excommunicatus. Idque obtinet ſecundùm omnium opinionem, & juxta Monachum & Oſtienſem in *dict. cap. venerabili & cap. per tuas & cap. ſolet eod.* & ſic abſolvendus eſt: ſecus in alia abſolutione quæ fit purè & ſimpliciter.

Altera forma petitur ex verbis ipſis quæ debent apponi, nimirum dicendo, *Abſolvo te ad cautelam*: nam niſi hæc verba exprimerentur, intelligeretur pura & ſimplex abſolutio, quæ ſupponit veram & juſtam excommunicationem, ut in *cap. capitulum S. Crucis de Reſcript. & cap. Apoſtolica de Except. apud Greg.* Sed utroque modo providere debet Judex ne nimiùm feſtinet talem abſolutionem concedere; ſed ſummariè, ut dictum eſt, debet de re cognoſcere, an ſcilicet fuerit lata excommunicatio poſt appellationem, necne, ut in *cap. quoniam §. in aliis ut lite non conteſt. apud Gregor.* & præterea proſpicere debet an cauſa appellationis legitimè fuerit aſſignata, *cap. cordi de appellat. in 6.* Denique reputare debet apud ſe quæ cauſam reddant invalidam, ut in *cap Romana §. cum autem de Appellat. in 6.* Illud etiam ad ejuſdem Judicis officium ſpectat, examinare an excommunicatus malitiosè petat abſolvi, ut eo modo adverſarius ſua fruſtretur intentione, ſi negotium diutius prorogetur, ut in *L. tutor 42. ff. de Uſur. & fruct. & L. ult. ff. de re judic.* Caveat quoque Judex ne quid odio vel amore, ne prece vel pretio talem concedat abſolutionem, ne incidat in pœnas *Decretalis, Cum æterni de re jud. apud Gregor.* Quod ſi aliquis per vim vel metum ſe ad cautelam fecerit abſolvi, certum eſt nullam eſſe abſolutionem, cùm ea quæ vi metuſve cauſa fiunt rata non habeat Prætor *ff. de eo quod vi metuſ. cauſa.* Itaque tantùm abeſt ut hæc vires aliquas ſortiatur abſolutio, ut etiam ex hujuſmodi facto creſcat audacia, & ipſa excommunicatio iteretur, *Can. loc.* XXXV *q. o. cap. ut clericorum de vita & honeſt. cler.*

CAPUT VIII.

An Abſolutio ad cautelam poſſit impediri.

HOc caput ex Rebuffi ſententia poſtremo loco addetur, qui in *loco ſupra dicto*, ſcilicet ad *Regulam* 60. *de Indulgentiis*, quinque refert modos quibus abſolutio ad cautelam poteſt impediri. Primus eſt, ſi per procuratorem petatur, ſecundùm opinionem Oſtienſ. *cap. cum deſideres de Sentent. excomm. apud Gregor.* & videntur in ea eſſe opinione domini de Rota in *Deciſione* 426. *in novis.* Quod ideo volunt impediri, propterea quod procurator non poſſet jurare, neque ſatisfacere, neque cavere pro excommunicato. Sed id communiter reprobatur, ut ſuprà dictum eſt *cap.* 4. *in fine.* Quod tamen intelligendum eſt ſi juſtum occurrat impedimentum propter quod excommunicatus comparere non poſſit. Nec obſtant quæ dicta ſunt de procuratore, quaſi in ipſius perſona non conſiſtant quæ requiruntur ab ipſo excommunicato. Nam poteſt habere, ut debet revera eo munitus eſſe procurator, ſpeciale mandatum & ad juramentum præſtandum, & ad cavendum, aliaque legitimè facienda, ſecundùm Doctores in *cap. venerabilem de Elect.* Secundus modus eſt ratione Judicis incompetentis, ut dictum eſt ſuprà *præcedenti capite*, cùm à non judice quis petit abſolvi ad cautelam, vel omiſſo medio. Tertius eſt modus quando petitur contra jus, vel ob cauſam injuſtam vel ineptam, ſcilicet in caſibus in quibus peti non debet, de quibus ſupra etiam dictum eſt. Quartò, ratione formæ non ſervatæ, ut cùm petitur ob manifeſtam offenſam, vel ſine ſatisfactione, vel cautione, vel juramento; cùm tamen eſt dubium inter partes an ſatisfactio dari debeat, ſtandum eſt arbitrio boni judicis, *cap. cum olim de Verb. ſignific. apud Gregor.* Quintò & poſtremò, ratione temporis, ut ſi petatur tempore feriato *argum. cap. fin. de Feriis*, quia debet dari ſpatium aliquod temporis quo adverſarius citari poſſit. Sed id non probatur Rebuffo, ſiquidem feriæ ceſſare debent ubi agitur periculum animæ, quæ eſt omnibus præferenda, *Can. præcipimus* XII. *q.* 1. *L. ſancimus C. de Sacroſ. Eccleſ.*

Et hæc ſunt, Illuſtriſſime ac Reverendiſſime Protomyſtes, quæ poſt tuas ea de re diſcuſſiones & diſceptationes, ex tempore in tua urbaniſſima & eruditiſſima menſa uberrimè & elegantiſſimè habitas, de abſolutione ad cautelam colligenda putavi: non ut tuis aliquid doctiſſimis ac exquiſitiſſimis ea de re commentationibus adderem, hoc enim eſſet, aquam ad mare: ſed ut quo ſtudio, quaque animi contentione & quaſi aviditate, tuos excipere ſermones ſoleam, intelligas: quos ſi liceret etiam aureis, abſit dicto invidia, litteris exarandos putarem.

Finis Tractatus de Abſolutione ad Cautelam.

Digitized by Google

EXTRAIT DU PRIVILEGE DU ROY,

PAR grace & Privilege du Roy, en datte du 22. Avril 1677. ſigné GAMART, il eſt permis à JEAN DE LA CAILLE, Marchand Libraire à Paris, d'imprimer ou faire imprimer, vendre & debiter, pendant le temps de vingt années un Livre intitulé, *Franciſci Florentis Iuriſconſulti celeberrimi, Opera juridica*, avec défenſes à tous Imprimeurs, Libraires, & autres, de l'imprimer, vendre ny debiter pendant ledit temps, ſans le conſentement de l'expoſant, à peine d'amande, confiſcation des exemplaires, & de tous dépens, dommages & intereſts, comme il eſt plus amplement porté par leſdites Lettres de Privilege.

Regiſtré ſur le Livre de la Communauté des Marchands Libraires, Imprimeurs de Paris, le 25. May. 1677.

Signé, D. THIERRY Syndic.

Achevé d'imprimer pour la premiere fois le 20. Mars 1679.

Digitized by Google

10# 2 vol

12#
11